


P.N. 49)
7-5/1/63...



IV 352361 (2)

189a



U.S. DEPT. OF JUSTICE

189

ig



Johann Daniel Heine mann, delin. et sculp. Aug. Vind.

44168 F.S.



**TOPOGRAPHIA
MAGNI REGNI
HUNGARIÆ**

OLIM

**A quodam Societatis Jesu Sacerdote conscripta,
nunc Studio cujusdam ex eadem Societate Sacerdotis
emendata & aucta.**

DUM

SUB SERENISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI

JOSEPHI

CORONÆ

REGII PRINCIPIS,

ET

ARCHI-DUCIS AUSTRIÆ,

ILLUSTRISSIMUS DOMINUS

**EMERICUS S. R. I. COMES A CSAKI
DE KERESZTSZEGH**

Viennæ in REGIO THERESIANO S. J. NOBILIVM COLLEGIO.

PRÆSIDE

*PRÆNOBILI, CLARISSIMO, ac CONSULTISSIMO
DOMINO*

JOANNE BAPTISTA PIKER,

**U. J. DOCTORE, ejusdem THERESIANI COLLEGII Juris Civilis
PROFESSORE REGIO.**

Theses ex universo Jure Civili propugnaret

ANNO M. DCC. L. Mense Octobri Die

VIENNÆ AUSTRIÆ,

**LITERIS LEOPOLDI JOANNIS KALIWODA,
IMPERIALIS AULÆ TYPOGRAPHI.**



4468 F.5

SERENISSIMO

CORONÆ

AC

REGIO PRINCIPI

JOSEPHO

BENEDICTO

AUGUSTO

ARCHI-DUCI AUSTRIÆ,

MAGNO DUCI HETRURIAE,

DUCI

BURGUNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI,

STYRIA, CARINTHIA,

CARNIOLIA, MANTUA, PARMIA,

PLACENTIA, LIMBURGI,

GELDRIA, WÜRTEMBERGIA,

SILEZIA,

LOTHARINGIA ET BARRI;

PRINCÍPI

SUEVIÆ AC TRANSYLVANIÆ;

MARCHIONI

SACRI ROMANI IMPERII,

BURGOVIÆ, MORAVIÆ,

SUPERIORIS, ET INFERIORIS LUSATIÆ;

COMITI

HABSBURGI,

TYROLIS, FERRETIS, KYBURGI, NAMURCI,

GORITIÆ, GRADISCÆ, ARTESIÆ, SICULORUM;

LANDGRAVIO

ALSATIÆ,

DOMINO

MARCHIÆ SCLAVONICÆ,

PORTUS NAONIS,

SALINARUM ET MECHLINIÆ

&c. &c.

DOMINO, DOMINO

CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS REGIE.



Quod erat omnibus optandum maxime, & quo uno amplissima e literarum studiis præmia referri poterant, id mihi hodie non sine singulari felicitate obtigisse gratulor, ut a nomine TUO SERENISSIME PRINCEPS REGIE, Juridicis meis sive laboribus præmium, sive tenebris splendorem accipiam. Tenebar desiderio felicitatis illius, qua major dari a TE hoc quidem in tempore nemini potest, ut cujus olim imperiis obnoxius ero; ejusdem jam nunc honoribus literarios conatus cum nobilissima ætatis meæ parte commendarem. Dedisti locum infimis precibus pro innata DOMUI TUÆ CLEMENTIA, & dum splendorem a TE in has paginas derivari passus es, non in me tantum: sed in omnes, qui in Regio hoc Collegio in spem Patriæ educamur, gratia & exemplis TUIS enutrimur, beneficium contulisti, nunquam satis prædicandum.

Et

Et merebatur temeritas mea veniam : cui enim Regni Apostolici Topographiam rectius, atque **TIBI** inscriberem , **PRINCEPS SERENISSIME!** quem earum urbium , quæ **TUO**, ut spes est, conspectu olim & præsentia fruentur , locorumque Hungariæ omnium velut imaginem ante oculos constitutam habere decet?

His virtutibus sollicita **AUGUSTISSIMÆ MATRIS TUÆ, POTENTISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ** cura institueris, quæ religione in **DEUM**, pietate, justitiaque in subjectos populos, ac præcipua quadam in avitum Hungariæ Regnum **TE** illi quam simillimum efficient. Qua ex educatione quam multa, quam numeris omnibus absoluta bona in **TE** promanare oportet, qui eam nactus es indolem, & animum, in quo virtutes omnes pulcherrimam cum **AUGUSTISSIMÆ MATRIS**, tum **MAJORUM OMNIUM** imaginem sunt expressuræ? quarum virtutum omnium femina in pectore, uti **MAJORUM** sanguinem in venis circumfers: quæ ubi erumpere in publicum, & orbis etiam oculis se offerre spectandas poterunt, proh! qualem, quantumque **TE** nobis **PRINCIPEM** exhibebunt.


Videre jam nunc nobis videmur illam animi TUI facilitatem, quæ neque MAJESTATI quidquam detrahat, neque ab hac detrimenti quidquam ipsa patiatur, sed utraque communi sociata vinculo amorem in omnibus, cultum & reverentiam excitet: illam in frangendis hostium conatibus fortitudinem, in promovendis civium commodis vigilantiam, in tuendis legibus æquitatem: illud in extirpandis vitiis omnibus studium, in tollendis hæresum erroribus, & quam latissime proferenda Religione ardorem ac industriam singularem: illam dein consilii magnitudinem, prosperis in rebus moderationem, erga DEUM ac Cœlites pietatem non vulgarem. Hæc, inquam, in TE omnia suspiciet præsens ætas, loquetur posteritas, consecrabit immortalitas. Quid enim aliud polliceri nobis de te potest, tam præclara oris & corporis totius dignitas, quæ magnarum index est mentium, tibi que primo statim aspectu animos intuentium conciliat? quid frons summo digna imperio? quid oculi, quorum fulgore & conjectu Regiam quotidie indolem, Regios spiritus, Regia animi decora indicas? quid Martius in venis calor, membrorumque omnium vigor & alacritas? quid ingenium quantæcunque scientiæ & fortunæ capax? quid ætate major prudentia? quid de-
ni-

nique domestica **AUGUSTISSIMO-
RUM PARENTUM** exempla tam
præclara, quæ in oculis quotidie habes, & qui-
bus solis, etsi non ita excellam tibi mentem
natura tribuisset, tamen ad omnem fingi vir-
tutem, formarique posses? sunt ista profecto
certissima argumenta, quæ TE magnum ali-
quando opibus, majorem fama ac gloria, vir-
tute ac rebus gestis maximum futurum **PRIN-
CIPEM** demonstrant.

DEUS optimus maximus spes de TE con-
ceptas alat, provehatque. TE **AUGUSTIS-
SIMÆ MATRI** hæredem, Hungaris Re-
gem, Religioni propugnatorem, hostibus ter-
rorem, bonis omnibus Patrem futurum, quam
diutissime seruet incolumen, ac subinde rebus
omnibus, quæ beatum & felix efficere impe-
rium possunt, liberaliter augeat. Quod ut
faciat, ego cum universa familia mea, quæ
Austriacorum obsequiis ex eo tempore gloria-
tur, quo illi Hungariæ dominatum adierunt,
ardentissimis precibus flagitare, *dum spiritus
hos reget artus*, non desistam

SERENITATIS VESTRÆ

Clientum Infimus
C. F. MERICUS CSAKI DE KERESZTŐZEGH.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

MICHAEL BONBARDIUS *de Societate JESU Scriptor elegans, ac perdoctus, quum Anno Saculi hujus Octavo supra decimum Philosophicis Prælectionibus Viennæ Austriæ coronidem imponeret, dedit hoc Majorum voluntati, laudatissimisque orandæ Patriæ studiis præstantissimi tunc Discipuli sui, bodie Colocensis Arcbi - Episcopi, Nicolai e Comitibus Csáky de Keresztszegb, ut præcipuorum Hungariæ locorum descriptionem, qua licebat accuratione adornaret, atque Augustissimo Nomini CAROLI VI. Romanorum Imperatoris inscriptam, Illustri illo sapientiæ Alumno, Universæ Philosophiæ positiones propugnante evulgaret. Acceptum opus est applausu maximo; quod etsi in prolixam hanc lucubrationem spbalmata quædam irrepsisse non ignorarint Patriarum peritiores Rerum; tamen ad exculpandum Scriptorem exterum, operosa severiorum Disciplinarum tractatione obrutum verius, quam occupatum, nemo non facilis esse posset, quem, quæ sit istorum studiorum apud nos ratio, non lateret. Valuit hæc boni conatus approbatio in animum Amplissimi Arcbi - Præfulis eatentis, ut, dum suus a Fratre Nepos Emericus Comes Junior, Csákia Gentis spes longe florentissima, ab Serenissimis Regii Principis JOSEPHI Auspiciis Juridico suo studio mutuari gloriam ambiret; Bonbardianam illam Magni Hungariæ Regni Topographiam, suis repurgandam nævis, uberioreque rerum apparatu augendam,*

ma-


P R Æ F A T I O.

majori recudendam peteret forma. Et Excellentissimus Antistes quidem nihil seu sumptuum, seu conatum in se desiderari passus est, quod ad propositum conferret. Nam primum ad singularum Provinciarum (Comitatus ajo) Magistratus officiosas cum vetere descriptione dedit literas; quibus efflagitabat: commodarent suismet rebus operam, quas, Bonbardiana in lucubratione, notarissent aberrationes, quæ adjici, quæ rescindi cuperent, quamcunque rudi calamo commotarent. Egit deinde cum Ecclesiastici Ordinis viro, egregie literis exculto, qui Provinciarum Rescripta perpoliret. Primum ad obicem ad hæsit opus; quod veterem nondum morem omnis excusserit Hungaria; quo evuluisse, non plane nulli existimant, quidquid protractum e scriniis, blatta non arrodit, vulgus non ignorat. Itaque consumptis inani expectatione mensibus bene multis dum jam supremam de tabula detrabere oportebat manum, compertum est, nec primam admotam fuisse. Ea res in causa fuit; ut, deprecantibus provinciam banc cæteris, ad tentandum tam vasti pelagi vadum unus damnarer ego, in quo minus facultatis, quam, tanti Præsulis voto commodandi, voluntatis erat. Ergo duos intra menses recognoscendum, elimandum, typoque dandum Librum aggredior, Scholasticis & ipse curis, nec minoribus aliis, affixus. Favit imperatis conatibus Numen optimum, atque, nisi librarius idoneæ inopiam chartæ obtendisset, præstitutum ad diem, sua, utcumque emendato Commentario integritas constitisset. Diuturnior chartarii cunctatio traduxit animum ad augendum, concinnioreque metodo conscribendum volumen. Unam septem in Libros dispesceui Hungariam; sua libros in Capita; hæc in paragraphos; quibus ne quædam velut anima deesset, suam unicuique synopsis, legentium commodo præfixi; illustraturus & singulos libros exactis ad omnem apicem Geographicis mappis, nisi hunc mihi laboris fructum parcius admensum otium adhuc detraxisset. Quæ fuerint rerum conversiones in terris, quas jam occupat cum obnoxiiis sibi Regnis, ac Provinciis Hungaria, antequam eas postremum inundassent Humi, primo ex quo libro; altero Regni Christiano-Hungarici primordia; Tertio bodiæ Trans-Danubianas oras; Quarto interamnanæ portionem illam, quam olim insidebant Quadi; Quinto habitatam ab Sarmatis; Sexto Jazygum veterum, sive Metanastarum sedes, præsentis in Comitatus partitioni, satis idonee accommodatas; postremo Ultra-Tibiscanam Regionem; Ripensi po-
tis-

P R Æ F A T I O.

tissimum Romanorum Daciæ respondentem. Vasta hac in commentatione, incredibilibus temporum angustiis circumscripta; carvi plurimum, nequam Urbem, Oppidum, Vicum, Arcem suæ detraberem Provinciæ, vicina donarem, istaque ratione hodiernos Comitatum limites factos, tectosque conservarem; in quo sicubi a me peccatum esse quis autumat (quod equidem perrarum fuerit) pugnantia Provinciarum Rescripta accuset. Satagebam deinde ne a meo digressus instituto, ad Ichnographorum, Sciagraphorum, Geographorumve partes transirem. Quare nec in uno soli positu, opportunitatibus, distantibus, nec in adumbrandis Arcium, Templorum, Castellorum, & aliarum id genus molium structuris ita conquievi, nihil ut ab Historia mutuarem; quod præcipuum hoc esse Topographi munus, plurimumque ad ineundam apud Lectores gratiam facere, arbitrer. Herorum ad hæc, qui descripta obtinent loca, aut suprema potestate Provincias moderantur ad mei exemplum prototypi, ita memini, ut & gesta ab iis munia, titulosque connotarem, & suo quodam jure, ipsis ita exigentibus rebus, laudis aliquid aspergerem; quo ad posteros dimanet, quibus ævo nostro Patribus Hungaria collustretur. In procuranda styli æquabilitate minimum laboravi; tum quia vix primas ad recognoscendum curas admisit temporis, fide minor, brevitatis; tum quod non solum Bombardiani operis, sed Provincialium quoque Rescriptorum verba ipsa typo dare, quantum licebat, voluerim; ut pulcherrimo paucorum exemplo, ad audendum paria, cæteri amentur, nec perditam existiment operam, quam propitia Minerva conferunt ad ornandam Patriam, Matrem omnium communem. Quam candida hic mente sum; tam ingenue confiteor universo in opere, quidquid usquam alienis e vigiliis meam in rem traduxi; quo & fontem, unde hauri, coronarem, plagique a me crimen amolirer. Tuum erit, Amice Lector, deproperatam lucubrationem, procurrentem interdum laxius, dum nempe habitatarum aliquando Regionum uberiores descriptioni sufficiebat materiem fidelis memoria; adstrictiorem alias, ac fere jejunam; quia hoc, cæterisque præsidii destitutam, miti censura figere, quamque mihi fortunam inviderunt plurima, supremam præclaro operi imponere manum.

Vale!



LIBER PRIMUS.

VETUS HUNGARIA.

CAPUT PRIMUM.

Notitia VETERIS HUNGARIÆ ab ortu rerum publicarum, usque ad Romani Imperii inclinationem,

§. I.

Quid præstiterint Græcanici Scriptores in describendis Regionibus, quæ veniunt nomine HUNGARIÆ?



Mmensum illum terrarum tractum, quem sub uno MAGNI HUNGARIÆ REGNI titulo describendum brevi narratione suscepimus; primi omnium Græci, sed paucis admodum lineis, quod scilicet suæ duntaxat ornandæ Patriæ studerent, ruditer depictum, verius dixerim: deformatum, posteris transmiserunt; uti Archi-Geographus Strabo Libro XI. adnotavit. „ Veteres, „ ait ille, Græcorum Scriptores univērsas gentes septentrionales Scytharum, „ & Celto - Scytharum appellatione affecerunt; qui vero ante hos adhuc „ eas diviserunt, supra Euxinum, Istrum, & Adriaticum mare colentes,

PARS I.

A

„ Hyper-

etiam Occidentalis, seu Prima, hæc vero Orientalis, sive Secunda dicebatur. Priorem, ut refert Titus Livius Libro XLIII. P. Licinius Crassus, Consulis Legatus, Carnuntum usque, quod olim Petronellæ vicum, & Hamburgum interjacebat, anno ante Christum circiter CLXXI. subegit; Augustus autem, post relatas complures victorias, cum vicinis Provinciis, tricesimo tandem ante idem optatissimum tempus anno, juris fecit Romani. Ita enim præter Appianum in Illyricis, Eutropius Libro VII. testatur: „ Dalmatiam, sæpe ante victam, sed penitus tunc subactam, Pannoniam, „ Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos Romano Imperio adje- „ cit. „ Quod autem Provinciæ hujus divisionem attinet, omnium optime habet Sextus Rufus in Libello de Historia Romana, Valentiniano inscripta, ubi sequentia leguntur: „ Batone, Pannoniorum Rege subacto, „ in ditionem nostram Pannoniæ venerunt; Amantinis, inter Savum, & „ Dravam prostratis, Regio Savientis, ac secundorum loca Pannoniorum „ obtenta sunt. Marcomanni, & Quadi de locis Valeriæ, qui sunt inter „ Danubium, & Dravum, pulsi sunt. „ Neque tamen credibile est, tunc primum Valeriæ nomen invaluisse, cum plurimorum testimonio id a Valeria, Diocletiani filia, sub quo ea PANNONIÆ pars recuperata fuerat, derivatum sit. Præterea illud quoque diligenter animadvertendum, memoratam Provinciam in notitia utriusque Imperii deinceps non reperiri; ex quo haud obscure conjicitur, ejusdem jura a Romanis mature deperditam fuisse, licet deinde nomen istud Ducum alicui fortassis adhæserit.

§. II.

Limites PANNONIÆ Superioris, & Inferioris.

HAËtenus de multiplici PANNONIÆ partitione; qui autem ejus incolæ discreti, quibus limitibus definiti, quæ urbium, fluviorum, &c. nomina fuerint, edicere plus habet difficultatis. Vetustis intentum manuducit Ptolemæus, dispescens PANNONIAM in Superiorem, quæ interdum Prima, uti supra meminimus, Occidentalis & Consularis vocatur; ac Inferiorem, ab aliis Pro-Consularem, Secundam & Orientalem dictam. Primam laudatus Geographus definit ab Occasu parte Carvancæ mon-

montis, vicini Istriæ; Æmonæ, ac Cetio, quem Solis montem appellat, atque a Danubio ad Saum protendit; a Meridie parte Istriæ, ac Illyrici per Albanum, five Albium, Carniolæ montem, ac Bebia Croatiae juga, Savo vicina, quæ terminant Inferiorem quoque PANNONIAM; a Septentrione fronte montis Cetii, & Danubio ad ostium usque Arabonis (Ptolæmeus Narabonem scribit;) denique ab Ortu PANNONIA Inferiore. Hanc vero Secundam circumscribit ab Occasu PANNONIA Superiore, & modo dicti amnis ostio; a Meridie parte Illyridis, a Bebiis nempe montibus ad flexum Danubii; infra quem flumini huic miscetur Savus; a Septentrione denique, & ortu Danubio, ab ostio Arabonis ad ostium Savi. Subjicit hæc oculis in sua Geographica Tabula Wolfgangus Lazius, ad quem Lectorem remitto; id unum monendo: Descriptionem Ptolemæi, paulo ante recitatam in eo vitiosam esse, quod Superiorem PANNONIAM ab Austro non terminet Italia; ad cujus tamen litem, cæterorum Scriptorum testimonio, porrigebatur.

§. III.

De Fluviis PANNONIARUM.

Partitioni PANNONIARUM quædam de fluviis earudem subijcio. Præter Danubium, principem Europæ fluvium, Ptolemæus, quod jam vidimus, memorat sæpicule Arabonem, modo *Rabam* dictum; Strabo Drabum, Plinio Draum, vulgo *Dravum*; Plinius Valdanum, seu Valdasum, probabilius eum, quem hodie Hungari *Valconem*, Rascii *Vukam* appellant; Urpanum non tam *Sar-Vizium*, quam *Verbanum*, communiter *Verbas* dictum. Suadet hanc opinionem sequi sententia Junioris Plinii, ita positus fluminum, & nobiliorum quorundam PANNONIÆ locorum signantis: „ Præterea, verba sunt nitidi Scriptoris hujus, Amnes „ memorandi: Calapis, in Saum influens, juxta Sisciam (puta *Sziszekum*) „ *kum*) gemino alveo Infulam ibi efficiens, quæ Segeffica appellatur. Al- „ ter amnis Bacuntius (opinionem meam Boszutius) in Saum oppido Sirmio „ influit, ubi civitas Sirmiensem, & Amantinorum. Taurunum, ubi „ Danubio miscetur Saus. Supra influunt Valdanus (id est *Vuka* ad Buc-

„ varum in Danubium) Urpanus (*Verbas*, seu *Verbanus* in Savum, infra „ Gradiscam, & supra Brodum, æquali fere distantia ad Sviniarum,) & ipsi „ non ignobiles. Offert hoc loco se observatio non una. Nam etsi *Culpam* eundem esse cum *Calapi* nemo, quod sciam, refragetur; tamen difficultate non caret, qua tandem ratione ad Szizekum Savo miscendus efficiat *Segefticam* Insulam? cum illic non gemino, sed unico influat alveo. Mihi videtur vero proximum: ætate Plinii ibi *Culpam*, in duo brachia sectum, alteroque pone vicum *Odrum* in Savum procurrisse, ubi duo hæc flumina, majore utrinque sinu sibi mutuo velut occurrunt. Quod alterum amnem, nempe *Bacuntium* (*Bosuntium*, vulgo *Bozut*) attinet, dum Plinius refert: eum *oppido Sirmio influere*, significat, quod civitatem illam interfluxerit. Favent conjecturæ, qui asseverant, fluvium hunc fuisse Sirmii junctum ponte, a Græcis Artemis vocato; de quo corpus Divi Irenæi Martyris, unaque Antistitis Sirmiensis, capite mulctati, in Savum fuerit dejectum, uti scriptis mandarunt Papebrochius, & Henschenius. Non immerito autem Clarissimi hi Scriptores in Savum projectum ajunt corpus Divi illius Martyris e ponte *Boszuti*, cum fluvius hic intra ipsa veteris Sirmii pomaria a Savo receptus proprii nominis faciat jacturam. Demum ex eo, quo Plinius ait: *Bacuntium in Saum oppido Sirmio influere, ubi civitas Sirmiensium, & Amantinorum*; recte colligas, duorum populorum, Amantinorum, & Sirmiensium jure sociatorum, oppida, in unam civitatem coaluisse. De Savo, & Dravo, notissimis fluminibus, non attinet plura hoc loco dicere, cum veterum vix ullus attingat cæteros minores fluvios, quibus illa augmentur. Quem id nosse delectat, in Geographicis Tabulis passim reperiet: in DRAVUM exonerari *Gurkum, Muram, Rignam, Csagyavitzam, Karafszitzam* &c. in SAVUM autem: *Labachum, alterum Gurkum, CULPAM, Dobra, Mresnitzza, Korana, Glina, & Sunja* auctum; *Lonjam* deinde, *Unnam, seu Onnam, Verbaskam, Verbanum* seu majorem *Verbas, Orlavam, Okrinam, & Uffora, Lasva, Oskova, Kladamo, Spretza*, aliisque, prius receptis, tumentem BOSNAM, *Drimitzam, Drinum, Boszutum, Kolubram*; ne quid de rivis, ac torrentibus mentionis fiat.

§. IV.

De Lacu PEISONE, Hungaris Fertö.

DE PEISONE lacu non una est cruditorum opinio. Plerique eundem esse contendunt, qui Mosonienſis Provinciæ oppido Niſidero cohæret. Communi opinationi plene deferrem, niſi Baſinienſem civitatem, lacui PEISONIS (qui Sclavicum, & Germanicum nomen *Peiſing* loco dederit) additam fuiſſe legiſſem; cujus in Danubium deduſti, non levia hodieque reperias veſtigia. Loco illo Plinii, quem ſibi patrocinari exiſtimant, qui PEISONEM Mosonienſi adſcribunt Comitatu, non ita moveor, ut omne proſus dubium ponam. Sic autem habet: „ Noricis „ junguntur Lacus PEISO, deſerta Bojorum; jam tamen Colonia Divi „ Claudii Sabaria, & oppido Scarabantia Julia habitantur. „ Ex quibus verbis ſi non licet arguere (uti reapſe non licet) deſerta Bojorum porrecta non fuiſſe per eam tempeſtatem ultra Danubii ripas, ubi ſitum eſt *Peſonium*; perinde exiſtimo, non eſſe irrefragabile, PEISONIS lacum, e Baſinienſibus, & Sancti Georgii agris, induſtria humana, deduſtum in Danubium fuiſſe. Attingo hæc, non tam, ut communi hodie Eruditorum ſententiæ derogem, quam ne celare mundum pergat, ſi cui præſto eſt, quo hunc paucorum non proſus inficetum ſenſum elidat.

§. V.

DE

VOLCEA PALUDE, ſeu BALATHONÉ.

PEISONI (ſunt, qui *Pelſonem* ſcribant) Lacui *VOLCEAM* ſubjicio *Paludem*, in Inferiore PANNONIA in longum ad ſolida duodecim, in latum ad tria milliaria diſfuſam, omnium PANNONICARUM maximam, cui commune jam BALATONIS nomen adhæſit. Ortum ab hac ducere, Urpanum fluvium exiſtimant nonnulli, & ut bis errent; Sarvizio, id eſt limoſo, reſpondere illum exiſtimant. Poſterius iſtud Spho ſuperiore utcunq; rejecimus, nec de eo ambigunt, qui locorum notitiam habent; effluviū autem aliquod habere Pannonicum illud mare paſſim per-

pernegant non pauci. Quare opinio eorum est : totam Paludem hanc cuniculis abdi, ac, ne influxu plurimum rivorum, & Salæ, amnis non minimi, ultra sua claustra intumescat, in alia stagna, fontes, lacus, & rivos, per subterraneos meatus, derivari. Credibile id fieri contendunt exemplo fontis, verius amnis, ad radices *Matræ* montis in Hevesiensi Provincia erumpentis; qui post tria circiter milliaria prope *Ludasum* penitus absorbetur. Nec hoc ad propositum inficere, quia tamen propter vicum, cui *Foko* nomen, non obscuro prædictæ Paludis effluentis, sequæ in *Limosum* amnem, una cum *Sione* rivo exonerantis, indicia sunt; non tantum ingenioso commento deferimus, ut a veritate discessionem faciamus. Reliqui lacus, & stagna, non ea sunt, ut singillatim describi petant. Ipsa *Hiulca*, veteribus non incognita, *Palus*, olim probabilius ad Esekinum sita, multum hodie aquis, limoque suo mulctata est. Attingemus cæteras, dum singulas Provincias lustrabimus.

§. VI.

De Oppidis PANNONIARUM.

INter Civitates totius PANNONIÆ, dum in ea rerum potirentur Romani, principatum tenuere SISCIA, quæ & SEGESTA, ÆMONA, SABARIA, vel SAVARIA, & MURSIA, utpote veræ Romanorum Coloniae, atque adeo summe liberæ, summe cultæ; quas nihilominus temporum lapsu SIRMIUM longissime antecessit; quippe non Prætorio duntaxat Præfectorum, sed Cæsarum quoque Sedes, ac Parens; digna, quam Ammianus Marcellinus Libro XXI. diceret Matrem Civitatum. Secundas ab his obtinebat ACINCUM, quod & ACIMINCUM, & ACUMINCUM sæpe leges; AQUICUM ad hæc, JULIOBONA, seu VINDIBONA, & VINDOBONA, BASIANA, BREGETIUM, CÆSAREA, CARNUNTUM, CIBALUS Coloniae fors Latinorum. Longa reliquorum oppidorum series textitur a Martino Szent-Ivanio, Morone, Hidio, Hungaris, Societatis JESU Sacerdotibus, quæ, ut licebit, Veterum, & Recentiorum sententias combinando, hodierno locorum situi accomodare jam aggredimur.

§. VII.

§. VII.

Itaque ad mentem Ptolemæi Oppida Superioris PANNONIÆ VETERA respondere videntur sequentibus HODIERNIS.

JULIOBONA, seu VINDOBONA & VINDIBONA, ac FAVIANA *Viennæ Austriæ.*

CARNUM, seu CARNUNTUM, *Ruderibus intra Hamburgum & Petronellam.*

FLEXUM, & ADFLEXUM, *non tam Posonio, quam ruderibus in adversa ripa.*

CHERTOBALUS, *O-Varino.*

BREGETIUM, *Jaurino.*

ANAMANTIA, LUGIONUM, *Mobatfio.*

ALTA RIPA, *Colocæ.*

SCARABANTIA, SACARBANTIA, SCABRINGA, *Csepregbo.*

NOVIDUNUM, *Marburgo Styriæ.*

LENTUDUM, OLIMACUM, *Inferiori Lindvæ.*

CARODUNUM, *Novo Zrimo, vel Canisæ.*

SISCIA, & SEGESTA, *donec certius quis eruat, verosimiliter Szizeko.*

SORAGA, *Zagrabia.*

PRÆTORIUM, *fatis apte Varasino.*

PETOVIVM, SAVARIA, vel SABARIA, SALA, seu SALAVARUM, *prima nomina tenent.*

MAGNIANA, *infra confluentem Dravi & Muræ, fors Welika.*

ÆMONA, *Italiæ finitima, sub Norico; bujus defunt clara indicia.*

BONONIA, *vico inter Esekinum, & Belgradum medio, dicto Ban-Monostor. Erat hic locus in deliciis Gratiano Imperatori, quintamque Legionem Joviam diu hospitio tenuit.*

Reliquarum Superioris PANNONIÆ Civitatum nondum in lucem emerfit positus eæ vero sunt sequentes: VINUNDRIA, MUROELA, VALINA, BOLENTIUM, AUDANTONIUM, SISOPA, VISONTIUM, RHISPIA &c. quæ diversis temporibus poterant convenire iis, quas nos aliis attribuimus locis.

§. VIII.

Inferioris autem PANNONIÆ Oppida, ad sita Danubio, in hunc fere situm referre potes:

- VETERA, *Nova.*
 CURTAM in adversa ripa hodierni *Kurta-Kesz*, ad vicum - *Szöny.*
 SALVAM, *ad Almasum, vel Labatbanum.*
 CARPIM, *ad medium Insule Csepel.*
 LUSONIUM, *pone Paxum, vel Thobiam.*
 AQUICUM, *Strigonium.*
 POTENTIANAM, *verius MOGENTIANAM, Adonium.*
 SALINUM, *Pentile.*
 THEUTOBURGUM, *ad Arcem, a Sylvis dictam Erdödiam.*
 ACIMINCUM, CORNACUM, RITTIUM, *Petri-Varadinum,*
 *Bukovarum, Sulankemenum.*
 TAURUNUM, vel TAURURUM, *Semlinum potius, quam*
Belgradum.
 SINGIDUNUM, *Belgradum.*
 GERULATA, *Raikam.*
 ULCISCIA-CASTRA, *Batam, seu Száz-Halom.*
 QUADRATUM, *ad Spatium intra Jaurinum, & O-Varinum.*
 AD STATUAS, *ad Jaurinense Szigetum.*
 AD MUROS, *ad editiorem Jaurini Angulum.*
 AZAONEM, *ad locum intra Jaurinum, & Comaromium.*
 CRUMERUM, *quasi ad situm Comaromio.*
 FLORIANAM, *ad territorium infra Comaromium, longius recedens*
a Danubio.

§. IX.

Quæ remotiora a Danubio ejusdem Provinciae loca memorat Ptolemæus, sequentia fere sunt.

- VETERA respondentia commode hisce *hodiernis.*
 BERBIS, *prostantibus ad ostia Dravi Ruderibus.*
 BASSIANA, *Mitroviczio.*

SAL.

- SALLIS, *Vicinia Mitroviczii.*
 MURSA, MUSIA COLONIA, vel MURSELLA, *Esekino.*
 TARSUM, vel TARSIVM, Galerii Maximi morte memorabile, *Vico S. Demetrii.*
 SIRMIUM, *ad confluentem Boszuti, & Savi.*
 ANTIANÆ, *ad amnem Sár-vizium, fors Albæ-Regali.*
 BIBALIS, vel CIBALIS, *vicinia Hiulcæ Paludis.*
 SERBIUM, *Quinque Ecclesiis.*
 AQUA VIVA, *Sitæ in Confiniis Styrorum Teplicæ.*
 CÆSAREA, *Tatæ.*
 LIMUSA, MUSUM, MUTTENUM, MOTTENUM, *Moffonio.*
 VALLIS-CARINIANA, *Babolciæ.*
 MENSTRANÆ, *Wesprimio.*
 PONS-SOCIORUM, *Simon-Tornyæ.*
 PANNONIA, *Ruderibus Comaromio non longe distitis.*
 ALISCA, & ALTINUM, *Vicis infra Mobatsium.*

§. X.

*Oppida PANNONIARUM, quorum situs ignotior,
& singularis quædam animadversio.*

PLurima alia, veteribus non ignota Oppida, eruditionis amantium curas pauciant, ut ea suo positi reddita literis commendent. Eorum pars aliqua sunt: *Ad Herculem, Aquæ-Balissæ, Aquæ-Menneianæ, Arrabonna, Budalia, Certissa, Cimbrium, Cuccium, Cusum, Dautona, Hispaneta, Idiminum, Inicerum, Intercisa, Jovia, Ivolum, Marsonia, Matrica, Muro-Cincta, Pecentium, Pons-Mansvatianus, Prætorium-Lutovicorum, Vacontium, Vaticana-Castra, Ulmum, Urbatæ &c.* Quantum ab his in plena luce positus accederet facilitatis Lectoribus veterum Historiographorum, unus ille nescit, qui suam ultra ætatem memoriam non porrigit. Id nihilominus innuisse haud abs re fuerit: cum nihil sub sole permaneat, sed perenni conversioni obnoxia sint omnia, cum veterum interitu, & novarum Urbium ortu, nomina pariter interire, enascique, et si eodem confiterint loco. Exemplo sit olim *Byzantium*, jam *Constanti-*

nopolis ; Sæculi hujus initio *Alba-Julia* , hodie *Carolina*. Quamobrem non illico *Juliobonæ* rudera scrutare extra pomœria *Viennæ Austriorum* , quod urbem hanc *Favianæ* , aut *Vindibonæ* , vel *Vindobonæ* compereris consistere loco ; certus , a Scriptoribus quædam consulto , alia per oscitan-
tiam , nonnulla ignoratione etiam præteriri , dum quisque sui ævi rebus , præ , quam alieni studet.

§. XI.

De Civitatibus

PANNONIA & POTENTIANA.

Recentiorum Scriptorum aliqui , silentibus veterum monumentis , PANNONIÆ nomen Civitati cuidam celeberrimæ non procul a jugo , quod vulgo *Pannoniæ Montem* dicimus , sitæ , proprium fuisse contendunt. Fundamenta eorum sunt , quod Divus Rex Stephanus in Privilegio Religiosis Viris , sanctissimi Patriarchæ Benedicti regulam professis , super dicto Monte degentibus , collato , dum de Monasterio loquitur , his verbis utatur : *Situm in Monte supra PANNONIAM*. Deinde , quod non desint , qui asseverent , in munimenti cujusdam , ab Rakoczii sequacibus ad *Karvam* meditati , structione , inventa esse varia Numismata , quin & lapidem , ex puteo vici , *Nyerges - Ujfalv* appellati , Anno Christi MDCCV. erutum , sequentibus notatum vocibus : CIVITAS PANNONIA. Insuper quod huc facere videatur Marsilii testimonium , qui in suo , ad Opus Danubiale , Prodro-
mo inter Antiquitates Ripenses adscripsit : PANNON *miliare unum infra Comaromium Aggeris latus maximum CCCCXX. circiter , minimum CCXL. Orgias efficit in adjacente palude , quam fluvius a Totis veniens constituit &c.* Demum quod silentium Romanorum de extincta Civitate PANNONIA , non sit undequaque firmissimum argumentum , eam vetustioribus temporibus haud existisse. Nam in more erat populo illi , Orbis domitori , Urbes aliquas cum nominibus extinguere. Si cui Divi Proto-Regis nostri Diploma scius interpretari lubet , atque ad faciendum in amplissimis Urbibus numerum requirit potiora ; esto ei liberum sentire , quod volet. Mihi plus dubii movent Scriptores nonnulli recentiores , atque ii duntaxat do-
mesti-

mestici, qui in Attilæ gestis **POTENTIANAM** in eo loco, qui hodierno *Hansabego* vel *Adonio* respondet, (de quo infra) constituunt, proque ejus mœnibus Anno Christi CCCCi. tres Hunnorum Duces, *Belam*, *Chevam* seu *Kewe*, & *Cadicham* conflixisse cum *Macrino*, Præside Romano, & *Detrico*, Germanorum Duce, neci datis utrinque CCCXXXV. & amplius hominum millibus contendunt. Mihi quia præsto non est, unde hanc bonæ fidei narrationem argumentis fulciam, ad detegendos veteris **PANNONIÆ** Incolas calamum converto. Hos omnium diligentissime, licet paucis complectitur *Plinius* Libro III. Cap. XXV. „ *Draus per* „ *Serretes*, *Serrapillos*, *Jafos*, *Andizetes*; *Saus per Colapianos*, *Breucos-* „ *que defluit*. Populorum hæc capita. Præterea *Arivates*, *Azali*, *Aman-* „ *tes*, *Belgites*, *Catari*, *Cornacates*, *Eravisci*, *Hercuniates*, *Latovici*, „ *Oferiates*, *Varciani*.

CAPUT TERTIUM. DE MOESIA.

§. I.

Limites, Montes, & Fluvii MOESIÆ.



MOESIA, five, ut *Volaterrano* præplacet **MOESIA**, ad distinctionem videlicet *Myfiæ Asiaticæ*, juxta plurimorum sententiam, *Danubio* a septentrionali latere definita, postque *Taurunum* incipiens, ad *Euxinum* usque *Pontum*, *Orientem* versus, porrigebatur. Reliqui ejus limites fuere: *Scardus*, & *Hæmus* montes, per quos a *Dalmatia*, *Macedonia*, & *Thracia* dirimebatur. Ita omnium interpres *Plinius* Libro III. Cap. XXVI: „ *Pannoniæ* jungitur *Provincia*, quæ **MOESIA** appellatur, ad *Pontum* „ usque cum *Danubio* decurrens. Incipit a confluente (*Savi* & *Danubii*) „ supra dicto. Mox populorum etiam, & fluminum nomina subjungit. „ In ea *Dardani*, *Celegeri*, *Triballi*, *Timaetri*, *Moefi*, *Thraces*, „ *Pontoque* contermini *Scythæ*. Flumina *Clara* e *Dardanis*, *Margis*, „ *Pingus* (idem, qui *Morava*) *Timachus*; ex *Rhodope* *Oefius* (id est: „ *Isca*) ex *Hæmo* *Utus*, *Efcamus*, *Jeterus*. „ Quibus merito addes

Ciabrum Ptolemæi, quod per ipsum Provincia primum in Superiorem, & Inferiorem fuerit distributa. Quippe serius altera successit divisio in *Primam*, & *Secundam*, uti colligere licet ex notitia Imperii Occidentalis; tum etiam avulsio Scythiæ minoris, quæ adiacebat Ponto. Superior MOESIA excurrebat ab ostio Savi juxta Pannoniam, & Liburniam, ad Dalmatiam; cui ab Occidente confinis erat in *Scardo* Monte; ab Austro Macedoniæ contermina ad montem *Orbelum*; ab ortu tangebatur Thraciam usque ad Flumen *Ciabrum* (quod juxta Ptolemæi descriptionem, respondet potius *Jetero*, *Isker* dicto, quam *Cibritzæ*, dum *Ciabri* ostium ponit medium inter ostia *Alutæ*, & *Rhabonis*, hodie *Schili*) inde Inferiorem MOESIAM, toto *Ciabri* alveo: a Dacia septentrionem versus sita, limen Superioris MOESIÆ Danubius, sive *Ister* erat. *Rhodope* porro est mons Thraciæ porrectus ad Macedoniam usque; *Orbelus* autem mons extremus Macedoniæ; denique *Hæmus* Thraciam ab Inferiore MOESIA dirimit.

§. II.

Alia Partitio MOESIÆ.

Longè adhuc notabilior MOESIÆ partitio facta est temporibus Aureliani, quam Vopiscus in Aureliano sequentibus indicat: „ Cum „ vastatum Illyricum, & Moesiam deperditam videret, Provinciam trans „ Danubium Daciam, a Trajano constitutam, sublato exercitu, ac Provincialibus, reliquit, desperans, eam posse retineri, abductosque ex ea „ populos in Moesia collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ nunc „ duas MOESIAS dividit. „ Ex his conficitur, duplicem olim in MOESIA Daciam fuisse, Provinciam, nimirum Ripensem, & Mediteraneam, quæ ad Sclavorum usque tempora appellationem hanc habuere.

§. III.

Cur MOESIÆ fines incerti?

Porro quibus prædictæ Provinciæ limitibus continentur, obscurum adhuc, incertumque est, cum Romani Scriptores eo super argumento pauca, & hæc ipsa ambigue adeo scripserint, ut nonnunquam Oedipum

re-

requiras ; conjecturis vero minimum tribuendum arbitramur. Id manifestum videtur, non alio referendum elegantissimum Divi Paulini Propempticon ad Nicetam, in Novam Daciam, prout Pagiana Critica habet, revertentem, quod sic sonat:

Te Patrem dicit plaga tota Boreæ;
 Ad tuos fœtus Scytha mitigatur;
 Et sui discors, fera, te Magistro,
 Pectora ponit.
 Et Getæ currunt, & uterque Dacus
 Qui colit terræ medio, vel ille
 Divitis multo bove pelleatus
 Accola ripæ.

§. IV.

Urbes MOESIÆ.

QUOD autem harum Regionum Urbes, & reliqua hujusmodi Ornamenta attinet, vix est, quod in medium afferamus, præter nomina. Porro Oppida in Mediterranea MOESIA præcipua fuere: *Aureus Mons, Martis-Castrum, Mediana, Naissus, Pincum, Romatiana, Uspianum*: ad ripam autem Danubii, Oramque Ponti Euxini: *Ægissos, Augusta, Axiopolis, Cium, Dionysiopolis, Durosteron, Istropolis, Marcianopolis, Mesembria, Nicopolis, Sucidava, Tomi, Tricornium, Viminacium*, aliaque complura, Romanorum munimenta, suis cum viis, ordine pulcherrimo, digesta, quorum ruinas apud Marfillium in Prodomo, ad opus Danubiale, signatas reperies. Præ reliquis memoratarum hic loci Civitatum memoriam sui petunt: *Sigidunum, Augusta, Mons Aureus, Tricornium, & Viminacium. Sigidunum*, vel idcirco *Belgrado* respondere existimo, quod *Dunum* Celtis, aut Græcis montem significet, nec in Ripensi MOESIA alteri præ *Belgrado* munitioni ea denominatio conveniat; tum quod Pannoniæ vicinum esse debuerit, cum Ammianus Libro II. existimarit, ob eam propinquitatem, Jovinianum Imperatorem, Varoniano Comite natum fuisse Sigidone in Pannonia. *Augustam* MOESIÆ cenfeo fuisse illam, quæ hodie *Semendria* est, cum ætate Romanorum,

has

has Regiones obtinentium, intra *Singidunum*, & Flumen Moravam nulla Civitas munitior fuerit, clariorque. Visitur in hujus Flumentanæ Portæ latere sequens Inscriptio :

GENIO LEGI - III - E - ODNN - - DIOC - JANI - -
 AUG - - UREL - - MAXIMI - - JUS - EX - PRÆF - - LEG - -
 EJUS - DEN - - - VOTUM POSU.

Legit hæc ita P. Timon, ut commode crasæ vetustate literæ suppleri possint ; sic autem interpretatur mancum opus : „ Genio Legionis ter-
 „ tiæ, & Genio Domini nostri Diocletiani Augusti Aurelius Maximia-
 „ nus Expræfectus Legionis ejusdem votum posuit. „

Addi huic meretur altera, incisa petrosæ ripæ, quasi cuidam Tabellæ, quam utrinque sustinent Aquilæ, estque hujusmodi :

IMP. CÆSAR. DIVI NERVÆ. F.
 NERVA. TRAJANUS. GERMAN. PONT. F.
 INDUSTRI. PATER PATRIÆ.

Valor horum est : „ Imperator Cæsar Divi Nervæ Filius, Nerva,
 „ Trajanus, Germanicus Pontem fecit Industrius Pater Patriæ. „

De Oppido *Tomis*, principio Ecclesiæ multo Christianorum sanguine resperfo, attigisse juverit : fuisse illud non procul *Istropoli* adsitum Ponto, in eoque Vatem Nasonem tumulatum. Extat hujus rei testimonium apud Eusebium in Chronicis, qui mortem insignis illius Poëtæ refert ad Annum Christi XVII. Confutantur proinde, non modo qui ajunt Ovidium sepultum esse Sabariæ, decepti, haud dubie, ejus epitaphio, isthic ad Annum Christi MDCVIII. reperto, quod more Romanorum aliquis amicorum imposuerit honorario laudatissimi illius (modo Castior fuisset) Vatis monumento ; sed etiam illi, qui Temesvarino obitum illustris ejusdem exulis attribuunt, affinitate, ut mea fert opinio, nominis *Tomisvari*, & *Temesvari* decepti. Quomodo vero inscriptas sex versibus res gestas, obitum, & sepulturam Nasonis exprimentibus Lapis trans omnia Istri ostia ad Chiliam delatus sit (ibi enim a Stephani Poloniæ Regis Comitum uno curiosiore Anno MDCLXXXII. repertum esse constat) non proditur. Dici potest : Chiliæ perinde, ac Sabariæ ab amicis positum fuisse Ovidio monumentum, aut eo *Tomis* translatum sepulchrale Saxum. *Truornium* Ptolemæus locat ad Ostia Moravæ amnis, quem *Moscibium* vocat, Strabo

Mo.

Moschum. *Montem aureum* sola conjectura probat oppidum fuisse auriferum cuiusdam monti cohaerens, *Ramaeque* (*Ram* dictae) attribuendum ejus positum, supra *Viminacium*, in ruderibus ab Accolis quaerendum.

CAPUT QUARTUM.

DE DACIA.

§. I.

Unde nonnulli deducant DACIAM?

DACIAM olim DANIAE, sive DAVIAE nomine appellatam fuisse, pluribus contendit Zamascius in *Analectis Lapidum Daciae antiquae*; eo potissimum nixus argumento, quod pleraque Ptolemæi loca, huic Provinciae assignata, in *Dava* desinant, prout sunt: *Comidava, Sargidava, Singidava*, & hodierna *Dava*: tum quod ipsi Danubio a Danis nomen inditum esse videatur. Subdit his tandem veterem inscriptionem in Ostrohienfi vico repertam, quae sic habet:

AUL . . CRIS . . .
 VOLT
 LORUM INJURIA ET
 HIS VIOLENTIA
 DIRUPTUM POPULO
 PLEBIQ SERGIDA
 VENSI RESTITUIT.

§. II.

Refellitur eorum opinio.

Mihi, quod parum firmis conjecturis hisce in contrarium opponam, non suspetit, praeter Ludovici Schönleben in *Carnia Antiqua Capite V. §. II.* testimonium, qui Danos ad mare Germanicum olim sepositos fuisse autumat, appellatione a Mercurio adscita, qui, teste Cluverio, Germaniae Libro I Cap. XXVI. gentibus illis *Dan* dictus est; tum quod ex

PARS I.

C

illis

4468F.5.

illis terminationibus *Dava*, & *Dana*, in quas definebant complura veteris DACIÆ Oppida, confici duntaxat videatur, DACOS eosdem cum Sarmatis fuisse, cum exitus illi vocum Sclavonicis nationibus sint admodum familiares. Huc facit, quod notavit Plinius Libro IV. Cap. XII. iniquens : Getæ, Daci Romanis dicti sunt ; Getas vero modo Sarmatas, modo Sauromatas passim legas nominari. Equidem prior Plinio Strabo Libro VII. ita testatum reliquit : „ Fuit & alia Regionis divisio, ex antiquis permanens temporibus. Alios enim Dacos, alios Getas appellant ; Getas quidem, qui ad Pontem in Orientem vergunt ; Dacos autem, qui in oppositione versus Germaniam, & ad Istri fontes, quos olim Davos vocatos esse reor ; ex quo apud Athenienses Davorum, & Getarum nomina servilia &c. „ Sed non audiendum hoc loco Strabonem plures contendunt, vel ex eo Capite, quod Ovidius, qui suo in exilio didicerat Geticum, Sarmaticumque idioma, quique sæpe Getas habet pro Sauromatis, nusquam Germanici sermonis faciat mentionem. Quare Strabonis error in eo quoque fuit, quod eodem sermone usos fuisse scribat DACOS, quos vult ad Istri fontes habitasse, & Getas, quibus assignat sedes ad Pontum, Orientem versus ; perperam & populum dividendo, qui unus, idemque erat, & idem idioma tribuendo Germanis, ac DACIS, reclamante cæterorum Scriptorum torrente.

§. III.

Bellicæ DACORUM Vices.

SED jam ad certiora mentem revocemus, & Sextum Rufum imprimis, Provinciæ hujus Trajanæ amplitudinem, fatumque paucis perstringentem, audiamus ; Sic autem habet : „ Trajanus DACOS sub Rege Decebalo vicit, & DACIAM trans Danubium in solo Barbarico Provinciam fecit ; quæ in circuitu habuit decies centena millia passuum : „ sed sub Galieno Imperatore amissa est, & per Aurelianum, translatis exinde Romanis, duæ DACIÆ in Regionibus Moesiæ factæ sunt. „ Attingit hoc loco Sextus bella DACORUM cum Romanis, quæ fufius profequi operosum, nec instituto nostro proprium foret. Sane vel unus Cotiso, DACORUM Princeps, eo progressus armis est, ut Romæ trepidatum esse prodiderit Horatius Libro III. Ode VI. Repressit, at non elisit belli-

bellicosissimæ gentis ferociam Cornelius Lentulus, de tribus DACORUM Ducibus victor; prædiis majoribus ripas Danubii communivit Augustus, ne illico, ac flumen illud riguisset glacie, infesti ruerent Romanas in ditio- nes. Accessit quietis, & commodi quiddam a Cæso quoque Boëribista Rege, profligatisque per Vibium Sauromatis; quin tamen diuturna esset Possessio occupatæ DACIÆ Ripensis. Nam rerum potiunte Tiberio, aliisque novem, sese excipientibus Imperatoribus, per continuos octogin- ta annos defluebat Romana res, dum eam denique perderet ignavia Domi- tiani. Objecit is suorum pauculos Regi DACODUM Dorpaneo; qui- bus, internecone deletis, Domina univrsarum ferme gentium facta est tributaria DACORUM.

§. IV.

Trajani Imperatoris monumenta.

FAcit ad horum fidem insignis columna in memoriam Virtutis Trajani erecta, hodiedum Romæ spectabilis, ad cujus fastigium intus per CLVIII. gradus in modum cochleæ perpetuo gyro excitatos ascenditur, uti refert eruditissimus Ciampini in veteribus monumentis, ubi accuratam quoque hujus Columnæ descriptionem subnectit. Quod autem prodigio- sum illum Pontem concernit, quem Trajanus Danubio imposuerat, ut exercitui iter ex Moesia in DACIAM pateret, tunc aliquid in medium- afferetur, cum ad ejus vestigia, Marfillio præeunte, defluet sermo. Inte- rim satis fuerit testem Romanæ Majestatis Inscriptionem adjicere, quæ præ- fatæ moli inscripta legebatur:

PROVIDENTIA. AUGUSTI. VERI. PONTIFICIS.
VIRTUS. ROMANA. QUID. NON. DOMAT.
SUB. JUGUM. ECCE. MITTITUR. DANUBIUS.

§. V.

Partitio, Fluvii, & fines DACIÆ. Item quis Danubius, quis Ister?

CÆterum DACIÆ, Lacunosam quoque Jazygiam, seu Jazyges Me- tanastas, qui improprie DACI dicti sunt, complexæ, fines fuere: ab Oriente Pontus, ab Occidente, & Meridie Danubius, a Septentrione

partim Carpatus, partim Tyras fluvius, qui nunc Niefter audit. Paulo diversos ab his limites DACIÆ constituunt alii, nempe ab occasu Tibiscum, a Meridie Danubium, usque ad Axiu, inferioris Moesiæ Oppidum; ab Ortu Moesiam inferiorem, a qua distrahebatur Istro flumine usque ad Dinogetiam Oppidum: juxta quod *Hierasus* (*Prutbus*) amnis Istro miscetur, Ortus in vicinia fluvii Tyræ, ac a Borea Orientem versus tendens; denique a Sarmatia, extrema Carpati juga, & Flumen Tyram. Præter hos, censēbantur celebriores DACIÆ fluvii *Patissus*, alias *Tibissus*, vulgo *Tibiscus*, in quem *Marisus*, id est, *Marusius* incurrit, Occidentem petens. *Aluta* deinde & *Sargeria* (fors idem, qui *Strajus*) Abitus (hodie *Cserna*) *Catarbabon*, interdum *Rbabon*, *Silo* respondens. *Tibiscus* fontes habet in Carpato, quemadmodum etiam primum retinens *Aluta* nomen; sed hic interfecans mediam DACIAM infra *Ciabrum*, Moesiæ non postremum amnem, infunditur Istro; *Tibiscus* ad Salankemenum Danubio. Per Occasionem, discreti hoc loco Danubii ab Istro juverit utrique huic nomenclaturæ metas constituere. Jam vero ne propositæ brevitatis obliviscamur, quod communius inter eruditos est, amplectimur; existimantes: ab ipsis fontibus ad usque Trajani Pontis rudera dicendum Danubium; Istrum inde, dum desinat in fluminibus facere numerum, absorptus Euxino.

§. VI.

Incolæ DACIARUM.

DEsriptæ hucusque DACIARUM Provinciæ Incolæ præcipui fuere (præter Jazyges, quos Ptolemæus Tibisso, Danubio, Sarmaticis Montibus, & Carpato claudit ita, ut geminas potissimum Urbes, *Gormanon*, & *Partiscum* infiderent) DACI primum ipsi, tum *Anartes*, *Bassarni*, *Bessi*; Ptolemæo *Bioffi*, *Carpiani*, *Getæ*, *Jassi*, *Sarmatæ*, quin imo & *Transylvani*, sive *Transalpini* memorantur, quos exul Ovidius sub Metereæ turbæ nomine a Græco *ΜΕΤΩΡΕΙΟΣ*, hoc est, Transmontanus (prout Zamoscus in Antiquit. DACIÆ Cap. VIII. interpretatur) mutuo enumerat, dum Libro II. Tristium canit:

*Jazyges, & Colcbi, Metereaque Turba, Getæque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.*

§. VII.

Illustriores DACIÆ Civitates.

Civitates non paucas, atque reliquis vicinarum Provinciarum haud inferiores, isthic a Romanis olim exstructas fuisse testantur Aquæ-ductuum, Arcuum triumphalium, Fanorum &c. rudera, & inscriptiones, Numismata, & cætera id genus vetustatis monumenta, passim reperienda, quorum complura in Analectis suis Zamoscus Antiquariorum industriæ commendavit. Quanquam & hæc quibusdam in locis sive temporis, sive hostium injuria, non secus ac in Græcia denique interierunt. Præter Civitates, jam a nobis e Ptolemæo relatas, tres adhuc, eæque illustriores, indicandæ supersunt, videlicet *Apulum*, *Amia*, & *Ulpia Trajana*; quarum ultima non tam una Civitas, quam plurium in unam conflatarum series videri poterat, tum ob appellationum multitudinem, quibus variis temporibus donata est, utpote quæ modo *Sarmiza*, modo *Ægetbusa*, rursus junctim *Sarmizægetbusa*, interdum cum diphtongo *Sarmizægetbusa*, denuo *Augusta Dacica*, demum *Ulpia Trajana* dicebatur; tum vel maxime ob nobilissima veteris magnitudinis rudera, ut si quæ alia unquam, hæc certe Colonia Magnificentiam Romanam summo quondam studio sit æmulata.

§. VIII.

De Sarmizægetbusa, Petovio, Valmerio.

Amplissima Urbis hujus (*Sarmizægetbusæ* puta) quidam existimant Patrem fuisse Regem Ægeum, a quo & nomen traxerit *Ægetbusæ*. Mihi vero similius opinari videntur, qui natales ejus referunt ad *Sarmizem* Regem; eo quod Sententiam suam repertis aliquot in Transylvania Nummis, *Sarmizis* Regis nomine inscriptis, confirmant. Trösterus in Geographia Transylvaniæ Auctor est, fluvium *Sargetiam* (Strigo nomen est hodie) interluisse Urbem istam. Non perinde exploratus est situs ejus. Nam Geographorum nonnulli *Vârbeliensis* in solo eam stetisse existimant; alii *Gradişæ* respondisse volunt; quidam, ac hos inter Princeps Zamoscus, vallem *Hâtzegiam* occupavisse contendunt. Rudera sane patrocinantur omnibus, quæ cum admodum diffusa, & majoribus distracta spatiis in præ-

dicta præsertim valle sint, quam ut unius Urbis ambitu aliquando contenta fuisse credi possint, plurium Oppidorum *Sarmizagethusæ* vicinorum, & inter hæc *Sergidavæ* (aliis *Singidavæ*) tenues reliquias esse non abs re putes. *Petovii* tamen cujusdam, ac *Volmerii* infra confluum Sargetiæ, & Mari positum Zamoscus non satis firmo fundamento superstruxit. Quis enim vetat dicere, Virum eundem, qui *Apri Lustralis Coactor* erat in DACIA, fuisse una Curatorem Civitatum *Petoviensis*, ac *Volmeritanæ* in alia Provincia Sitarum? Itaque infirma est inscriptio Tordensis ad adstruendam Opinioni Zamoscianæ fidem; imbecillius Epitaphium Crescentis, & Floræ, ab insigni illo Veteramentario in lucem protractum. Nam, quia non erat moris apud Romanos, exprimere locum in Epitaphiis, si quis ibi finivisset, ubi agebat vitam; ad fidem Epitaphii mortua est *Petovii* Flora, post actam in DACIA vitam; at vel hinc *Petovium* extra hujus Provinciæ fines ponamus, oportet. Nihilominus majoris efficaciam est conjectura Urbis *Volmerii*, a Valamiro, prisco Rege, cognominatæ, a quo juga quoque montium dicta sint, qua eluctatur amnis Sargetia; siquidem hisce montibus appellationem adhæsisse a Valamiro, famoso Gotho, propius fidem est. Sed de his abunde.

§. IX.

Reliquæ Civitates DACIÆ.

Reliqua e Ptolemæo, aliisque Geographis decerpta Veteris DACIÆ Oppida, quibus quærenda sint in ruinis, non minus exercent Eruditos. In *Tordam* abiisse *Salinas*, *Apulum*, in *Albam*, olim *Juliqm*, modo a novo Conditore CAROLO VI. Augusto *Carolinam*, consentiunt plerique omnes; qui ne longius recedant a posito Ptolemæi *Patruissæ* *Claudiopolim*, *Samos-Ujvarum* *Napucæ* successisse consentiant, est necesse. *Zamosius*, & nonnulli alii *Zermizargam*, aut *Patroissam*, vel *Coloniæ-Perendanesorum* non male putant congruere *Zlatnæ*, *Devæ Taros*, sive *Tiriscum*, aut *Decidavam*, *Descbio Dociranam*, aut *Comidovam*; *Scbegesváro*, *Marcodanam*, *Cibinio Ziridanam*, *Annium Emmedino*, si quod tamen unquam existit, *Annium*, & *Decidava*, quorum Veteres non meminerunt. Joannes Maginus affigit *Ulpium Bistricio*, *Rbuconium* Carpati radicibus, ad extremum sedis Bistriciensis, vel Provinciæ Doboczen-

sis

sis pagum, quem *Radnam* appellant; ubi indicia quædam & Oppidi, & Aurariarum; quas ad annum MCCXLII. fædasse Tartari perhibentur XL. millium metallicorum Cæde. Perticinas loco huic fauces montium irruerunt iidem populatores ætate hac quoque, anno puta MDCCXVII. ne tamen univërfa præda, quam collegerant per Ungariam, ac Transylvaniam, potirentur, intercessere Maramarosiensis Provinciæ Incolæ. Magino ad Alutæ ostia *Amutrium*, & propter eundem amnem *Augustam Prætoriam* signanti insistes, si hanc ad *Kézdi-Vasarbelinum*, illud ad *Mikovárum* constituas. *Zeugmati* nondum ullus definivit locum; nisi quod Cellarius ponendum existimet ad Marusinum, vel Sargetiam, antequam Marusio illabatur. Ad acuendum ingenium eruditionis amantium, florentiorum DACIÆ Oppidorum nuda duntaxat a Geographis nomina exscribimus, ut iis per otium suo quivis iudicio definiat sola. Sunt autem, ultra jam memorata, fere sequentia: *Acmonia*, *Aquæ*, seu *Hydata*, *Arcobadara*, *Argidana*, *Augustia*, *Carfidana*, *Dierna*, *Drupbegis*, *Lizisis*, *Netindana*, *Paloda*, *Pbrateria*, *Parolissa*, *Pinum*, *Pirum*, *Regia*, *Rbamidana*, *Sornum*, *Tiasum*, *Tibiscum*, *Tripbulum*, *Ulpianum*, *Ziridana*, *Zuribara*, *Zusidana*.

§. X.

*De bellis in DACIA gestis; nova ejus per eam
Occasionem divisione; viis publicis, Coloniis
Romanis.*

DE bellis in DACIA gestis, stratis ad commode cõmmeandum viis publicis, debellatorum hac in Regione per Romanos populorum opibus, instructis eorundem Romanorum Municipiis, & Coloniis, atque Religionibus, prolixior deberet institui narratio, nisi proposita operi brevitatis reclamaret. Campus a Cruce *Keresztes-mezö* nominatus, priorem de Decebalo, Dacorum Principe, dedit victoriam Trajano, sane quam cruentam; quando ad alliganda militum læforum vulnera suammet Imperator vestem discidisse fertur. Non diu quievit Dacus, quem e fuga retractum precario vivere passus est Victor, si indoctus ferre jugum Princeps barbarus, ausus quiddam moliri fuerit in vitam Trajani; a quo iterum bello pe-

titus,

titus, ac prælio fractus, ne in offensi potestatem veniret, sibi ipse violentas intulit manus. Inæstimabiles ea victoria peperisse Romanis fertur opes, quamvis has ad solas æris venas, non sat probabiliter restringat Kölesérius. Hanc ipsam per occasionem in Provinciam abiire DACIÆ tres in Regiones, *Ripensem*, Danubio adlitam, *Alpestem* sive *Transalpinam*, & *Colliam*, ac *Mediterraneam*, id est, Transylvaniam. In Colonia præcipuæ erant *Ulpia Trajana* in solo *Sarmizagethusano*, *Apulensis* in *Albæ-Carolinæ*; *Zernensis* in ripis ultimis Danubii juxta *Severinum* ad Pontis Trajani custodiam; *Aquarum-Vivarium*, teste Trösterö, ad vicum *Arany-kút* vocatum; *Perendancesiorum*, ex mente Auctoris Veteris DACIÆ, quæ lucem aspexit Claudiopoli anno MDCCXXV. in Campis *Zlatnæ*; denique *Sexta Trajana*, quam Civitati *Claudiopolitanæ* respondere, saxa ipsa, flumentanæ ejus portæ, & Asceterio-Scraphicorum Patrum apposita loquuntur. Municipium hic quoque Romanum erat, quod ad annum usque MDC. *Colufum*, & *Cluscbum* dicebatur. Viarum publicarum sola nomina retinens. Unde vero, & quibus ab Auctoribus *Annia*, *Cassia*, *Clodia*, *Geminia* nomen traxerit? in medio relinquimus. De Religione Christiana, in aditas Ponto Regiones illata, illud notasse sufficiat: quod sicut Asiatici Scythæ Christum didicerunt a Sancto Andrea Apostolo; ita Europæi ab ejusdem Germano Petro, quemadmodum eruitur ex ejus epistolæ primæ initio. Divinum hoc Semen multiplicatum est obtinentibus DACIAM Romanis, ut jam anno salutis CCCXXV. haberent Scythæ, Gothique Episcopus, quos Nicenam ad Synodum ablegarent. De Niceta, Armeniorum Apostolo, & Romatiano, Præsule Sanctissimo, plura discas e Pagii Tom. II. ad quem te remitto.



CA-

CAPUT QUINTUM.

DE ILLYRICO.

§. I.

Divisio, & Fines ILLYRICI.



Acia si non fitu, at certe dignitate merito succedit Provincia ILLYRICI, quin imo terrarum amplitudine priori præstare videtur. Pro finibus enim, florentis Romanæ Monarchiæ temporibus, ab Oriente *Drilum* fluvium, qui nunc *Drinus*, una cum *Scardo* monte; ab Occidente extremam Italiæ Regionem, nempe *Istria*, a qua per *Arsiam* fluvium fecernebatur; a Septentrione partim *Savum*, partim *Pannoniam*, ac denique a Meridie mare *Adriaticum* habuit. Hinc longitudinem ejus commendat Plinius Libro III. Cap. XXVI. dicens: „ ILLYRICI longitudo a flumine Arsia ad fluvium Drilum DCCCM. sive, prout e Manuscriptis a Cellario emendatur IOXXXM. hoc est circiter XC. Germanica Milliaria, cum latitudo vix ad XX. milliaria, itidem Germanica, extenderetur. Plurimas Regionis hujus divisiones legere est apud Auctores. Insigniorem quatuor potissimum populi, qui diversis eam locis incolebant, fecere; nimirum in *Japidia*, *Liburniam*, *Illyrim*, proprie dictam, & *Dalmatiam*.

§. II.

Limites & incolæ JAPEDIAE.

JAPIDIA per *Arsiam* ab *Istria*, a *Liburnia* per *Tedavium*, nunc *Zermagnum*, determinabatur; eamque in *Maritimam*, quæ ad *Adriaticum*; & in *Montanam*, quæ ad *Alpes* porrigebatur, divisam occupabant *Japides*, ex *Cattis* oriundi. Quippe *Alpes* olim transgressi circa *Timavum*, & *Alpium* extrema, sive ad *Albium* montem confederant.

§. III.

De LIBURNIA.

LIBURNIAM populi a Tedavio ad Titium usque post Diomedem Regem (de quo meminit Lucius in suis fragmentis) provincia potiti, & mare a se *Liburnicum* postea compellatum, proinde *Flanaticum* quoque *Sinum*, Veteribus celeberrimum, obtinebant. Horum subinde naves Actiaco in Prælio tam fortiter rem gessere, ut Romani Imperatores suas deinceps *Liburnicarum* nomine insigniverint; quod Vegetius apud eundem Lucium de Regno Dalmatiæ Libro I. Cap. V. testatum reliquit.

§. IV.

De ILLYRIDE ac DALMATIA.

ILLYRIS proprie dicta, quæ media postmodum ætate CHULMIA audiit, *Narone*, seu *Narenta*, *Drilone*, id est, *Drino* fluminibus claudabatur. DALMATIA vero, sive DELMATIA, a *Dalmirio* (alii *Delminium* vocant) potente olim Civitate, quæ contra Gentii Regis tyrannidem prima insurrexerat, nomen mutuata, eum terræ tractum, qui inter *Liburniam*, & *ILLYRIM* reliquus manserat, primum comprehendit; tum variis bellorum casibus dilatata; Augusti tandem tempore a Romanis penitus subacta, ad *Drinum* usque, sublato ILLYRIDIS nomine, sese extendit, ac una cum *Liburnia*, quæ pariter *Japidia* (hodie *Morlaciæ*) nomen suum contulit, ILLYRICUM, ab eodem Augusto definitum, constituit. Ut enim ILLYRICI nomine decem & septem Provincias complexi fuerint Romani, prout testatur Auctor Notitiæ utriusque Imperii, & Rufus in Breviario Cap. VIII. deinceps certe per ILLYRICUM *Dalmatiam* potissimum & *Liburniam* designarunt. Plinius Libro III. Cap. XXI. & XXII. aliam addit ILLYRICI divisionem, in tres scilicet Conventus Juridicos: *Scardonitanum*, *Salonitanum*, & *Narotinanum*. Nonnulli rursus aliam in ILLYRICUM *Superius*, & *Inferius*, fors omnium vetustissimam; quorum priori ILLYRICUM proprium cum *Dalmatia*; Posteriori vero *Liburniam* cum *Japidia* attribuerent. Lucius tandem de Regno *Dalmatiæ* Libro I. Cap. VI. postremam distributionem suggerit, in *Cis-montanam*, & *Ukra-montanam*, seu *Maritimam*, & *Medi-*
terra-

terraneam, ad instar Norici; atque hanc, uti & Provinciarum ILLYRICI *Occidentalis* nomina sub declinantis Imperii tempora cæpisse contendit.

§. V.

De Oppidis, & Insulis ILLYRICI.

CÆterum ILLYRICI ora, ob bella, cum Romanis gesta plurimum inclaruerit nacta inter reliquos nobilissimum Romanæ Historiæ Scriptorem Appianum Alexandrinum; cui addi potest Appianus alter, Joannes Lucius, Nobilis Traguriensis, sæculo priori antiquitatum, siquis unquam, Scriptor accuratissimus, quo potissimum Duce hanc qualemcumque elucubrationem nos persecuturos confidimus. Quibus autem Urbibus, Portubus, ac Insulis amplissima hæc Magni Regni portio nobilitata olim fuerit, ex iis, quæ de recentioribus, ab eorum quasi cadavere enatis, adferemus, Lector conjiciet. Cis fluvium *Arfiam Albona*, hodie *Albona*, tum *Flavona*, & *Tarsacia*, *Velcera*, & *Senia* in Oppidis olim erant præcipua. Quod Insulas attinet, innuisse hoc loco sufficiat: ILLYRICÆ oræ Insulas in tres veluti Classès fuisse distributas, nimirum in *Abfyrtidas*, *Electridas*, & *Liburnidas*, uti legere est apud Schimnium Chium, qui CL. annis ante Christum floruisse dicitur; cujus Oram Maritimam, Nicomedi, Bithyniæ Regi, inscriptam, atque a Luca Holstenio latine redditam, sæpe laudatus Lucius Libro I. Cap. II. legendam exhibet.

§. VI.

Qua Occasione ILLYRICUM migraverit in Sclavoniam.

INter varias rerum conversiones, factas in ILLYRICO, non postrema est, quam causerunt Sarmatæ Sclavi anno post ortum Christi DXLVIII. Suis effusi sedibus, magnisque itineribus per Jazygum Metanastarum plagas, ac veterem Daciam in ILLYRICUM delati. Describit hæc Procopius Libro II. de Bello Persico, & ex eo Spondanus in hæc verba: „ Additum ad alia damna, ut Sclavinorum exercitus, transmissis Istro, ILLYRICUM occupavit, quæ postea ab illis Sclavonia dicta. „ Repetere invasionem regionis hujusce biennio post, plurimamque subegere. Ne autem

tem diutina fruerentur pace, armorum cum Chagano, Hunnorum Rege, societas efficit. Incidit hoc, Spondani, ac Theophanis calculo, ad annum Christi DXCIII., quo Priscus, Mauriti Imperatoris Copiarum Ductor, injuriis Chagani laceffitus, trajecto Istro, intempesta nocte, in Sclavorum conditionem irrupit, excubias fudit, aut delevit, Ardagasto ipso, Sclavorum Duce, ægre captivitati, aut neci subducto. Si fides Simocattæ, prior pacis ruptor Priscus erat, in quem idcirco, & Mauritium gravi oratione invehitur Chaganus, quam videre licet apud P. Samuelem Timon e S. J. in Imagine antiquæ Hungariæ; armis quoque ad annum DC. egregie ultus est injuriam, valuitque hæc expeditio ad ulteriorem ILLYRIDEM, Istriam, ac fines Italiæ, Chagano, Sociisque Sclavis subdendos. Eadem incurfione in Sinus Dalmaticos penetraffe Sclavos, D. Gregorius Papa, & Paulus Diaconus testatur, de quibus nos fusius suo loco.

LIBER SECUNDUS.

Variæ conversiones Regionum Hungariæ a Romani Imperii declinatione usque ad proprii Regni Institutionem.

P R O Æ M I U M.



Rovinciarum utriusque Imperii nomina, sub Constantino Imperatore constituta, usque ad septentrionalium Gentium in has terras commigrationem perseverasse, plerique consentiunt; quæ vero ab earum adventu Regnorum, ac Provinciarum nomina, quæ distributio fuerit? vix aliquis definiverit: adeo profundis præclarissima illorum temporum gesta, ob summam Scriptorum inopiam, involuta sunt tenebris. Hinc facile amicus Lector cognoscat, quid a nobis, succidui duntaxat temporis abortus promentibus, sit expectandum. Ne nihil dixisse videamur, juverit pauca de originibus variarum Gentium, de quibus apud Pannonicos, Dalmaticos, ac Byzantinos, Mediæ, ut vocant, ætatis Scriptores sermo frequentior, in medium adferre; dein de earundem Gen-

Gentium variis migrationibus, dum in rem nostram fecerint, breviter indicatis, tandem pauca inde, velut e præmissis, de ipsarum Regionum mutationibus deducere.

CAPUT PRIMUM.

ORIGINES VARIARUM GENTIUM.

§. I.

De ALLEMANNIS.



LEMANNI, seu verius ALLEMANNI, Auctore Boëtio de consolatione Philosophiæ Libro I. Metro V. dicti sunt ab ALL, & MANN, quasi multitudo hominum, undique collecta. Eadem Cluverio Sententia est, Germaniæ Antiquæ Libro III. Cap. IV. ubi Taciti, aliorumque probatorum Scriptorum testimonio nixus, ALLEMANNOS immerito cum Germanis misceri; cum sint Gens e variis Celticis Nationibus (quo nomine nihil apud Geographos antiquius) conflata; quæ in Germaniam transgressa, stationem inter Moenum, Danubium, & Hermunduros, a Marcomannis desertam, occupavit. Inde vero, post Attilam, Romani Orbis Dominum, circa annum Æræ Christianæ CCCCLIV. e vivis sublatus, Rugiis, Herulis, Thuringiis, aliisque Germanicis populis sociata, in Rhætiam, Noricum, Pannonias &c. successerit; uti discere est ex vita Sancti Severini, ab Eugippio, Abbate Luculanensi, qui obiit circa annum DLXXVIII. conscripta, & primum a Velfero, deinde a Canisio Tomo VI. Antiquit. Lectio. ac tandem a Bollandi Tom. I. Pag. 484. in lucem edita.

§. II.

De ARMENIS.

ARMENOS, quorum non pauci hodie Hungaricas terras, præcipue Valachiam, & Transylvaniam insident, ex Oriente advenisse, nemo negaverit. Id unum hoc loco animadvertere volupe est: Scriptores illos,

qui de migrationibus Gentium scribentes, cunctas ex Armeniæ finibus in universum Orbem traducunt, minime aberrare; cum constet Noëmicam Arcam, qua genus omne claudebatur hominum, in Armeniæ montibus confedisse. Verum quis non videt, hoc idem esse, ac cum Poëtis ad Trojanum equum recurrere?

§. III.

De AVARIBUS.

AVARES, Scytharum gentem esse, omnium pene veterum Scriptorum testimonia declarant. Atque hinc etiam Velferus Rerum Boicarum Libro II. tanquam nugatores redarguit, qui Baviaræ nomen ex Bois, & Avaribus componunt, cum hi Celtica, illi Scythica Natio fuerint, & raro duo populi æque pertinaciter, atque illi, se odiis exercuerint. Qui autem ab Hunnis, quibus permixti in Europam pertruxerunt, discerni queant, aperte docet Jornandes, Ravennensis Episcopus, qui vixit sub Juliano Imperatore: „ Hunni, inquit, quasi fortissimarum Gentium foetidissimus Cespes, in bifariam populorum rabiem pullularunt; nam, „ alii Avulziagri, qui æstate campos pervagantur effusos, sedes habent, „ prout armentorum invitaverint pabula, Hyeme supra mare Ponticum, „ se referentes &c. „ Addere Jornandes poterat: Nationem illam promiscue *Humos, Avarisque*, interdum etiam conjunctim *Humo-Avares* appellatam fuisse; quin imo a Sclavis *Ugoros, & Unogoros*, a Græcis *Turcos*. Testantur id Annales varii, Eginhardus in Vita Caroli M. ac Eugenius Papa II. Dabimus hujus verba, dum mutationes Regionum persequemur. Eginhardus vero, qui aliquamdiu a Secretis erat Carolo, dum exequitur hoc bellum, disertè habet: *Quod contra Avaros, sive Humos susceptum est.* At Menander, Justinus, Evagriusque Libro V. Cap. I. Auctores sunt: **ABAROS**, e Scythica Amaxobiorum Gente prodierit, quæ in Sarracis vitam agens ultra Caucasum, a proximis Turcis aliquando Cladibus attrita, ad Bosphorum convolarit; quicumque occurrissent per oram Euxini, aut Istri ripas, populos profligarit; nuncios primum ad Justinum, Ripensi ditioni Præfectum, inde ad Justinianum Imperatorem miserit, principe Legationis Candice; quam annuis pensionibus Imperator in Societate teneret. Evenerint hæc ad Annum Christi 1064. Justiniani XXXVIII.

cui

cui anno vertente, demortuo suffectus Justinus excussit onus tributi, multaque in AVARES hostiliter egit. Decennio usus est dissimulatione Chaganus (commune hoc Principum apud AVARES nomen erat,) ut opportuniorem vindicandi se nancisceretur occasionem. Nactus eam est annum circiter DLXXIV. quo, teste Evagrio, comparatis utrinque ad prælium animis Imperatorii ne conspectum quidem Hunnorum sustinentes, incruentam iis reliquere victoriam; cuius fructus fuerit deditio Sirmii; facta ab Hunnis potestate civi perinde, ac militi, ut una nonnisi amictus tunica, Urbe liber egredi possit, cætera suppellectili victoribus relicta. Placati opulentæ Urbis occupatione HUNNO AVARES, insignem Tiberio Constantio, Justini Successori, contra Chosroem, Persarum Regem, operam navarunt. CORSO Chagano non ante pugnae, quam victoriae initium faciente. Opimam Principi huic cessisse prædam, non est, cur addubitem, quando & Chosrois DEUM, ignem, puta, perpetuum abstulit. Atque hic ille CURSUS est, a quo suum denominant aggerem Jassi seu Philisthæi Hungari, quo hodie dum Hevesiensi a Districtu fines eorum dirimuntur.

§. IV.

AVARUM cum Carolo M. bella, & ad Christianam Fidem accessio.

Volumen scribendum esset, si universa AVARUM bella, cum Mauritio potissimum, Phocaque Imperatoribus, Arnulpho, Carnorum Dynasta, aliisque in Sirmio, Moesia, & Foro-Julio, e Sententia gesta, percensere quis vellet. Stabilivere eo rerum successu sibi sedem, & consuetudine finitimarum nationum sensim mansuefacti, animos ad suscipiendam Christi legem paravere. Quo circa in erroribus ponendam puto domesticorum Scriptorum narrationem, qua contendunt e Scythia Hunnos iterum prodiisse Anno DCCXLIV. ut essent, qui in ILLYRICO, Pannonia, Daciaque Christo nomen darent sæculo vertente; quando nec ullum extat hujus rei apud diligentissimos antiquitatum indagatores indicium; nec innumeram Scythicarum Gentium, has in terras delatarum, multitudinem, avitos repetiisse Lares, aut disperiisse citra temeritatem dici potest.

Acce-

Accedit, quod cum Tassilo, Dux Bojariæ, circa annum DCCLXXXVII. Carolo Magno moliretur bellum, tot Avars, sive Hunni reperti sint in Dacia, Pannoniaque, ut duos conflarent exercitus, quos rebeli suppetias miserunt; quin imo Tassilone victo, ac una cum Theodone filio a Republicæ gubernaculis remoto, atque in DEO sacras ædes retruso, & si duo illi exercitus Hunno-Avarici, alter in Bojaria, Forojulensi alter in Marchia anno Christi DCCLXXXVIII. fuerint repressi; AVARES tamen fuismet Auspiciis Magnum illum Rei-Christianæ defensoreme laceffere reveriti non sunt. Tenuit, quod alibi notamus, hoc bellum ipsos octo annos, quo subacti tandem sunt Hunni, ut victas veritati vellent dare manus; Vectigales effecti Carolo, ut in libertatem filiorum DEI transfirent. Egit istud Religiosissimus Imperator opera præcipue Sanctorum Willibrordi, & Paulini, quem Eruditissimus ille Diaconus Libro II. Cap. X. suo nomine Paulum appellat. Repetamus hæc paulo altius. Dicitur est Paulinus Forojulensis, non tam, quod in ea Urbe natale solum fuerit nactus, de quo nihil certi, quod sciam, Veteres Codices prodidere; quam quod eo Callistus, exacto Amatore Episcopo, quem Pemmon Longobardorum Dux post Fidentinum de Castro Julieni (Zuglio) assumpserat Patriarchalem sedem, Cormonibus transfulerit. Porro cum Paulinus ob morum sanctimoniam, Carolo M. ejusque Magistro Alcuino Flacco præprimis probaretur, destinatus creditur ad fidem Hunnis, sive Avaribus, a Carolo subactis, prædicandam.

§. V.

S. Paulinus AVARUM Apostolus.

Faciunt hujus rei indicium Annales Francici a Duchesnio, Lambecio, aliisque in lucem producti; præ reliquis autem Alcuini Epistola CXII. quam legere est apud Bollandum XI. Januarii in hæc verba: „ Forte & „ harum Lector literarum talem se memorat, qualem me agnoscit in illis, „ & maxime Tu, Pater sancte, de cujus corde fons vitæ emanat, caritas, „ & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et qui hæc in consolatio- „ nem spei nostræ promisit, tui est virtus Sapientia DEI, in cujus poten- „ tia, & gratia mirabiliter de AVARORUM gente triumphatum est: „ quo-

„ quorum Missi ad Dominum Regem directi, subjectionem pacificam, &
 „ Christianitatis fidem promittentes. Et, si hoc, Divina eos prævenien-
 „ te gratia, verum est, quis se Servorum DEI tam pio, & laudabili labo-
 „ ri subtrahere debet, ut diaboli diruatur sævitia, & Christi Domini cre-
 „ scat servitium? Sed quam plurimorum in Te, Pater Optime, oculi re-
 „ spiciunt, quid Vestra veneranda Sanctitas facere velit? Quia & vicinitas
 „ locorum Tibi competit, & sapientiæ decus suppetit, & auctoritatis ex-
 „ cellentia Tibi appetit, & cuncta conveniunt, quæ tali operi necessaria
 „ esse videntur. Ideo meæ parvitas curiositas propterea hujus sanctæ rei
 „ desiderat veritatem, & Tuæ consilium deposcit prudentiæ: vel quid
 „ exinde agere tam bona voluntas deliberatum habeat, agnoscere flagitat.
 „ Opus enim arduum est, sed ipsa attestante veritate, omnia scimus esse
 „ possibile credenti, & qui de persecutore fecit Prædicatorem, & de ster-
 „ core erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus, ipse potest de arida
 „ cordis mei caute rivulos vivi fontis, & in vitam salientis producere
 „ æternam: quanto de vestro pectore abundantissima flumina Gehonica,
 „ fluentia per totam Nilotici rurs latitudinem ad fœcundandos diversi ge-
 „ neris flores diffundere valet? Audiatur obsecro per Te, unanimis Tuæ ca-
 „ ritatis filius, quid Paterna prævideat agendum prudentia. Certissimum
 „ itaque consilium salutis per os illius sperari debet, cujus pectoris septi-
 „ formis consilii inhabitator dignoscitur. „

Cum itaque his monitis animatus esset, Sanctus Præsul, minime in-
 dubium revocandum est, quin illico in vineam Domini avolarit, eamque
 excoluerit, donec, ut habet ejus Vita, a Clarissimo Muratorio, e Biblio-
 theca Ambrosiana pridem eruta: „ Rediens in Civitate Austriæ multis
 „ in vita miraculis claruit, & in morte. Ejus Corpus in prædicta Ecclesia
 „ Civitatenſi quiescit, & veneratur. „

De Sancto Willibrordo credibile est, quod circa eadem tempora in
 Dacia Romanam fidem prædicarit. Legitur enim in Weingartenſi Chro-
 nico: „ Carolus M. regnavit annos XLVII. Imperii XIV. Brema consti-
 „ tuitur, & Dacia convertitur a S. Willibrordo. „ In veteribus vero,
 maxime Bedæ Martyrologiis, passim habetur: „ Apud antiquos Saxones
 „ Sancti Willibrordi Episcopi, & Martyris. „ Quis hic Willibrordus?
 ambigit Sollerius in Auctariis ad Ufuardi Martyrologium III. Octobris,

ubi ita : „ Alium ego Willibrordum non novi, quam celebrem illum,
„ Trajectensem Episcopum, & Confessorem, qui colitur VII. Novembris.

§. VI.

Quinam fuerint BOSINENSES?

QUOD BOSINENSES media sub ætate PASINAKOS Græci dixerint, contendit Leunclavius Pand. XLIV. Pannonicorum Scriptorum plerique eosdem cum Bessis, inferioris Moesiæ incolis, confundunt. Alii probabilius a Bosna fluvio appellationem hanc derivant. Id indubitatum nobis est, Bosonæ Regionis jam olim Constantinum de Adm. Imp. Cap. XXXII. meminisse; proinde falsos esse, qui nomen hoc postrema ætate exortum suspicantur.

§. VII.

BULGARI unde dicti, & cur eorum nomine veniant interdum Albigenſes.

BULGARI, quos etiam ONOGUNDUROS, five HUNNOGUNDOS Byzantini Scriptores appellant, si Jornandi, Cromero, Jovio, Lucio, aliisque assentiri lubet, a VOLGA Septentrionalium celeberrimo fluvio, circa quem olim, teste Theophanio, Cassinensi Monacho, qui vixit Anno DCCCLV. magna BULGARIA; five VOLTARIA diffundebatur, dicti sunt. Porphyrogenitus vero, cui inter Byzantinos primas tribuo, utpote qui prope unus de cæcis illis temporibus verisimiliter scripsisse visus est, testatur de Adm. Imp. Cap. V. VIII. XXXVII. BULGAROS Patzinaticis vicinas terras, quas Danapris, & Danastris, hoc est, Borysthenes, five Dnieper fluvii permeant, incoluisse. Neque illud præterea negligendum, quod in Glossario eruditissimo ad Scriptores mediæ, & infimæ latinitatis adnotavit Dufresnius, posteriori ævo, Albigenſes hæreticos, BULGARORUM nomine indigitatos fuisse; five quod BULGARI ejusmodi erroribus maxime laborarent; five quod apud eosdem Summus Albigenſium Pontifex sedem fixisset. Porro ad errorem Albigenſium non ab Idolomania transiisse, verum a Christo defecisse BULGAROS, exploratum est, eo quod sæculis aliquot ante natam Albigenſium

sium hæresim Gens illa dederit Christo nomen, puta Anno DCCCXLVI. quod ita accidit:

§. VIII.

*De BULGARORUM ad Christiana Sacra
accessione.*

CUM diuturna essent diffidia Constantinopolitanos inter Imperatores, ac BULGARIÆ Dynastas de finibus, ipsius BULGARORUM Principis Soror aliquando in captivitatem adducta Constantinopolim est. Repetiit eam Frater Bogoris, aliamque, quia Christo per Baptismum auctoratam, quam amiserat, recepit. Prima, ac fere una reducis in Patriam Matronæ Principis cura fuit, DEO fratrem lucrari. Quare assiduo aures ejus obsidebat, susceptæ a se Religionis Mysteria tanquam divina (qualia reapse sunt) celebrando, eorum amplectendorum Fratri Principi animos identidem sufficiendo. Promovebat hos conatus Euphara Cænobita; quin tamen a ritibus Patriis recederet Bogoris ante, quam pestilentia, fameque Numen illum adurisset. Cum tota Gens malis illis premeretur, nec affligeret aliqua, ad quam sese applicaret, spei anchora; illum invocare cepit, auspicem, quem a Sorore, & Euphara didicerat omnipotentem, verum, vivumque DEUM. Nec ille invocanti defuit; pestis illico Provinciam deserit; fames sedatur, Princeps, agnita DEI veri, quem vocabat Sororium, potentia, Verbi DEI Præcones Roma expetit, a quibus Christianæ Religionis arcanis imbutus, Baptismo quoque initiatur. Nata hinc gravis incum est populi seditio, morte Principis, deserta Majorum instituta, ulcisci volentis. At Bogoris, nova, eaque domini bella gerere avidus, militem cogit, labaris Sacro-Sanctæ Crucis Signa præfigit, rebelles aggreditur, fundit, frangitque, atque saluberrimam suscipiendæ Christianæ Fidei pœnam dicit, nec gravate jam voti potitur. Insignis hæc bellicosissimæ gentis ad Romana Sacra accessio tam firma non fuit, ut non plurimi post obitum Bogoris ad Idola declinarint. Teletus certe ipse, summus BULGARORUM Princeps, Anno Christi DCCCLXXX. Constantinopolim profugus e regno, sacro fonte ablutus est; qua occasione Patriciis quoque eundem adlegit Imperator, ac Imperatricis Irenes Consobrinæ matrimonio illigatum, sibi, Imperioque arctius adstrinxit. Meminere conver-

fionis quorundam BULGARORUM, Bollandus ad diem Martii XIII. & XXII. Januarii, Curopalates, alique, factæ Anno DCCCXIII. Crummo Rege; cui, Christianæ Religionis infensissimo, cum Michaël Imperator BULGAROS, Baptismo initiatos, reddere detrectasset, bello appetitus est, quo Mesambria, & Adrianopolis in potestatem Crummi venit. In rem suam uti volens victoria Crummus, ut Adrianopoli nomen Christi deleteret, Cives omnes cum Archi-Episcopo Manuele in BULGARIAM transtulit, itaque in adversum nitens, DEI consilia promovit. Nam Adrianopolitani integram DEO fidem servantes, plerosque BULGARORUM ad orthodoxam Religionem traduxerunt, ac in plurimis BULGARIÆ locis nunquam penitus eradicanda orthodoxæ Fidei semina jecerunt. Hæc inter mors Crummi Anno sequente occupavit. Successor ejus Cutragon, persentiscens, sensim ad veri DEI cultum BULGARORUM gentem delabi; Manuelem Archi-Episcopum acciri jubet cum cæteris Adrianopolitanorum Civium primoribus, blandis primum pollicitationibus, tum acerrimis verbis, & flagris, ac illata denique uno die CCCLXXXI. Christi pugilibus nece, in herba sementem optimam nequicquam suppressere conatur.

§. IX.

Quinam, & unde dicti sint CHUNI?

CHUNOS, quos etiam THUNNOS nonnulli e veteribus dixere, eosdem cum HUNNIS esse, Auctor est Befoldus, Synop. Histor. Univerf. ubi docet: eos populos ob bellicam fortitudinem CHUNOS, quasi *die Kibne*, quod audaces, ac fortes sonat, a Germanis dictos fuisse. Hinc etiam in brevi Chronico a Duchefnio Tomo III. vulgato legitur: *Carolus Rex primum fuit in Chunia*, quo nomine nihil nisi Hunniam, sive Hunnorum Regionem intelligi, patebit ex alibi dicendis.

§. X.

De CROATIS, eorumque sedibus.

CROATÆ, propria appellatione HORVATI, hoc est, multam terram possidentes (de Corybantibus enim Archi-Diaconi, & Ritteri alibi opportunius dicetur) iidem fere sunt cum Sarmatis; quos inter etiam
BE-

BELI HORVATI, hoc est, *Albi Croatiae* ad distinctionem Rubrorum, sive Baptizatorum CROATARUM, quos Avariae partem occupasse, infra declarabimus, a Porphyrogenito collocantur; cui etiam alias Slavicorum, & Croaticorum nominum optimus Interpres Joannes Lucius Tragarientis, ubi varias de hujus gentis origine conjecturas attulit, in hæc verba subscribit Libro I. Cap. XI. „ Sed ne in re incerta amplius vagetur, „ cum CROATOS Dalmatiae partem occupasse, nomen hodiernum „ Regionis comprobet, idque nullus Scriptor, præter Porphyrogenitum „ referat, id deferendum est, etiam si multa æquivocare potuerit circa eorum „ originem, quæ ex Auctorum inopia corrigi non possunt. „

§. XI.

De CUMANIS, sive COMANIS.

CUMANI, sive COMANI, quos in ipsius Hungariae finem a Bela Rege tandem receptos suo loco memorabimus, una cum Tartaris, sive Tartarinis natio, aut certe eorum propago nobis videntur. Ita enim diferte habetur in Chronicis Sancti Medardi Svesion. Anno MCCXL. „ Quædam genera hominum, qui vocantur a quibusdam Tartarini, „ quibusdam vero COMANI, a quibusdam vero peritis creduntur esse „ Hismaelitæ, primi filii Ismaëlis, quem habuit Abraham, ex Agar ancilla sua, quos David vocat Agarenos &c. cum nimia multitudine & incredibili equitum, & peditum tam virorum, quam mulierum, Regna „ Bohemiae, & Hungariae, & Ducatum Poloniae, & quasdam alias terras „ maximas, & optimas, in illis partibus sitas, ferro, & igne devastant, „ maximas, & incredibiles cædes utrorumque sexuum tam virorum, quam „ mulierum facientes, nec alicui sexui parcentes &c. „

§. XII.

Unde dicti sint FRANCI?

FRANCOS, quorum expeditiones in Pannoniam, Dalmatiamque susceptas gentis illius Annales abunde loquuntur, ante Trebellium, & Vopiscum nemo Scriptorum norat. De horum origine, appellationeque omnium optime Cluverius Germaniae Antiquae Libro III. Cap. XX.

„ In universa hodieque Germania nemo tam infans, nemo tam rusticus in-
 „ veniatur homo, qui ignoret FRANCK idem significare, quod FREY,
 „ id est liberum. Manet in hanc usque diem vulgare apud Germanos *DIE*
 „ *FRETE FRANCKEN.* „ Inclaruit autem nomen hoc potissimum
 sub Carolo M. ex eadem gente prognato, uti clare docet Sangallensis Mo-
 nachus de gestis Caroli M. a Canisio Tom. I. Antiquit. Lect. editis, ubi ita
 scriptum reliquit : „ In illo tempore, propter excellentiam Caroli, Gal-
 „ li, & Aquitani, Edui, & Hispani, Alemani, & Bojoarii non parum
 „ insignitos se gloriabantur, si vel nomine Francorum Servorum cense-
 „ merentur. „

§. XIII.

De rebus GOTHORUM.

GOTHOS, qui in OSTROGOTHOS, & VISIGOTHOS,
 hoc est, in Orientales, & Occidentales divisi, utramque Orbis par-
 tem diripuerunt, e vastissima Scandinavia Provincia prodiisse, indicio est
 tum hodierna GOTHIA, Svecorum Provincia perampla, tum Insula
 vicina, GOTHLANDIA a Latinis dicta. Quare non immerito Re-
 centiorum plerisque minime probatur Cluverii sententia Antiq. German.
 Libro III. Cap. XXXIV. affirmantis : GOTHONES, seu GUTTO-
 NES, Germaniae populos, quos Tacitus inter *Lygios* ab Austro & *Lemo-
 vios* a Septentrione concludit, unam cum GOTHIS, qui universum
 fere Orbem oppressere, gentem fuisse. Utrum autem similiter *Getae*, gens
 una Dacicarum, ad Istri ostia seposita, eadem, vel diversa fuerit a GO-
 THIS, affirmare vix audeo. Cluverius German. Antiquit. Lib. III. Cap.
 XXXIV. Herodoti potissimum, & Strabonis testimonio roboratus,
 GOTHOS Germanicam, *Getas* autem Thracicam, aut certe Thracibus
 immixtam nationem fuisse affirmat. Schönleben ex adverso Carniae Antiq.
 Libro I. Cap. VII. §. X. Sidonii, Claudiani, Aufonii, Hieronymi, Oro-
 sii, Procopii, Jornandis, aliorumque, ut ipse quidem autumat, Optimus
 Interpres, *Dacos*, *Getas*, *Gepidas*, GOTHOS, quin imo etiam GO-
 THONES, & GUTTONES unius gentis multiplicia nomina esse,
 acriter contendit. Attamen Viri, quem inter gentiles suos plurimum su-
 spicio, pace dixerim, non satis apparere, cur prudenter affirmari nequeat,

Scri-

Scriptores, quos tanquam disertissimos sententiæ suæ patronos deprædicat, eatenus GOTHORUM, *Getarumque* vocabula promiscue usurpassè, quatenus hæ nationes unam successive stationem habuere, quemadmodum hodie dum ipsis Hungaris contingit, quos Pannonos, Dacos, Jazygasque, sæpius appellamus, eo quod gentium illarum sedes obtinuerint. Profecto nemo inficias jerit, jam olim *Getarum* nomen, cum GOTHI ad glacialis Oceani ripas adhuc obrigescerent, Græcis, Latinisque, prout ex Tomitano Vate, jam Civitate donato, abunde discere est, innotuisse; ut si leam, fidem præter cæteros deberi peritioris sæculi Scriptoribus, cujusmodi sunt Tacitus, & Dio Cassius, qui pro Cluverio aperte pronuntiant; uti legere est apud eundem loco citato. Sed nempe Historicorum est, has Controversias evolvere; Geographo, Regionum, populorumque nomina indicasse sufficiat, ubi se non satis alterutram in partem veritas prodit. Id citra piaculum, nec nostros egressi limites, meminerimus: GOTHOS gentem fortissimam, ipsis adeo Romanis formidabilem fuisse. Nam ab obitu Flavii Claudii Imperatoris, qui eam utcunque fregerat, eo res Romana defluerat, ut se GOTHORUM miraretur stipendiariam, quæ universo prope modum Orbi imperitabat. Sub Annum deinde Christi CCCXXX. intentus construendæ novæ Romæ Constantinus, quo infestæ identidem a GOTHIS Moesiæ, Pannoniæque succurreret, ponte Danubium stravit, quem ligneum fuisse notat J. C. Müller in sua Tabula Geographica, ab eoque non multum supra Nicopolim recedente, viam lapideam per Germ. XVI. Mill. ad Rimnikum usque protensam Trajanam dicit, Duceque Ovinio Gallicano, e magno inanium Deorum Cultore (postquam emisso suscipiendi Baptismi voto victoriam consecutus est) vero Christicola, GOTHOS utcunque attrivit; ad amplectendum fœdus compulit; Romam tributis exolvit. Verum neque hinc diuturna GOTHORUM consecuta quies erat. Rursum enim ad annum circiter CCCXLIV. Thraciam vastant, non ante hostilitates posituri, quam Phritigerno, & Athanarico Principibus divisi, Arianam hæresim combibissent, scque mutuo infestis armis petentes, Romanis facilem ad victoriam aditum paravissent.

§. XIV.

Qui sint JAZYGES METANASTÆ, qui limites JAZYGIÆ, qui Carpatici, qui Sarmatici Montis.

DE HUNGARIS, HUNNISQUE infra peculiari capite agemus. At JAZYGES METANASTAS, nationem, in hodiernæ Hungariæ solo pervetustam, præterire nefas. Sunt qui METANASTAS a *Metis* dictos velint, quod Collimitanei Romanæ ditionis fuerint, quorum jugum tulerint nunquam; JAZYGES vero a Slavica voce *Jazyg*, quæ linguam significat; sic fors a Sclavinis vocati, quod sermone cum iis uterentur eodem. Disquirant id Grammatici; nos JAZYGUM subeamus fines. De his ita Plinius: „ Campos & plana JAZYGES Sarmatæ, montes vero, & Saltus pulsi ab his Daci ad Patissum amnem, tenent. „ Ex eodem Auctore constat *Carnuntum* Germanorum confinium fuisse; & in adversa Danubii ripa JAZYGUM ad fluvium *Marum*, sive *Moravam*. Explicatius definit JAZYGIAM Ptolemæus, ducens principium ab inferioris Pannoniæ Oppido Carpi per totum *Tibisci* tractum ad *Carpaticos* usque, & *Sarmaticos* montes; atque *Danubio*, *Morava*, ac *Tibisco* claudebatur. Dum *Carpaticos montes*, a *Sarmaticis* dispeisci legis, pro comperto habe: Ptolemæo *Sarmaticos* eosdem fuisse, quos hodie *Fatras* dicunt Sclavi, porrigunturque *Vaczio* per *Barschensem*, *Zoliensem*, *Liptoviensem*, ac *Arvensem* Provinciam ad *Poloniam* usque. Amittunt hanc nomenclaturam ubi ad *Gombaschum*, sunt limes *Turozienfis*, & *Liptovienfis* Comitatus; dicti inde Latinis *Carpatici*, Slavinis *Tatra*, dividuntque, paululum interrupti in *Scepufio*, reliquam *Poloniam*, *Russiam*, & *Moldaviam* ab *Hungaria*, atque *Transylvania*. Nobiliora JAZYGIÆ Oppida fuere: *Pestium*, fors hodiernum *Pestbum*, *Parca*, *Parcanum*, *Ufcenum*, sat apte, *Barschum*, *Partiscum*, *Csongrado*, verius, quam *Ægopoli*, sive *Kecskemeto* respondens; *Trissum* in *Gömörienfi* Comitatu retinens vetustum nomen vicus; *Candamum* congruens *Agrie*, *Arbicta*, & *Gormanum* ad *Poloniæ* limites quærenda. Flumina, Regionem hanc interfluentia, apud Veteres frustra quæsieris præter *Cusum*, seu

Va.

Vagum, & *Graneum*, id est, *Granum*. De Jassis, quos vulgo JAZYGES dicimus, Comitatus Heveschienfis incolis, plura suo loco.

§. XV.

LONGOBARDI unde dicti, num e Scandinavia oriundi?

LANGOBARDI, sive LONGOBARDI (quibus Cellarius Germ. Antiq. Libro II. Cap. V. supra Varinos populos, amnem *Spream* versus, sive inter *Albim*, & *Oderam* in Brandeburgica Marchia primam, ab ingressu in Germaniam, stationem attribuit) juxta nonnullorum opinionem a *Bardis*, Saxoniz populis, juxta complures alios a *Bipennibus*, vulgo *Helleparten*, denominationem habuisse crediti sunt. Omnium autem optime nominis LONGOBARDICI originem observasse visus est Paulus Warnefridus, Diaconus Aquileiensis, & Monachus Cassinensis, gente LONGOBARDUS, qui sub Carolo M. vixit, dum ita Libro I. Cap. IX. adnotavit: „ Certum est, LONGOBARDOS „ ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus *Wimili* dicti fuerint, „ ita postmodum appellatos. Nam juxta illorum linguam *Lang* longam, „ *Bart* barbam significat. „ Huic sententiæ optime consonat testimonium Ottonis, Frisingensis Episcopi, qui obiit MCLVIII. ubi de gestis Friderici Libro II. Cap. XIII. ita habet:

Dicitur a longis ea Longobardia barbæ.

Haud tamen assentiri lubet Diacono, alibi affirmanti: Has gentes circa Theodosii tempora e Scandinaviæ vagina eluctatas fuisse; cum constet LONGOBARDOS, a Strabone, qui circa Augusti, Tiberiique ætatem floruit, inter Germaniæ populos reputari.

§. XVI.

De MARCOMANNIS, eorumque QUADORUM Limitibus.

MARCOMANNI, Germaniæ populi, e Regione, quæ Mæno, Danubioque conhibetur, egressi, in Bojorum, quos vel eiecisse, vel subegisse necesse est, Regnum concessere; tum primum MARCO-

MANNORUM, hoc est, finitimorum Virorum appellationem nacti a Germanico vocabulo *Marckmänner*, quod Germaniæ fines, una cum *Quadis*, sibi foederatis, contra Scythicas nationes tuerentur. Idcirco autem MARCOMANNORUM hoc loco meminisse placuit, quod quidam Scriptores, atque hos inter Dubravius, & Pessina, MARCOMANNORUM, & *Moravorum*, de quibus mox dicemus, Imperia confuderint, quos tamen erudite, præter alios, redarguit clarissimus Auctor Austriacæ Germaniæ Topograph. Marchionatus Moraviæ, quem Lector consulere potest. Hæc ut planiora fiant, operæ pretium fuerit, hoc loco finibus MARCOMANNIAM, QUADIAMque circumscribere. Sextus Rufus MARCOMANNOS, & QUADOS de locis Valeriæ, qui sunt inter Danubium, & Dravum, depulsos ait. C. Cornel. Tacit. Pro fronte Germaniæ ante Nariscos (Palatinatus accolæ) ponit MARCOMANNOS, & QUADOS propter Danubium, quos a tergo claudunt *Marsigni, Gotbini, Ofi, Buriique*. Marsignos ego Moraviæ saltus; Burios sola Silesiæ; Scepusium Gothinos, Ofos Jazygiam hodiernam incoluisse crediderim. Reliqua proinde Metanastarum Regio, Grano, & Vago fluviis discreta, MARCOMANNORUM, & QUADORUM erat; varii metalli, ferri cumprimis, dives, Danubium usque porrecta. Ex hac in Valeriam tribus quædam concesserint, quas Sextus a Romanis scribit depulsas. QUADORUM Tuder, Maroboduus MARCOMANNORUM Princeps erat, quorum posteris, suæ quisque genti, interdum etiam Tuderiani MARCOMANNIS, & vice versa præficiabantur. Formidabiles fuisse populos hosce Romanis, expertus cumprimis est M. Aurelius, Imperator Sapientissimus, qui Anno Christi CLXXVI. ab iis circumventus, conclususque toto cum exercitu perisset, nisi fulminatrix Christiana Legio opem de Cælo exorasset. Inviçtæ gentium istarum virtutis memor Aurelius, cum in Palestina miscentes omnia Judæos reperisset, stomachabundus exclamasse fertur: *O Marcomanni! O Quadi! tandem vobis deteriores inveni!* Præcipuum MARCOMANNORUM opidum *Marobudum, Eburum*, QUADORUM fuit. Qui *Marobudo, Velcbradum* Moraviæ superstructum volunt, aliquid de terra MARCOMANNORUM possidere Moravos, admittant, est necesse. *Eburum* diffusum fuerit Turocziensi in Dynastia ad radices

dices montis Harmaneczii, cuius suburbiis respondere hodiernæ *Stubnæ* balneas, fuadent grandia, quæ prostant.

§. XVII.

Veteris MORAVIÆ amplitudo, Episcopatus, religio.

MORAVI, Slavorum propago, Quadorum (quos una cum plurimis aliis Germaniæ populis Attila deleverat) stationem inter *Marum*, & *Cusum*, hoc est, *Moravam*, seu *Marchum*, & *Vagum* fluvios continuo ab ipsius Attilæ excessu occupasse creduntur. Auctis paulatim viribus eo novi Regni fines produxere, ut, teste Mensone Altingio apud Cellarium German. Antiquæ Libro II. Cap. V. *Filekia*, reliquarum MORAVIÆ Civitatum (ut ipse vocat) Cynosura, sive extrema fuerit. Unde MORAVICI nominis origo repetenda sit? omnium oculis apertum est; nempe a *Maro*, sive *Morava* fluvio, qui hodie Regionem hanc directo in Meridiem cursu terminat, olim interfecabat. Diffusa hæc MORAVORUM ditio e sacris fere desummitur monumentis. Memorant hæc, quatuor Episcopatus in MORAVIA fuisse; alia quædam produnt, Reges MORAVIÆ *Nitriam* in Regni Metropolitim, Regiamque evexisse. De Episcopis locuples testis est S. Pilgrinus, Lauriacensis Archi-Episcopus, ita ad Benedictum VII. Romanum Pontificem scribens: „ Visum „ est, jam necessarium esse, quatenus Sanctitas Vestra illic aliquos jubeat „ ordinari Episcopos, quia & quondam Romanorum, Gepidarumque „ tempore proprios septem Antistites eadem Orientalis Pannonia habuit, „ & Moesia, meæ Sanctæ Laureacensi, cui ego indignus ministro, Eccle- „ siæ subiectos; quorum etiam quatuor, usque dum Hungari Regnum „ Bojariorum invaserunt, sicut præfenti cognitum est ætati, in MORA- „ VIA manserunt. „ Hæc ille, quam ad cognoscendum Moravicum Episcoporum numerum apposite, tam nobis ad detegenda eorum loca prædure. Quidam ut primum in eorum oculos incurrit Epistola Eugenii II. Annum circiter DCCCXXXV. exarata, rem confectam putant. Sic eam orditur Papa: „ Eugenius Episcopus, Servus Servorum DEI, Rathfre- „ do Favianensis Ecclesiæ, & Methodio Ecclesiæ Specujulienfis, Meconi „ Origiturienfis, atque Alchunino Sanctæ Netravienfis Ecclesiæ, parique

„ modo Annoni Vetvariensis Ecclesiæ Episcopis &c. „ Ex his plana fieri universa rentur, qui dubitare non norunt; Favianensem Episcopatum, Viennæ; Netraviensem Nitriæ; Specujuliensem Olomucii, Origituriensem Tyrnaviæ, Vetvariensem Velchradi, aut Vetavii, in confinio MORAVIÆ, & Bohemiæ citra hæsitationem constituunt. Priora tria Sacerdotia illa extra controversiam sunt. Favianam enim in Viennam immigrasse, sensus communis est; Nitriæ vero, & Olomucii jam sub exitum sæculi Christiani quarti institutum fuisse Episcopium a Fridegilda, Rosemundi MORAVORUM Regis conjuge, institutore Sancto Ambrosio ad Christi fidem adducta, fidem faciunt MORAVICI Annales. Oboritur lucis aliquid & inde, quod sit locus Olomucii, qui hodiedum dicatur specus Julii, famosi quondam latronis receptaculum. At Origituriensis Tyrnaviæ, Vetvariensis Antistitis Velchradi, aut Vetavii sedes figere, nec ratio suadet, nec probat conjectura. His ergo in medio relictis, quæ certiora sunt, prosequamur.

§. XVIII.

Controversiæ de MORAVICIS Ecclesiis.

FLorentem, sed una varium ante Hunnorum irruptiones, ac vastationes MORAVICARUM Ecclesiarum fuisse per eas quoque Regiones, quæ sunt hodiedum sub ditionibus Regni Hungariæ, statum, vetustissima testantur monumenta. Consuli possunt Aventini Annales Bojoariæ, nec non Conciliorum collectio Harduiniana, ac L. Ab. quorum ille Tom. VI. iste autem Tom. IX. inter plurima alia refert ad Annum Christi DCCCC. Hattonis, Moguntinensis Episcopi, ad Joannem Papam literas, in hæc verba: „ Sed cur hoc (nempe electionem Ludovici in Regem Franciæ „ loco Patris Arnulphi) sine vestra jussione, & permissione factum sit, „ nulla alia causa est, nisi quia Ungaris, Italiam vastantibus, Legati nostri „ ad vos ire non potuissent. Coëpiscopi nostri Bavarienses conqueruntur, „ quod MARAVENSES, Francis rebelles, se Metropolitano gloriantur a vestra concessione sublimatos; cum nunquam inter illos Metropolitana Sedes haberetur, sed semper illorum sedi cohærent &c. „ Clarus in eandem sententiam loquitur Theotmarus Juvaviensis, id est: Salisburgensis Episcopus, dum suis cum Suffraganeis eundem Papam interpellat, qui-

quiritando : quod MORAVI, prius Pataviensi Episcopo subjecti, tunc primum Archi-Episcopum Nitriæ residentem, tresque alios Episcopos haberent, a Nitriensi Metropolita missos ; cum tamen Affricano in Concilio fuerit constitutum, ut plebes, quæ nunquam Episcopos habuerunt, non nisi cum annutu ejus Pastoris, a quo reguntur, proprium accipiant Episcopum. Quod Bavaris dolebat maxime, erat : MORAVOS ad ea tempora semper subjectos Regibus Germaniæ, tunc se se jugo illi subduxisse, tributum negasse, temporalem, ac spirituales jurisdictionem excussisse. Cæterum quamcunque florens fuerit MORAVICARUM per eam tempestatem, Ecclesiarum conditio, omnia illa Episcopia, irruptionibus Hunnorum sunt eversa. Mansit nihilominus controversa de limitibus Episcopaliū Sedium causa non solum Benedicto IV. Pontifice, sed Joanne quoque IX. X. ac XI. quin Agapeto etiam II. quod posteaquam rigente bruma Scythicæ persecutionis Pannonicarum Ecclesiarum, MORAVICARUM item, ac Avaricarum plantationes extinctæ sunt, Lauriacensis, ac Juvavienſis Archi-Episcopi eas quisque suæ Sedi adscribi peteret ; ille suæ Metropolitanæ Sedis fretus prærogativis, & præſenti, qua fruebatur, pace ; Juvavienſis (nam & hoc nomine sæpe venit Salisburgensis) quod inde ab Arnone I. post eversam nempe funditus Laureacensem Civitatem, coactis ejus Præfulibus mutare sedem, adeoque & Archi-Episcopalem honorem deserere, is translatus fuerit in Salisburgensem, inde Metropolitanæ Privilegiis ornatam. Litem hanc Agapetus, quem dixi, Papa II. ita diremit, sub Annum DCCCCLII. ut Laureacensi Ecclesiæ, tunc in pace constitutæ, tanquam veræ Pannonicarum Ecclesiarum Matri, & antiquissimis Pontificum prærogativis excultæ, pristinum Archi-Episcopatus honorem cum universis Privilegiis restitueret, mittens Geraldo, ejus Præfuli, Pallium, quod ipse, ejusque successores perpetuo teneant ; tum eosdem honores affirmando Heroldo Salisburgensi ; cujus curæ Occidentalis Pannoniæ Provincias transcripsit ; cum Orientales Pannonias, Regionem Avarum, MORAVORUM, & Slavorum, ob Sedis antiquitatem, Geraldo Laureacensi restitui imperasset. Ex his inter alia eruet prudens Lector, contra torrentem eos niti, qui ultra Occidentales Danubii ripas ad Jazygum, Avarum, cæterorumque Slavorum Regiones, Pannonias protendunt. Frustra enim *Avarum*, MORAVORUM, & *Slavorum* Regiones Pannoniæ

adjunxisset Papa, si suo eas sinu Pannonia complexa fuisset. Quin imo, si rem suis momentis æstimes, indubitatum habebis, tam propitia usos fuisse Fortuna MORAVOS aliquando, ut non profanum duntaxat, sed Sacrum etiam Principatum, in Pannoniarum earum plagam, quam Dravus claudit a meridiano, occiduoque sole obtinerent. Difertis id verbis asseverat Ludov. Du-Mefnil Doctrinæ, ac Disciplinæ Ecclesiasticæ Tom. III. Libro XLI. suffragium petens ex Epistola Joannis Papæ VIII. ad S. Methodium, MORAVIÆ Apostolum, quem ea causâ, quam hic apposui, Pannoniensem Archi-Episcopum vocari acutius observat.

§. XIX.

De MOLDAVIS, seu MAUROVLAHIS.

MOLDAVOS, olim MAUROVLAHOS, quasi nigros Latinos a Græcis dictos fuisse, habet Codinus apud Joannem Lucium de Regno Dalmatiæ Libro IV. Cap. V. Confirmat hoc Carabogdaniæ nomen, quo hodie dum MOLDAVIA a Turcis indigitatur, quippe nigram Bogdani Principis, Slavis Deodati, Regionem significat; ideo autem dicunt nigram, quod terra illa nigri frumenti sit feracissima. Facile hinc *Morlachici* quoque nominis origo declaratur. Cum enim Veneti, uti Lucius loco citato optime animadvertit, in Orientali Regione continuo versarentur, *Morlachorum* denominatione, qua Græci extremæ Daciæ incolas afficiebant, ab iisdem mutuata ea, Gentem Rasciæ, Bosniæ, Croatiæ montes pervagantem, compellere cœperunt. Itaque vocabuli hujus usus ad reliquos Italos subinde propagatus est. Huic conjecturæ Diocleas Presbyter, gente Slavi, qui XII. Sæculo vixit, in hæc verba subscribit: „ Igitur impugnantem Sylloduxiam (hoc est, Mœsiam Superiorem) expugnarunt eam, inde debellando cœperunt totam Macedoniam; post hæc totam Provinciam Latinorum, qui illo tempore Romani vocabantur, modo vero MOROVLAHI, hoc est, nigri Latini. „ Quo nimirum Diocletianus Imperator, ut habet Porphyrius Cap. XXIX. & alibi Patriæ suæ ornandæ intentus, Latinorum Colonias adduxerat, ut mox dicemus. Undenam autem Slavi, MOLDAVORUM, sive MOLDOVLAHORUM nomenclaturam derivarint, haud multis con-

conjecturis opus ; cum nemini non constet, MOLDAVIÆ Regionem flumine MOLDA interfecari, alluique ; nisi fors malles id nominis cum Zamosio Analect. Daciæ Cap. III. a Mæotide palude repetere, quasi olim Mæotavia dicta fuisset Provincia, quæ nunc MOLDAVIA nuncupatur ; aut, quod in mentem alicui venisse, nullus dubito, MOLDAVIAM, quasi MOLLEM DACIAM, a solo culturæ opportuniore dictam contendas. Sed de his viderint Grammatici.

§. XX.

NARENTINI *Slavi cur Pagani dicti sint?*

NARENTINI, sive ARENTANI, de quibus passim Dalmatici Scriptores, iidem fuere cum PAGANIS, Slavorum progenie, qui terram Orontium inter, & Cetinam incolebant. De utrisque Porphyrogenitus Cap. XXXVI. ita scribit : „ PAGANORUM quoque terra „ initio possessa a Romanis fuit, quibus Roma migrare iussis, Imperator „ Diocletianus in Dalmatia Sedes assignavit ; & oriundi sunt ipsi etiam a „ Serblis non baptizatis, ab eo scilicet Principe, qui ad Heraclium se contulit. Capta vero itidem ab Avaribus, & vastata hæc Regio, sub Heraclio rursus incolis frequentari cœpit. PAGANI autem vocantur, „ quod Baptismum non accepissent eo tempore, quo Slavi omnes baptizati erant. Ita enim Slavorum lingua nuncupantur quicumque, baptismi „ expertes. „ Animadvertendum tamen, PAGANORUM nomine jam temporibus Magni Constantini Gentiles, Idololatriasque indigitatos fuisse, quod, ut censet Baronius, & complures alii, cum profanus Deorum cultus ab Urbibus proscribitus esset, in *Pagos* sese recipientes, ibidem Deos suos coluerint, & clandestinis Sacrificiis vacarint.

§. XXI.

PATZINACI, BASTARNÆ & PEUCHINI
appellati.

PATZINACOS, cum veteribus *Bastarnis*, PEUCHINISque, a Peuce, postea *Pizina*, præcipua, ad Ostia Istri, Insula, dictos, unam gentem fuisse, nemo, qui Byzantinos Scriptores, atque ab iisdem superiorum populorum moribus, rebusque gestis relata interserit,

in

in quæstionem vocabit. Quare vocabulorum varietatem multiplici vicinarum nationum dialecto unice tribuendam arbitror, donec eruditi eorum temporum Commentatores aliter sentiendum edoceant.

§. XXII.

*De RASCIIS, eorumque Regione per Swetopelekum
divisa a Bosnia.*

RASCIOS, five RACZIOS, insignes hodie per Hungariam, maxime ubi opus est celeritate, bellatores, Serbriorum & ipsos propaginem, a RASCIO fluvio cognominatos fuisse, nemine, quod norim obloquente, Pannonici Scriptores unanimiter asserunt. Qui autem RASCIÆ Regionis, quam a Bosnensi primus sejunxisse legitur Budimirus, alias Swetopelekus, Dalmatiæ, & Serviæ Christianus Rex, fines, ac potentia fuerint, paucis infra indicabo.

§. XXIII.

De RUTHENORUM in Hungaria Sedibus.

RUTHENI incolæ sunt RUSSIÆ Rubræ, unde communiter etiam RUSSI appellantur. Hi cum Hungaris contermini essent, fines suos, prout fieri amat, transgressi, extrema Hungariæ, præsertim ad Carpatum, ubi hodieque sub Græci Ritus Episcopo degunt, infedere. Donatam hoc nomine etiam Galliæ veteris gentem quandam apud Strabonem, Plinium, aliosque reperio. Unde Lucanus Lib. I. versu CCCCI. de iisdem canit :

Solvuntur flavi longa statione Rutbeni.

§. XXIV.

*Qui populi nomine SARACENORUM fuerint
vocati ?*

SARACENI, Arabiæ felicis olim accolæ, inter Hungariæ veteris populos locum haud immerito obtinent, quod nempe Porphyrogenito in Basilio Cap. XXXVIII. XXXIX. &c. teste, post Cislauum Regem interfectum,

fectum, repetitis expeditionibus Dalmatiæ oram acriter divexarint; donec Basilii Cæsaris Classe in Apuliam depellerentur. De horum origine ita Nicolaus de Lyra in Isaïæ Caput XX. „ Arabes sunt SARACENI ab „ Ismaële, & Cadar filio ejus, qui melius a Matre sua Agareni. Sed ma- „ luerunt vocari SARACENI, quasi SARÆ liberæ, non Agar An- „ cillæ sint Filii. „ SARACENORUM vocabulo Hungaros etiam, aliosque populos ab Hepidanno, Eckehardo juniore de Casib. V. Galli Cap. XV. aliisque Scriptoribus insignitos interdum esse, testis Dufresnius est in Glossario. Verum nomen hoc a tribus fere sæculis penitus exolevit.

§. XXV.

*De SCYTHARUM Appellatione, Origine,
Lingua.*

SCYTHARUM appellationem a Germanico vocabulo *Schütze* derivat Clarissimus Junkerius, qui primus, quæ Regionum Germaniæ facies sub media ætate fuerit, ordine declarare aggressus est in Libro Germanico, quem inscripsit: *Anleitung zu der Geographiæ der mitleren Zaiten &c.* Jenæ anno MDCCXII. in lucem edito. Ab hujus tamen viri (qui utinam nostræ quoque Hungariæ Geographiam suis notis illustrasset!) conjectura, prope est, ut abscedere me impellant Berosi, Herodoti, Diodori Siculi, aliorumque a Celtarum Regionibus, longius diffitorum, testimonia, quibus jam SCYTHARUM nomen quasi fabula decantabatur. De sermone, moribus, ac Regione SCYTHARUM, quam incolebant in Europa, complura sparsim dicta sunt. Justinum adeat, qui plura volet. Id succurrit peculiare, quod ad declarandam sapientiam, quæ paciscentibus necessaria est, falem adhibere consverint, dum icerent fædus. Eo alludit Chaganus, dum invehitur in Mauritium Imperatorem, & Priscum ejus Ducem ob ruptum fædus. „ Pacem, ait, Romani violarunt; „ fæderis lex vitiata est; SAL PACTIONIS infatuatus; fidei reve- „ rentia evanuit; sequestre jusjurandum periit &c. „ De idiomate vero certum habe, SCYTHICUM, atque adeo Hungaricum quoque ab omnibus aliis discrepare. Causam in id retuleris; quod cum Japhetitæ, SCYTHARUM Progenitores, sese Turris Babel ædificio non miscuerint, linguæ cum aliis tribus confusione mulctati non sint.

§. XXVI.

Num iidem sint SERVII qui Serbli?

SERVI, qui partem Dalmatiæ incolunt, utrum cum *Serblis* Ptolemæi aliquid commune habeant, non habeo dicere. Constantinus Porphyrogenitus de Admir. Imper. Cap. XXXII. & cum eo Guilielmus Tyrius Libro X. Cap. IV. tradit, eosdem originem duxisse a *Servis*, quos *Albos* nuncupabant; ejus scilicet Regionis incolis, quæ Turciæ, hoc est, Hungariæ, Franciæ, five Allemanniæ, magnæque Croatiæ contermina fuerat; ipsos autem ita appellatos fuisse, quod Romano Imperatori, dum militaris aliqua expeditio posceret, fervierint. Ab hac sententia longius abeunt plerique Dalmatiæ Scriptores, atque hos inter princeps Lucius, qui in Notis ad Diocleadem ait: Byzantinos Historicos, vocis similitudine abductos, Servorum notam huic genti inussisse, quod nimirum quos Slavi *Srblianos* peculiari vocaculo dicunt, hos Græci asperitatem vitantes *Serblis*, five *Serbulianos*, ac tandem SERVIOS appellarint. Utri fides major, Porphyrogenito, an Lucio præstanda sit, Lector dispiciat. Id unum moneo: Eam, meo judicio, hujusmodi in rebus amplectendam sententiam esse, quæ percipiendis Scriptorum præcipuis, sit opportunior.

§. XXVII.

De SLAVORUM denominatione, ac Populis, qui ea comprehenduntur.

SLAVORUM, five SCLAVORUM Gentis amplissimæ nomen. Scriptores plerique, nescio, quo spiritu correpti, a *Slava*, quod populis illis *gloriam* significat, deducendum contendunt. Stabilire hoc non incongrue sibi videntur enumeratione nominum, quibus Servix, Dalmatiæ, &c. Reges, velut honoris gratia donati fuerant; cujusmodi sunt: Ladislavi, Petrislavi, Vladislavi, Dobroslavi &c. Inter hujus autem sententiæ Patronos Conradus Samuel Schurtzflaischius in dissertatione de rebus SLAVICIS, & cum eo Junkerius censent male ex Recentiorum quorundam placito Vandalos a SLAVIS, five SLAVINIS sejungi, cum una, eademque Gens fuerit, atque ab illis, post acceptam a Belisario cladem, SLA-

SLAVORUM nomen ad ignominiam obtegendam, novumque in se gloriæ studium excitandum, assumptum sit. Sed horum virorum pace dixerim, vix perspicio, qui ingeniosa hæc animadversio confirmari queat? Sane tantum abest, ut, quod ipsi tamen unice obtinent, hac ratione contentionibus, quibus tot ingenia, mediæ ævi Chronicis evolvendis intenta, exercentur, fiat fati, ut etiam hac populorum, nominumque immixtione novæ tenebræ offundantur. Ecquis enim, unde Croatarum, Serblorum, Bugrorum, aliarumque SLAVICARUM Gentium nomina, quæ una omnes Latinorum ora, scriptaque oplevere, enata, effictaque fuerint, nobis edicet? Accedið; nunquam a Belisario Gentes SLAVORUM ita fuisse bello attritas, ut ritu mancipiorum tractari possent; ex adverso, quod diu invaluerat, Romanorum nomen deletum est in Pannonia, vicinisque Provinciis, atque inde loco Marcomannorum, Quadorum, Sarmatarum &c. plurimum deinceps cognominati sunt SLAVI. Itaque sepositis hujusmodi notionibus nominum, in eorum sententiam mihi concedendum puto, qui SLAVOS a communi omnibus SLAVICIS nationibus vocabulo: SLOVAK dictos existimant, quin tali voce aliud quid peculiare innuatur; nisi fors cum Eduardo in Dissert. contra Ottrokocium, cujus meminit Czuittingerus in Specimine Hungar. Liter. SLOVAK idem esse cum CLOVEK, quo homo nude denotatur, tueri quis velit. Porro, quæ Orientalium SLAVORUM nomina fuerint, ex Chronico Laurisheimensi pag. 147. ad Annum DCCCXXII. circa tempora Ludovici Pii, subjicio, ubi sic legitur: „ In quo Conventu omnium Orientalium Slavorum, hoc est, Abotritorum, Soraborum, Wilforum, Bohemorum, Marvanorum, Prædenecentorum, & in Pannonia residentium, Aræarum, exceptit. „ Qui fuerint *Bobemani*, & *Marvani*, Oedipo non opus est. Horum finitimi fuerint *Sorabi*, & *Wilfi*; *Arææ* vero illi Pannonii, qui accolebant ripas Dravi, Savique, aut *Quadi*, & *Marcomanni Valeriani*. De *Abotritis* ex Annalibus Laurisheimensibus eruitur, eos cum *Prædenecentis* eosdem esse; hi vero contermini erant Bulgaris, *Daciam Aureliani*, Danubio & Istro adjacentem, incolentibus, qui posteriore ætate *Serbuliani*, *Serbli*, & *Serblii*, nec non *Servii* quorundam opinione fuere appellati.

§. XXVIII.

SLAVORUM *cum Hunnis foedera, & susceptæ Christianæ Fidei primordia.*

DE Gentis SLAVICÆ varia fortuna, cum Hunnis amicitia, & jurgiis, vetusta Religione, & proprii Idiomatis usu in sacrificiis, multa erudite congerit in Imagine Antiquæ Hungariæ P. Samuel Timon, quæ hic compendio habe. Auctore Simocatta tam arcta necessitudo Hunnos jungebat aliquando SLAVIS, ut quæ Chagani auspiciis in Thracia, Moesiaque Constantinopolitano avulsa sunt ab Imperio, cederent SLAVIS: hi ex adverso ita cultu corporis, ac moribus effingebat Hunnos, ut illis darent crimini Bojarii, quasi ab obitu Arnulphi, Francorum Regis, auctores fuissent Hunnis (quorum more Capita radebant) inferendorum ipsi Italiæ armorum. Insignis ea de re Simocattæ locus est in hæc verba : „ Sclavini, ab Hunnis submissi, & subornati, impressione facta Romanæ „ telluris partem latissimam occupant, & usque ad murum longum in „ Thracia (habetur is expressus in Geographica, nisi fallor, Lazii Tabula) „ confertim profilientes, grassantesque funera multa faciunt. „ Querelæ vero Bavarorum adversus SLAVOS Moravis finitimos, adeoque Metanastas, sunt : „ Ipsi SLAVI crimen, quod nobis falso semel imposuerunt, „ multis annis peregerunt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem „ ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudo-Christianorum „ penitus detonderunt, & super nostros Christianos immiserunt, atque „ ipsi supervenerunt ; & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios „ pessima carcerum fame, & siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputaverunt, & nobiles Viros, ac honestas mulieres in servitium redegerunt ; Ecclesias DEI incenderunt, ita ut in tota Pannonia, nostra maxima Provincia, tantum una non appareat Ecclesia. „ Piget recoquere cæteros Bavarorum questus, ad Joannem IX. Pontificem Romanum missos ; cum perinde, ac jam descripti, argumento sint : SLAVOS non Moravicos (nam hi certe nec Hunnorum ritu rasere capita, nec Scythas accepere hospitio, ad nostram usque ætatem non ab Hungaris modo, sed SLAVIS quoque conterminis habitu, lingua, genio plurimum alieni ;) verum Collimitaneos, quorum tot jam sæculis eadem fortuna est, quæ Hun-

Hungarorum. Utrique nihilominus genti SLAVONICÆ laus ea communis : susceptæ Religionis orthodoxæ studiosissimos Principes habuisse. Luculentissima rei hujus edidere monumenta, seu morum attendas probitatem, seu profusam in ædes DEO sacras largitatem. Non vacat ire per singulos, duorum non meminisse nefas est. Et Privina quidem Nitriavienfium SLAVORUM Dux integerrimus, secundum cætera spectatæ pietatis exempla, Emmerammo SLAVICARUM Gentium Apostolo, & Martyri sanctissimo nobile Fanum excitavit ante Annum DCCCXXVIII. in ipsa Regia; decantatus autem ille Svetoplugus per diuturniorem Dominatum suum SLAVONICÆ linguæ in sacris usum Romani Pontificis auctoritate stabilivit. Fit hoc testatum e literis Joannis Papæ VIII. ad sanctum illum Principem datis, cujus verba sunt : „ Literas denique Sclavonicas, „ a Constantino, quondam Philosopho, repertas, quibus laudes, DEO „ debitas, resonent, jure laudamus. „ Acta hæc, quia longe rejici a primordiis invectæ Religionis Christianæ non possunt; eorum utcunque firmatur opinio, qui autumant : Per Jazygum Metanastarum plagas, finitimasque ad Septentrionem Gentes Fidem orthodoxam ante Caroli M. tempora, adeoque Annum DCCLXXXVIII. stabilitam non fuisse; cum accolis Ponti Dacis, Sirmioque aliquot sæculis prius Lex Gratix annuntiata fuisset. Illud in confesso est, quod etsi per vices non nulli *Metanastarum* Christo nomen dederint; facile tamen totum *Æræ nostræ* sæculum septimum abierit, quin apud SLAVOS illos, qui sunt *Quadorum* Progenies, ac in sedibus successores, cultus veri DEI passim receptus, ac vulgaris esset. Memorant siquidem, qui Gesta Francorum illius ætatis literis mandarunt, quod cum Dagobertus, Franciæ Rex, Richarium (quidam Scharium scribunt) ad Samonem SLAVORUM Regem pro repetendis mercibus, per SLAVOS ereptis Francorum negotiatoribus, Legatum misisset, Samoque inuisset: Jucundam sibi fore cum Francis amicitiam; Richarium respondisse: Fieri non posse, ut Servi DEI fœdera jungant cum canibus; quo convitio passim petebant Christiani Gentiles, summentes, nisi fallor, exemplum a Servatore mitissimo, illis Matth. XV. Versu XXVI. Chananzam infidelem redarguente verbis : „ Non est bonum summere panem „ filiorum, & mittere canibus. „ Manifestior sententia hæc fit ex eo, quod SS. Cyrillus, & Methodius SLAVICARUM Gentium Apostoli,

non ante XL. sæculi IX. annum has in oras fuerint delati. Dignus memoria hoc super argumento locus est, P. Ludovici Du-Mesnil in sui de Doctrina, & Disciplina Ecclesiæ Operis Tom. III. Lib. XXXVIII. ex Historia Slav. hæc ad Annum Christi DCCCLVIII., & DCCCLIX. referentis :
 „ Eadem ætate Constantinus Vir DEI, qui & Cyrillus dictus est, cœpit
 „ prædicare Regi SCLAVORUM Evangelium Christi, & Fidem Sanctæ
 „ Trinitatis, Rex Sphetopelck credidit Christo, & baptizatus est cum
 „ omni populo suo. „ Hæc ille.

§. XXIX.

Insignis locus de usu Linguae SLAVONICÆ in Officiis Divinis.

INter celebriores LX. Christiani Sæculi controversias fuit illa, quam superiore §. attigi, de celebratis per D. Methodium SCLAVONICA lingua Divinis Mysteriis. Videtur ei præbuisse occasionem Tuventanus Princeps Moraviæ, qui per Joannem Presbyterum significavit anno DCCCLXXIX. Joanni Papæ VIII. se in fide suscepta nutare, ut opinor, ideo, quod sanctissimus ille SLAVORUM Apostolus in Missa, cæterisque sacris officiis Patrio uteretur idiomate, præter morem Gentium cæterarum; id quod sacratoris literaturæ expertus Princeps ad summam rei pertinere existimabat. Solatus est anxium Papa literis, utque firmus in eo persistat, quod ejus Majores ab Apostolica sede didicerunt, hortatur. Quod addit Pontifex in eadem Epistola, quæ est inter datas ab illo centesima, nonagesima, quarta, moxque sequente, Methodio inscripta, sententiæ meæ patrocinator. Sic autem Papa ad Tuventanum : „ Quia vero audivimus, inquit, quia
 „ Methodius, vester Archi-Episcopus, aliter doceat, quam coram sede
 „ Apostolica se credere verbis, & literis professus est, valde miramur;
 „ propter hoc direximus illi, ut ad nos venire procuret. „ Methodio autem scripsit Joannes : „ Audivimus, quod Missas cantes in SLAVO-
 „ NICA lingua; Unde jam literis nostris per Paulum Episcopum Ancolitanum, tibi directis, prohibuimus, ne in ea lingua Missarum solemnia
 „ celebrares, sed vel in Latina, vel in Græca lingua. „ Methodius cum Anno sequente Romam venisset, examinatus a Papa, innocens repertus est;

est; meritis idcirco, ut cum perhonorifico elogio remitteretur suam ad sedem, deferens a Papa literas ad Sfantopulcrum, Moraviæ Comitem. In-
fertum iis erat, præter Methodii commendationem, de Wichingo Presby-
tero, ad Nitriensis Episcopatus dignitatem evecto; ordinandis novis per
Methodium Episcopis; denique continuando usu SLAVONICÆ linguæ
in Divinis Myfteriis, ut in illa enarrentur Servatoris opera, & præconia;
quandoquidem sanæ fidei, & doctrinæ nihil obstat, seu Missas eo idiomate
canere, sive Evangelium annuntiare, aliasve Divinas Scripturas; modo
caste, & integra fide translatae sint, populo, Latini sermonis imperito,
prædicare, aut horarum officia pfallere. Adjecit nihilominus Pontifex
mandatum, ut propter majorem honorificentiam Evangelium latine lega-
tur, & postmodum SLAVONICA lingua translatum in auribus populi,
latina verba non intelligentis, annuntietur.

§. XXX.

TARTARI *interdum Cumanis, alias Turcæ
dicti.*

TARTAROS, qui populis Hungariæ accensentur, supra Cumanis im-
plicui; TURCAS autem, hodiedum Christianorum partim ignavia,
partim perfidia, adeo potentes, nominis, generisque originem ab iis duce-
re crediderim populis, de quibus olim Pomponius Mela, scripsit Libro I.
„ Fœcundos pabulo juxta Mœotim, & alias steriles, nudosque campos
„ tenent Budini. Geloni Urbem ligneam habitant. Juxta Thyrsagætæ,
„ TURCÆque vastas Sylvas occupant, alunturque venando. „ Obser-
vandam autem cum Leunclavio, Musulmanicæ Historiæ Libro II. a Græ-
cis Scriptoribus, Leone, Simeone Magistro, Zonara, Eustathio, Simo-
catta, Cedreno, & aliis TURCORUM nomine Hungaros passim de-
notari, quos, tamen ad aliorum discrimen, Occidentales appellant. Qui
singillatim de Orientalium origine edoceri cupit, adeat Dufresnium in No-
tis ad Nicephorum Bryennium, & Annam Comnenam, ubi sat multis su-
per hoc argumento differit.

§. XXXI.

§. XXXI.

De Origine VALACHORUM.

VALACHORUM nomen undenam effectum fuerit, pluribus inter scriptores disceptant. Æneas Sylvius, postea Pius II. PP. Europæ Cap. II. a Flacco, Duce Romano, quem eo Colonias duxisse, memorat, Ovidius Libro IV. de Ponto Eleg. IX. Laonicus Lib. II. a peculiari lingua, quam Græci ULACHICAM vocabant. Zamofius Analect. Daciæ Cap. III. ab *Olasz*, Hungarico vocabulo, quo Gentis illius aborigines nuncupabant. Cromerus Histor. Lib. XII. a Polonico *Vloch*; nimirum quilibet ex patrio sermone amplæ hujus Nationis originem, appellationemque deducere adlaborat. Verum undecunque demum nomen hoc derivatum quis dicat, indubitatum manet VALACHOS Latinorum reliquias esse, sive a Trajani temporibus Dacis immixti perseverarint; sive postquam in Mœsiam ab Aureliano traducti fuerant, a Slavis in antiquas sedes remigrasse sunt jussi, quæ Lucii sententia est. Ex quibus arguas, VALACHOS non male se *Rumenos*, Romanosque, ad imitationem Thracum, vocitare, nec ex vano Mathiam Corvinum Regem, se e Romana Corviorum familia prognatum prædicasse.

§. XXXII.

Quæ Gens veniat nomine VANDALORUM.

VANDALI, sive VINDILI, quorum nominis notionem Lazio investigandam relinquo, Germanicæ originis populi fuere, Burgundionibus contermini, ut docet illud Zofini Lib. I. Cap. LXVII. de Probo: *Cum Burgundis, & VANDALIS pugnavit.* Quin imo hodiedum VANDALICI nominis reliquæ, si Cellario, Geographiæ Antiquæ Lib. II. Cap. V. credimus, inter Viadrum, & Vistulam fluvios supersunt. Alios autem eos esse, a *Venedis* sive *Vinidis*, hodie *Wendem*, qua in re pridem Geographorum non paucos lapsos fuisse monet Velferus Rerum Boicarum Lib. IV. aperte docet Ptolemæus, dum Sarmatiæ populos describens ita ait: „ Tenent Sarmatiam gentes maximæ, Venedi per totum finum Venedi- „ cum &c. „ Haud tamen repugnarim, eosdem vicinis VANDALIS subinde permixtos, utpote immediate trans Vistulam positos, aut certe
cum

cum Sarmaticis populis in Pannoniam, Illyricumque aliquando erupisse, unde postea circa postremum quinti sæculi Æræ Christianæ annum in Carniam, Pannoniam, & utrumque Noricum effusi montanas potissimum Regiones infederint, hodie *Windischen* cognominati.

CAPUT SECUNDUM.

MIGRATIONES VARIARUM GENTIUM.

§. I.

Qua occasione mutaverint, suas sedes variæ Gentes, quaque ratione pertineant ad Hungariæ solum.



Ræter jam indicatas Gentium, de quarum originibus hæcenus differuimus, migrationes, juverit ex his quoque præcipuas, quas veluti quasdam Epochas dixeris, benevolo Lectori compendio proponere; qua in re exequenda Paganam potissimum annorum seriem nos sequi profitemur. Fatiscente igitur ex gravi jam senio Romanorum Imperio, extremisque ejus viribus fatali Provinciarum partitione infeliciter distractis, repente complures bellicosæ Nationes, e Virorum quidem, non item alimenti divite Septentrione, sese effudere; quæ velut orbem ulcisci statuissent universum, una conspirantes, Romanæ, hæcenus populis formidatæ potentæ bellum indixerunt, eademque demum everfa, tot Regnis, quot hodiedum ad summum Europæ decus florere lætamur, initia dedere; adeo, ut jure non tam unicum extinctum esse Imperium, quam plura ex uno, felici quadam clade prognata diceres. Neque amicus Lector hæc enarrantem extra viam deflexisse arbitretur. Quippe Nationes illæ propemodum omnes, priusquam Romanorum fines invaderent, in Pannonia, vicinisque Provinciis, velut in pulcherrimo, sæcundissimoque frugum omnium campo, vires, longo itinere fessas, quasi reficere, tum aciem quoque instruere consueverant; quo fieri potuit, & vero ita sæpenumero factum esse, ut qui unam Urbem Romanam sibi vendicandam destinassent, isthic, velut in amœno, quod quærebant, Europæ viridario, & altera quadam Italia denique substiterint, nemo dubitat.

§. II.

De Migrationibus VANDALORUM.

ÆRæ Christianæ sæculo secundo VANDALI, undecunque demum profecti, Pannoniam, vicinasque Regiones primi ingrediuntur; inde primum annum circiter CLXXVII. a Fulminatrice Christianorum Legionem sub Marco Aurelio Antonino, accepta ingenti ad Carnuntum clade; tum post plurimas, in alias Regiones, incurfiones, postliminio reduces, a GOTHIS Anno CCCXXXI. uti refert Jornandes, rursus ejeti, in Hispaniam iter deflectunt, utque eandem Anno CCCXCIX. attigerunt, VANDALITIAM a suo nomine compellarunt; mox in Affricam anno CCCXXVIII. trajecti novi Regni fundamenta jaciunt, quod Christianis diu formidabile, anno DCXXXIV. invicta Bellifarii virtus denique evertit.

§. III.

GOTHORUM Procurfiones, & varia fortuna.

GOTHI prærepta, uti dicebam, sæculo IV. nempe sub Constantini M. tempora, VANDALIS Pannoniæ, Daciæque parte, stabilitoque utcunque Regno, anno CCCLXXIII. Italiam subeunt, spe novi condendi; cum anno CCCLXXVI. verius fors CCCLXXXI. improvisus advolat e Scythia Asiatica non unius duntaxat, sed plurimarum Gentium, imprimis autem HUNNORUM Ductor Attila, unus Romano Imperio par evertendo. Hic fulminis instar Europam prope universam copiis suis, vel certe nominis fama, terroreque pervagatus, ad hæc reliquis sibi Gentibus, aut adjunctis, aut perdomitis, in ipsa Romani Imperii viscera penetravit. Nec dubium quin orbis Dominam, Romam, evertisset, nisi Principum Apostolorum minæ audentis vota cohibuissent. Quare in Pannoniam tandem anno juxta Baronium CCCCLIV. juxta Cassiodorum vero uno prius, vel, quod malim dicere, CCCCLVIII. cum exercitu reversus, Sicambriæ (quæ nunc vetus Buda) in nuptiali Thalamo mortem offendit, Escæ, novæ Sponsæ, loco, extinctus fluxu sanguinis, subito e naribus erumpente. Consecuta subinde gentium aliquot defectio, ingentesque inter Attilæ filios pro Regno decertantes, teste Prospero in Chronicis, strages, sic, ut turbidis adeo rebus potior Hunnorum pars in Scythiam remigrarit, insiden-

dentibus Dacios montes aliquot Familiis, quæ postea in populum excrecentes, secundum observationem Zamosii in Antiquit. Daciæ Cap. III. a fedium, sive comitorum loco, sibi delecto, Patriaque lingua: *Szék-bely* dicto, primum SZEKELI deinde per abusum SICULI sunt appellatæ. GOTHI vero, sive GEPIDES, qui pariter Attilæ adhæserant, si Jornandi credimus, relictas in Dacia sedes cum Pannonia, præsertim inferiore, & parte Illyrici, sibi rursus vendicarunt; quippe HERULI, RUGI que sub Flaccitheo Rege Danubium transgressi in superiorem successerant. Unde pauco post tempore sub Odoacre Rege in Italiam digressi, Anno CCCCLXXVI. Occidentali Imperio, in ruinam alioquin inclinato, ultimum tandem excidium attulerunt, donec ipsi quoque duobus ab hinc annis, Rege suo, una cum filio, Ravennæ trucidato inter epulas, infeliciter sunt deleti. Hæc ad fidem non obscuri nominis Auctorum; quibus si nonnulli adversari videantur, non tam repugnant veritati, quam Asiaticam inter, Europæamque Scythiam negligunt discrimen. Duos ab obitu suo reliquisse filios Attilam, exploratum est; qui in Asiaticam refugerit Scythiam tertius Chaba, cum egressis inde gentibus, commentitium puto. Denfices, & Irnachus studiis diffidebant; hic pacis, ille, exemplo Patris Attilæ, belli studiosior. Quare cum Legationem suam, a Constantinopolitanis vilipensam, intellexit, insuperhabito eo, quod a consanguineis, Persico bello occupatis, auxilia desperaret, Irnachumque Germanum a bello alieniorem esse nosset, movit in Romanos. Constabat Denficis exercitus Hunnis, GOTHISque; Mauritius, ut minimo suorum dispendio Denficem opprimeret, occasione dividendorum inter Hunnos, GOTHOSque in Pannonia agrorum callide commisit utrosque; tum jurgantes obruit, oppressit, non extinxit. Inferiores evasisse videntur GOTHI, quos, tanquam fugitiva mancipia, adorti Hunni, ab uno Valemire, futura providente, atque idcirco dies noctes cum modica suorum manu ad resistendum accincto, fusi, fugatique sunt. Audiatur his de jurgiis Jornandes: „ Contigit, inquit, ut Attilæ filii contra Gothos, quasi desertores domi- „ nationis suæ, velut fugacia mancipia requirentes, venirent, ignarisque „ aliis Fratribus, super Valemir solum irruerent; quos tamen ille, quam- „ vis cum paucis, excepit, diuque fatigatos ita prostravit, ut vix pars ali- „ qua hostium remaneret, quæ in fugam versa eas partes Scythiæ peteret,

„ quas Danubii fluenta prætermeant, quæ lingua sua Hunni VÁRvo-
 „ cant. „ Postrema hæc verba explicant, Hunnos non excessisse penitus
 Hungaria, sed locis duntaxat illis Pannoniæ, quæ cum GOTHIS rixarum
 erant origo, seque recepisse intra vasti illius munimenti aggeres, a Danubio
 utcunque remotos, cujus hodieum extant vestigia propius Tibiscum,
 Tarnam, & Szagyvam in Jazygia hodierna. Gesta hæc fuerint circiter
 annum Christi CCCCLXV. ut sua constet GOTHORUM, Hunno-
 rumque, post excessum Attilæ, jurgiis ætas, quæ, teste Marcellino, fi-
 nem acceperunt Consulibus Zenone, & Marciano, id est, Anno Salutis
 CCCCLXIX. quo caput Denficis Constantinopolim fuit allatum.

§. IV.

Quæ SLAVICÆ Gentes, & quibus terris sint infusæ ?

SÆculo VI. ad Annum XXVII. producto, LONGOBARDI in Panno-
 niam, incolis fere destitutam, venire; inde Anno DLXVII. in Ita-
 liam, ubi LONGOBARDORUM Regnum auspiciati sunt, a Narsete
 exciti; Hunnis, ab Avaro Rege, Avaribus postea nuncupatis, qui anti-
 quas sedes repetebant, Pannoniam reliquerunt; Illyrici duntaxat parte sibi
 reservata. Sub eadem tempora, suffragante Lucio, de Regno Dalmat.
 Lib. I. Cap. IX. & Cromero in Histor. Polon. e Sarmatia SLAVI, atque
 hos inter primores CROATÆ; exinde SERBLI a Romanis (quorundam
 sententia) Servi appellati; ac tandem BULGARI, sive BUGARI, Moe-
 siam, Dalmatiamque, maxima ex parte, occupant, receptisque in socie-
 tatem, post aliquot prælia, AVARIBUS, formidandos sese reliquis fa-
 ciunt. CROATIS Porphyrius Cap. XXXII. & XXXV. Occidentalem
 Dalmatiæ partem una cum Savia attribuit; SERVI Mediterraneum, vi-
 cinumque tractum cum Moesia superiore infederunt. BULGARI Moesia
 reliqua, una cum Daciæ veteris parte ad Pontum usque, GEPIDIBUS,
 AVARIBUSque depulsis potiti, Regnum Orientali Imperio in annos com-
 plures grave instituunt. AVARES autem adverfo rursus Marte præliati,
 anno, circiter, IDC. Mauritii XIX. a Comentiolo, ejusdem Duce, prout
 habet Miscella Histor. Lib. XVI. a regione Viminiaci immani clade ster-
 nuntur; ut adeo reliqui novas sibi sedes quærere cogerentur.

§. V.

§. V.

De HUNNORUM sub septem Ducibus in Pannoniam ingressu.

SÆculo VII. nihil peculiare hisce in terris gestum Auctores meminere, præter ea, quæ de MORAVIS referunt domestici. Sæculi tandem VIII. anno XLIV. (verius anno DCCCLXXXIX.) HUNNI, aut potius UGRI, vel JUHARI ex ultimo Septentrione maximo cum apparatu sub septem Ducibus progressi, Regiones, binis jam vicibus, fortis injuria desertas (ut quibusdam placet,) denuo sibi vendicant, nunquam deinceps amittendas. Occasionem tertiæ huic invasioni dedit Arnulphi, Francorum Regis ambitio, & severior Sventoplugi Hunno-Avares tractandi ratio. Colebant illi concessos a Carolo Magno, aut suapte sponte occupatos agros in Pannonia, identidem vexati ab inquietis Moravis. Remedium itaque petunt ab Arnulpho; cujus hortatu suos in auxilium evocant gentiles. Confedere hi primum in veteri Dacia, hodierna Transylvania, constructisque pro numero Ducum suorum septem Castris (a quibus etiamnum Slavonico, Germanicoque sermone hæc Provincia septem Castrorum, ac montium dicitur) Castra Tibisco admove, ut transmissuro cum Francis, Bojis, Alemannisque Danubium Arnulpho sociati, ultimam Sventoplulchro perniciem inferrent. Sui securus agebat Sventibaldus Velehradii; quo ad eum famigeratissimus ille albus equus, cæteraque, occupandæ terræ munera deferri poterant; agentibus (ut Timon existimat) Slavis ipsis, Quadorum posteris, quod Dominatum Moravorum ægre ferrent. De prælio aliquo, inter Hunnos, & Svetoplugianos commissõ, elici nihil e veterum monumentis potest. Id testatum est: Sventoplugum in ordinem redactum ab Arnulpho fuisse, ac anno circiter DCCCXCIV. extremum diem sancte clausisse. Adversari his Patrium Annalistam non diffiteor; verum non immerito suspecta redditur ejus narratio vel eo ex capite, quod Sventoplugus universum Hunnorum exercitum, & Castra pervadere debisset, ut victus Danubio mergi posset.

§. VI.

Partitio Hungariæ inter septem Duces.

HUNNI rebus ex animi sententia gestis, sedes sibi partiuntur. *Arpadus* Albam-Regalem cum adfita Regione; *Szabolcb*, Arpadi filius, Inclytæ Cfakiorum Profâpiæ Auctor, Tibiscanam sibi feligit; *Kund*, Kendeianorum Proto-Parens, teste Turoczio, prope Nyir; *Gyula*, cognominis Urbis Conditor, in Transylvania substitit; *Berbulcb*, Balatoni Lacui adfitas plagas; *Lehel* Galgocziium; *Eürs* Savi tractum, cum suis quisque sequacibus, infedit; Regione hac universa exinde *Ugriæ*, sive *Jubariæ*, tandem *Ungariæ*, denique ab anno MCXVI. *Hungariæ* nomen obtinente. Plura hanc in rem reperiet Lector apud Joannem de Thurocz, qui (ita habet eruditissimus Daniel de Nessel, XI. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Præfectus, vita functus Anno MDCC. in *Sciagraphia Magni Corporis Historici, jam accurate digesti &c.*) Chronicam suam ex Manuscripto Codice Anonymi cujusdam partim simpliciter, partim interpolate mutuatus est. Codex ille perperam fuisse creditur ejusdem Auctoris, qui, cum esset a Secretis Belæ Regi, postremum Hunnorum sub VII. Ducibus egressum literis mandavit. Nam ut cætera præteream, ratio temporum, quam sequitur Anonymus, componi nequit cum Fastis Turoczianis.

§. VII.

Status Hungariæ ad Annum Christi M.

Porro hæc fors Regionis, quæ nunc Hungaria est, fuit usque ad Annum DCCLXXXVIII. aut, ex mente Aventini, ad DCCXC. ut partim suis, partim exteris Principibus tributaria esset. A Carolo deinde M. nunc notato anno, Religionis gratia (nam, quemadmodum diximus, eo usque maximam sui partem gentilis erat) octennali, acerrimoque bello petita, ac perdomita, Francorum Imperio fuit adjuncta, a Foro-Julii deinceps Ducibus, una cum Istria, parteque Dalmatiæ regenda, ut refert Eginhardus, sive quisunque demum sit Auctor Annalium ad hæc tempora. Quibus assentiri haud obscure videtur Paulus Diaconus, alias Warnefridus, gente Longobardus, qui Lib. V. Cap. XL. de gestis Longobardorum

rum ita habet : „ Unde usque ad tempora Ratchis Ducis iidem Slavi „ pensionem Forojulianis Ducibus persolverunt. „ Tandem deficiente, lapsu temporum, Carolina Propagine, aliarum Regionum exemplo, libertatem plenam adepti Anno M. in Divi Stephani Proto-Regis pariter, ac Apostoli ; quodque ad immortalem ejus gloriam facit, sacro diademate donati, fidem, tutelamque concedit, prout inferius declarabitur.

CAPUT TERTIUM.

MUTATIONES REGIONUM.

§. I.

Variae PANNONIARUM Vices.



Ræmissa hac tum de variorum populorum origine, tum etiam de rebus, quas seu migrantes, seu remigrantes gesserunt, qualicunque demum notitia, ad novam Provinciarum partitionem, nominumque mutationem progredimur. Porro has potissimum obtigisse censemus. PANNONIA præ reliquis non uni mutationi obnoxia, AVARIA modo, modo HUNNIA, sive CHUNIA; pars MORAVIA, pars RUGIORUM PATRIA vulgo *Rugenland* dicta est; ut nihil dicam de tot aliis Gentibus, maxime Vandalis, Gothis, Longobardis, quos huic Provinciæ, uti & vicinæ Daciæ, dum eas infiderent, proprium nomen accomodavisse, nemo in dubium revocavit. Haud tamen affirmarim, eorundem ævo PANNONIÆ, adsitarumque Provinciarum nomina, quæ sub Romanis adeptæ fuerant, penitus extincta, barbarisque vocibus veluti oppressa omnia fuisse, ut non alicui saltem tenui terræ tractui adhæserint, aut certe publicis in literis adhibita fuerint. Lector hæc non aliunde melius ediscere potest, quam ex Epistola Eugenii II. Papæ, juxta Baronium Anno DCCCXXIV. juxta Lucium vero DCCCXXIII. data, atque ab Hundio recitata; in qua Uolpho quondam Pataviensi Antistiti, Laureacensis Archi-Episcopi Insignia, & Legati Apostolici per Pannoniam, Moesiam, Moraviamque munus defertur. Ea sic habet:

§. II.

§. II.

Documentum, quo probatur, nec barbaris dominatum obtinentibus, PANNONIARUM nomen intercidisse.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum DEI, Radfredo Favienfis, Methodio Speculunenfis Ecclesiæ, atque Albino Nitravenfis, & Annoni Vetravienfis Episcopis, simul & Tutundo, & Moëmaro Ducibus, & Optimatibus, universisque exercitibus Hunniæ & Moraviæ &c. Urolphum Reverendissimum Sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archi-Episcopum, Sanctissimum Fratrem Nostrum, ab hac Sancta Ecclesia Romana vobis Rectorem transmittimus, atque in præfatis Regionibus Hunniæ (quæ & Avaria appellatur) scilicet, & Moraviæ, Provinciarum PANNONIÆ, & Moesiæ Apostolicam vicem nostram, atque jus Ecclesiasticam exercendi auctoritatem committimus. Cujus dilectioni ad honorem suum nostram Apostolicam vicem, & auctoritatem nostram insuper accumulamus, quod nunquam suis permissum est prioribus; quatenus & vos Confratres, & Co-Episcopi deinceps reverentiam ei ampliolem exhibere sciatis, atque vos Laici Primates, & Vulgus saluberrimis præceptis suis, non velut homini, sed tanquam DEO humiliter obtemperetis.

Quo loco cum Ludovico Schönleben Annalium Carniæ Parte III. animadvertimus, hac in Epistola commemorari Regiones Hunniæ, & Avariæ, non quod ab Hunnis, & Avaribus etiamnum colerentur, cum pauculi, Slavis tunc temporis commixti, superessent; sed priori duntaxat nomenclatura.

§. III.

Divisio PANNONIÆ, Gothis in ea rerum potiuntibus.

Quæ autem singillatim ipsarum Civitatum, Oppidorum, Castrorum nomina, qui incolarum mores, legesque fuerint, cum apud ejus ætatis Scriptores prope nulla vestigia supersint, quæ Sibilla nobis edicet? Jornandes Provincias a populis, qui Attilæ paruerunt, post ejus obitum varie

rie dispersas, occupatasque describens ait : „ Gothos sub tribus Regibus
 „ in Pannonia confedisse. Nam Walemir inter Scarniungam & Aquam
 „ Nigram fluvios ; Theodemir juxta lacum Pelsodis ; Widemir inter
 „ utrosque manebat. „ Et mox : „ Rugi vero, aliæque Nationes non-
 „ nullæ Biozimetas, Scandiopolim, ut incolerent, petivere. „ An non
 hic quoque Oedipo opus, ut, quid Scarniunga, quid Scandiopolis sibi ve-
 lint, nobis evolvat? *Scarniungam, Réptze; Aquam-Nigram, Arabo-*
nem; Lacum Pelsodis, cum *Peifone* eundem esse suspicantur curiosiores
 antiquitatum Scrutatores: Scandiopolim, ac Biozimetas diei feliciori, quæ
 densam hanc dissipet caliginem, reservant.

§. IV.

Munitiones PANNONIARUM ætate Caroli M.

Attamen universim, quæ Caroli M. temporibus Hungariæ partitio,
 quæ facies fuerit, indicium facere omnium optime videtur Sangallen-
 sis Monachus de gestis Caroli M. Libro II. ubi hæc sibi Adalbertum ami-
 cum enarrare solitum affirmat : „ Terra, sunt Scriptoris verba, Hun-
 „ norum, IX. Circulis cingebatur; & cum ego alios Circulos, nisi VI. *in*
 „ *eos* (Vimineos legit Canisius) cogitare nescius, interrogarem: quid il-
 „ lud miraculi fuit, Domine? respondit: Novem Hegin (Haganis, hoc
 „ est, circulis, sive districtibus) munitur. Cumque & illos alterius
 „ generis esse nescirem, nisi quatenus segetibus solent prætendi, inquisitus
 „ etiam de hoc dixit: Tam latus fuit unus Circulus, hoc est, tantum in-
 „ tra se comprehendit, quantum spatium est de Castro Turcico ad Con-
 „ stantiam, ita stipitibus quercinis, faginis, & abieginis exstructus, ut de
 „ margine ad marginem XX. pedes tenderetur in latum, & totidem subri-
 „ geretur in altum. Civitas autem universa, aut durissimis lapidibus,
 „ aut creta tenacissima tegeretur. Inter quorum confinia plantabantur ar-
 „ busculæ, quæ, ut cernere solemus, abscissæ, atque projectæ comas
 „ caudicum, foliorumque proferunt. Inter hos igitur aggeres ita vici,
 „ & villæ erant locatæ, ut de aliis ad alias vox humana posset audiri, con-
 „ tra eadem vero ædificia inter inexpugnabiles illos muros portæ non satis
 „ latæ erant constitutæ, per quas latrocinandi gratia non solum exteriores,
 „ sed interiores exire solebant. Item de secundo Circulo, qui similiter ut

„ primus erat exstructus XX. miliaria Teutonica, quæ sunt XL. Italica,
 „ ad tertium usque tendebatur. Similiter usque ad nonum; quamvis ipsi
 „ Circuli alius alio multo contractiores fuerint. De Circulo quoque ad
 „ Circulum sic erant possessiones, & habitacula undique versum ordinata,
 „ ut clangor tubarum inter singula posset cujusque rei significativus, ad-
 „ verti. Ad has ergo munitiones per ducentos, & eo amplius annos
 „ qualescunque omnium Occidentalium divitias congregantes, cum Go-
 „ thi, & Wandali quietem mortalium perturbarent, orbem occiduum
 „ pene vacuum dimiserunt. Quos tamen invictissimus Carolus ita in
 „ annis octo perdomuit, ut de eis minimas quidem reliquias remanere
 „ permiserit. A Vulgaribus vero ideo manum retraxit, quia videlicet
 „ Hunnis extinctis Regno Francorum nihil nocituri viderentur. Porro
 „ prædam in PANNONIA repertam per Episcopia, Monasteria libera-
 „ lissima divisione distribuit. „ Huc usque Sangallensis.

§. V.

Regio quædam PANNONIÆ indulta Hunnorum Principi a Carolo M. Anno DCCCV.

EAdem fere reperies apud Albertum Stadensem Anno DCCLXVIII. &
 Münsterum Lib. IV. Geogr. Cap. II. quibus illud adjicimus ex Anna-
 libus Francorum a Petro Pithæo primum in lucem editis; ubi ad Annum
 DCCCV. sic legitur: „ Capeanus, Princeps Hunnorum, Aquis ad
 „ Regem (Carolus) venit, & ut postulans inter Sariam, & Carnon-
 „ tum habitandi locum accepit. „ Quæ verba P. Lambecius Com. Bibl.
 Cæs. Lib. II. Cap. V. ex Cæsareo Codice ita emendat: „ Capeanus,
 „ Princeps Hunnorum, Aquas ad Imperatorem venit, & ut postulavit,
 „ inter Sabariam, & Carnontum habitandi locum accepit. „ His autem
 ita subdit Lambecius: „ Sabaria sine dubio eadem est Urbs, quæ nunc
 „ Zagrabia vocatur, & ad sinistram Savi fluminis ripam e regione Segesti-
 „ cæ Insulæ sita est. „ Opinio hæc Lambecii non tam firma est, ut no-
 strum de Sabaria sensum elidat.

§. VI.

§. VI.

Diploma Ludovici Pii in favorem Ecclesiæ Pataviensis, testatum est ante Caroli M. ætatem fidem Catholicam inter Hunnos propagatam fuisse.

AD extremum describere lubet ex Lazio Comm. Reip. Lib. XIII. Ludovici Pii Imperatoris Diploma pro Ecclesia Pataviensi, in quo nonnulla Avarum loca, quorum tamen pleraque in Auftria, quo ejus gentis potentia porrigebatur, sita comperiuntur.

„ In nomine DEI Salvatoris Nostri JESU Christi. Ludovicus Divina ordinante providentia Imperator Augustus: Nullum fidelium nostrorum ambigere credimus, qualiter Dominus, & Genitor noster beatæ memoriæ piissimus Imperator Carolus, Regnum Hunnorum suæ ditiorum non sine magno præriorum labore subjugaverit, & homines terræ illius, cultui Christianæ Religionis mancipaverit, in tantum, ut etiam in eadem Provincia multas Ecclesias, ob DEI reverentiam, & renovari, & a fundamentis exstrui faceret. Inde DEI jussu super devastationem, & inopiam Pataviensis Episcopatus, misericordia motus, plus cœlestem, quam terrenum lucrum desiderans, quædam loca in ejus Ecclesiæ utilitatem templis ornavit, in qua S. Valentinus corporaliter requiescit, & ubi tunc Waldaricus Venerabilis Episcopus præerat, tradens illi h. e. in Provincia Avarorum quendam locum, qui vocatur Lytaha & in terra Hunnorum Geisen murum, Treysmam, Wachouvam, Pielagum, Hardinum, Rhœde, Aspach, Wolvesuvanne, Erlapham, & in Artagnna duas Basilicas, & in Saxina duas &c.

§. VII.

De variis DACIARUM incolis.

EX his paucis, quæ de PANNONIÆ mutatione in medium attulimus, haud difficile accidet Lectori, quæ sub media, ut vocamus, ætate vicinarum quoque Regionum, maxime DACIÆ, facies fuerit, arguere; juverit tamen pro ratione nostri instituti, saltem populorum, qui eandem successive incoluerint, meminisse, ut, quæ ab iis nomina nacta fuerit, fa-

cilius dispicimus. Nam Romanis a DACIA migrantibus, haud dubie, variæ successerint Gentes, quæ Dacorum, Getarumque quietem, præreptis subinde sedibus, interpellarint. Id omnibus Scriptoribus cognitum: GOTHIS potissimum post Attilæ (cui, ut ante meminimus, militaverant) obitum has Regiones, veluti spolium, obtigisse, ipsosque postmodum GEPIDAS, Regionem vero GEPIDIAM dictam fuisse. Nomen hoc a GOTHIS ideo assumptum esse suspicor, ut GETAS, Viros vel Græcis celebratos, quorum stationem sibi nonnisi armorum vi asseruerant, Parentes habuisse viderentur. Unde fortasse factum, ut plerique eam Regionem, pro priori etiam GOTHIAM crederent nuncupatam, GOTHOSque unam cum GETIS gentem fuisse; uti abunde colligi potest ex Jornandis Historia, quam de rebus GETICIS conscripsit, non secus, ac hodiedum de Pannonicis Hungari, de Illyricis Slavi, de Francis Galli scribere gloriantur. GOTHIS jungebantur ALANI, RUSSIque, sive ROSSI, aut RHOSI, uti in sacris veterum libris sæpius compellantur; qui deinde conflati in unum utroque nomine ROXOLANI, sive ROXALANI audire. Hinc apud Orosium Lib. I. Cap. II. legimus: „ Ab „ Oriente ALANIA est, in medio DACIA, ubi & GOTHIA; „ deinde Germania &c.

§. VIII.

De Incolis GOTHIAE.

Appropinquantibus deinde BUGARIS, sive BULGARIS, una cum reliquis Slavinis Nationibus, GOTHIA partim in TRANSDANUBIANAM BULGARIAM, partim in Regionem ABOTRITORUM, quos hodiernos VALACHOS, MOLDAVOS, ac TRANSYLVANOS Junkerius interpretatur, dirempta est. Hinc de Gentium illarum Legatis, ad Ludovicum Pium Imperatorem submissis, ita Annales Laurishaimenses ad Annum DCCCXXVIII. : „ Cæterum „ Legatos Abotritorum, qui vulgo Prædenecenti vocantur, & contermini „ Bulgaris, Daciam Danubio adjacentem incolunt, qui & ipsi adventare „ nunciabantur, illico venire permisit. Qui cum a Bulgaris inique infestari se quererentur, & contra eos auxilium sibi ferri deposcerent, domum ire, atque iterum ad tempus, Bulgarorum Legatis constitutum re „ dire

„ dire iussi sunt. „ Quod autem BULGARIAM TRANS-DANUBIANAM attinet, cum anno Æræ Christianæ MXVII. a Basilio Constantinopolitano Imperatore subacta fuisset, reddita est PATZINACORUM, sive PEUCHINORUM reliquiis, quos veteres Daciæ Incolæ alibi diximus; quo tempore etiam BULGARIA CIS-DANUBIANA a Ducibus gubernari cæpta est, idque perseveravit usque ad tempora Isaacii Angeli Imperatoris; cujus ignavia exciti BULGARI defectione facta Regem sibi rursus delegere.

§. IX.

De VALACHIA.

BLACCHIÆ quoque, a quo fors deinde VALACHIÆ nomen exortum est, multa, in sacris præsertim voluminibus, mentio occurrit, ac Bulgarorum Primas, passim Bulgarix, BLACCHIÆ Archi-Episcopus inscribitur. Firmatur id ex Privilegio Innocentii III. Pontificis, eidem Præfuli collato, quod habetur apud Rainaldum ad annum MCCIV. Numero XXXVII. „ Te quoque in Regno BULGARORUM, & „ BLACCHORUM Primatem statuimus, ut & Tu, & Successores „ Tui, qui Tibi in Apostolicæ Sedis devotione successerint, cæteros Metropolitano BULGARIÆ, & BLACCHIÆ præcellatis ratione „ Primatiæ, & ipsi Tibi, & eis, juxta formam Canonicam, reverentiam, Primati debitam, exhibeant, & honorem. „ Cæterum hæc Regionem, postquam in Hungarorum devenere potestatem, partim a situ, partim a Romanorum reliquiis nova deinceps nomina obtinuerunt; uti ex cujusvis partis descriptione, præsentique ejus statu Lector suo loco abunde docebitur. Hæc de universali hujus etiam Provinciæ mutatione.

§. X.

Unde orta ignoratio Civitatum DACIÆ olim florentium?

QUOD Civitates, singulaque attinet loca, non aliunde melius hæc quoque, quam e sacra Historia peti possent. Constat quippe post Romanam Rempublicam, Regna partiendi, ac velut novis singulas Civitates nominibus donandi potestatem in Christianorum Ecclesiam, Apostolos primum,

num, deinde etiam Episcopos transiisse, uti ex quam plurimis Ecclesiarum Catalogis, quos Schelestratus Antiquitatum Ecclesiæ Tomo II. in unum coacervavit, fatis elucet. Verum ea Barbararum, ut Latinorum utar vocabulo, Nationum infelicitas fuit, ut non uni Civitati, sed toti Nationi Episcopus ordinaretur, mittereturque, quemadmodum Thomassinus in veteri, novaque Ecclesiæ disciplina optime animadvertit. Quæ res in causa fuit, ut sacris in voluminibus Nationum duntaxat, non item Civitatum nomina reperiantur notata.

§. XI.

Præcipua BULGARIÆ Loca.

MOESIÆ eadem, quæ Daciæ, fors haud dubie, obtigisset; nisi frequentia Bulgarorum cum Constantinopolitanis Imperatoribus bella, nonnullorum hujus Provinciæ locorum nomina, Græcis, qui eadem non semel suis armis subegerant, memoriam aliquam extorsissent. Hinc apud Byzantinos Scriptores *Acbrida*, quæ Bulgarorum Regia fuerat, *Boion*, *Castoria*, *Dristra*, *Ostroumum*, *Sofcum*, *Strumpitza*, *Triaditza*, *Vodena*, præcipua sub media ætate Bulgarorum Oppida, non uno loco legenda sese objiunt; nequid dicam de *Varna*, *Mesembria*, *Sardica*, & pauculis aliis locis, quorum nomina a Romanorum temporibus, in tenuibus tuguriolis, mapalibus, terreisque quibusdam munitionibus, aut certe murorum rudibus, & parietinis hodie dum perennant.

§. XII.

De MOESIÆ, ac minoris SCYTHIÆ incolis.

HAud tamen soli BULGARI, post depulso Romanos, MOESIAM, minoremque SCYTHIAM infedere. Ut enim GOTHOS, VANDALOS, aliasque Gentes, quæ has quoque terras peragrarunt, præteream; in Histor. Miscell. Lib. XVI. Cap. XXVI. legitur, HUNNOS, AVARESque e Regione sua in partes SCYTHIÆ, & MOESIÆ ad Justinianum venisse, petiisseque, ut reciperentur. De GUDUASCANIS, & TIMOTIANIS in Laurishaimensibus Annalibus habetur: „ Erant „ ibi (Harastalli) & aliarum Nationum Legati, ABOTRITORUM „ videlicet, ac Bornæ Ducis GUDUSCANORUM, & TIMOTIA- „ NORUM,

„ NORUM, qui nuper a Bulgarorum societate desciverant, & ad fines „ nostros se contulerant. „ Eos autem citra Danubium in Moesia confedisse, extra controversiam est; cum utriusque populi vestigia in iis partibus hodieum supersint; GUDUSCANORUM quidem in pago GUDUSCA, qui *Mbaumæ* amni adjacet; TIMOTIANORUM vero tum in TIMACI, veteris urbis rudibus, tum in TIMOCH fluvio, qui etiamnum sui nominis tenax Istro infunditur. Neque illud negligendum: BULGAROS non solum, ONOGUNDUROS, sed etiam COTRIGUROS, COTRAGOSque, tum a Nicephoro, tum a Theophane appellari, maxime cum eorum ad Galatæ Oppidum, quo aliquando perreperant, cladem, a Belisario acceptam, commemorant.

§. XIII.

Partitio DALMATIÆ pro ratione Nationum, quæ illam insederunt.

Restat nunc DALMATIA, Provincia omnium amplissima, certe præ reliquis frequens incolis, plurimisque Civitatibus, Castris, Castellis, nullo non tempore, habitata. Super hujus sub media ætate partitione plurimi Viri eruditissimi disseruere; imprimis autem Lucius in Regno Dalmatiæ, & Dufresnius in Familiis illustribus; nequid dicam de Constantino Porphyrogenito, inter Byzantinos Scriptores Imperatorio quodam jure, veritatisque studio plurimum præcellente, cui primas, ubicunque fas est, a nobis tribui, alibi profitebamur. DALMATIA igitur postquam in Slavorum potestatem venit, varias in Toparchias, sive Provincias dirempta fuit; quarum præcipuæ fuere CROATIA, SERVIA, CHULMIA, PAGANIA, TERBUNIA, & DIOCLEA; quibus adjicias tenuem Regionem ad mare, cum nonnullis Insulis, in quas sese Romanorum Coloniarum receperant; unde postmodum in Mediterranea rursus effusi, Slavisque, jam per Christianæ Religionis leges cicuratis, immixti, haud exiguo terræ tractui, de quo suo loco agemus, DALMATIÆ appellationem reddidere.

§. XIV.

§. XIV.

Præcipuæ CROATIÆ Toparchiæ.

CROATIÆ veteris fines ita describit Porphyrogenitus Cap. XXX. :
 „ A Zentina autem fluvio Chrobatia incipit, extenditurque versus
 „ mare ad Istriæ usque confinia, sive Albanum Urbem, versus Montana
 „ aliquatenus etiam supra Istriæ Thema excurrit versus Tzentinam, &
 „ Clebna, Serviæ Regionem. „ Generali partitione dividebatur in Ma-
 ritimam, Mediterraneam, & Interamniam, quæ eadem erat cum Savia,
 hoc est, Pannonia, Dravo, Savoque fluviis conclusa. Harum vero sin-
 gulæ, sicut & cæteræ Slavorum Provinciæ in Jupas, sive Zupas, & Zupa-
 nias, quæ deinde sub Hungarorum Dominio in Comitatus commutatæ fue-
 re, distinguebantur. Earum initio duodecim duntaxat CROATIA nu-
 merabat, postmodum vero viginti, & amplius. Ex his præcipuæ, ple-
 ræque autem Maritimæ, prout ex Prophyrogenito Lucius de Regno Dal-
 matiz Lib. I. Cap. XIII. adnotavit, fuere sequentes: *Belitzin* (fors *Belina*
 in Bucoviza) *Beligradum* (vetus *Jadera*) *Brebera* (*Brebir*) *Cblebna*,
Claboca (fors *Klapaz* ad Urpani Scaturiginem) *Cori* (*Corinum*) *Cribasa*
(Korbavia) *Emota* (*Imota*) *Gouzecha*, *Litza* (*Lika*) *Nova*, *Pesenta*,
Scordona, (*Scardona*) *Sidraga*, *Stolpum*, *Tenen* (*Timinium*) *Tzentze-*
na (*Cetina*) &c.

§. XV.

SERVIÆ fines, divisio, præcipua loca.

SERVIA prima ætate partim *Orientalis Dalmatia*, partim *Moësia Su-*
perior dicta, ab Oriente Bulgariam, ab Occidente Croatiam, Istrum
 a Septentrione, a Meridie Chulmiam conterminam habuit, Drinoque
 fluvio media fere interfecabatur; tum ternis quoque aliis, nempe Bosna,
 Rama, Rasciaque, a quibus subinde varias appellationes, partitionesque
 nata est, uti alibi opportunius declarabitur. Præter *Albam*, *Semen-*
driam, sive *Spbenderoviam*, & *Naissum* (de quarum originibus suo loco
 agetur) reliquorum Oppidorum nomina apud Porphyrogenitum Cap.
 XXX. & XXXIII. Lector adnotata reperiet.

§. XVI.

§. XVI.

De Ducatu S. Sabæ, sive CHULMIA.

CHULMIA, sive ZACHULMIA, quæ deinde *Ducatus S. Sabæ*, ac tandem *Herzegovina*, dicta est, a Ragusio initium habuit, tendebaturque usque ad Orontium fluvium. Nomen traxit a monte Chulm, variasque Civitates complectebatur, quas, cum hodieum pristina fere nomina retineant, de industria hoc loco reticemus. Censebatur hæc quoque pars Servia, priusquam proprios Duces obtineret; de quorum origine ita Dufresnius in Familiis Dalmatiae, Sclavon. & Turc. N. XXXI. „ Horum „ originem, & Natales ad quemdam Nobilem *Wlk*, cognomento *Hra- „ na*, Scriptores referunt, qui ex Comite Rudinensi natus dicitur circa „ annum MCCCXVII. Hic, cum in Servia Regis Stephani Neemanis „ comitatum venisset, ab eo benigne exceptus, cum ob militarem forti- „ tudinem, tum ob præclaras animi dotes, quibus decorabatur, in obsè- „ quiorum deinceps mercedem non minimam agri portionem, quæ Reti- „ nensi Comitatu adjungeretur, ab eodem obtinuit &c. „

§. XVII.

De Civitatibus & Insulis PAGANIAE.

PAGANIA, sive HYPAGANIA, de cujus nomine Capite I. §. XVI. differebamus, inter Orontium, & Cetinam media, Urbes quaternas, ac totidem Insulas, incolis frequentes, continebat. Priorum nomina hæc fuere: *Barullia*, *Labinetza*, *Mocrum*, & *Ostroch*; posteriorum vero: *Braczes* (Brachia) *Curca* sive *Cuer* (Corcira) *Malozeate*, sive *Meleta* (Melita) & *Pbara*; præter minores quasdam tum Insulas, tum Civitates, quas Porphyrogenitus ipse præteriiit.

§. XVIII.

De Dynastiis Terbuniensi, & Diocleensi.

QUOD TERBUNIENSEM ac DIOCLEENSEM Toparchias attinet, aliud nihil præter Civitates *Terbuniam* (hodie Trepigna) & *Diocleam*, a qua tum populi, tum etiam Regionis tractus nomen acce-

PARS I.

K


perant,

perant, adnotatas reperies. Haud tamen quis putet, priorem Gentem nempe TERBUNIENSES, sive TIBURNIOTAS aliam esse a *Canalitis*, quorum etiam Dalmatici Scriptores meminere. Porphyrogenitus alterutros duntaxat referre consuevit, quemadmodum discere est ex Cap. XXI. ubi de Slavorum, totiusque Dalmatiæ, a Francico Imperio defectione, ita loquitur : „ Michaëlis Amorensis Balbi socordia, qui Dalmatiæ Oppida habitabant, sui juris exstiterunt, neque Romano Imperatori, neque cuiquam alteri subiecti. Itidem finitimæ illis Gentes Chrobati, Servii, Zachulmitæ, Tiburniotæ, Diocletiani, & Hypagani, excussis Romani Imperii habenis, liberi, suisque, non alienis legibus usi fuerunt. „

§. XIX.

Quæ adjici superioribus possent ?

PAUCIS his conjecturis super nova Provinciarum partitione, post Romani Imperii inclinationem, e probatiore tum Veterum, tum Recentiorum Scriptorum sententia, tumultuarie congestis, adjiciendum aliquid foret de Orientalis, atque Occidentalis Imperii divisione, imperante Carolo M. facta; verum cum hæc ad institutum nostrum non summe necessaria sit, utpote quibus præcipuus finis propositus sit, Recentiora proponere; ad hæc tempore, viribusque destituamur, accuratam eorum temporum delineationem, uti & Provinciarum limites, Populorum item, ac Urbium nomina; a nobis hæctenus neglecta, ac etiam deinceps negligenda, iis, quibus otium, assiduæque lectionis nervus suppetit, impense commendamus.



CA-

CAPUT QUARTUM.

ANIMADVERSIONES SUPER ORIGINE
HUNGARORUM.

§. I.

An omnes Gentes prodixerint e Scandinavia ?

Rarissimus nonnulla de variis Gentibus, quæ diversis temporibus Hungariam cum annexis Provinciis, & Regnis infedere; nunc ordo ipse, & ratio postulare videtur, ut de HUNGARORUM quoque, queis in reliquos tot annorum spatio dominari obtigit, origine, pauca, pro uberiore dicendorum notitia subjiciamus. Haud enim iis acquiescendum, qui Gentes omnes Septentrionales, sub Heraclii imprimis tempora, in Europam effusas, ex una *Scandinavia*, *Gentium* proinde *Vagina*, educunt. Aliud enim ipsarum mores, indoles, lingua, admodum varia, non obscure nos edocent; ut taceam, quod e superius allatis plane oppositum evincatur. Insuper neque illud dissimulandum, a quibusdam Scriptoribus Gentes illas Septentrionales jam *Humorum*, jam *Gotborum*, aut *Vandalorum* nomine pro libitu donatas fuisse, generali qualicumque vocabulo in ignorantie subsidium adhibito; quod hujusmodi Historiis, alioquin satis implicatis, procul dubio confusionis plurimum attulit, uti pluribus docet Eruditissimus Pagius in Critic. ad Baron. ad annum Christi CCCCVII.

§. II.

De HUNNORUM in Oriente potentia, & Indathyrsis eorum Regis Hieroglyphico.

SEd ne longius ab instituto recedam, antequam HUNGARORUM scruter origines, de HUNNIS, eorum, ut plerique volunt, Parentibus, id tantum commoneo, ut Lector ea recolat, quæ, cum de Avaribus sermo esset, attuleram ex Jornande; cujus etiam illud de Hungaris, nisi fallor, est: „ Hunugri autem hi sunt noti, quia ab ipsis pellium

„ murinarum venit commercium, quorum mansionem primam esse in
 „ Scythiæ solo, juxta Paludem Mœotidem; secundo in Mæsia, Thracia-
 „ que, & Dacia; tertio supra mare Ponticum; rursus in Scythia legimus
 „ habitasse. „ Plura, quibus ab ipsis incunabulis suis inclaruit Natio Hun-
 nica, Scythicaque, legere est apud Justinum, Herodotum, aliosque Scri-
 ptores Veteres; quorum plerique illis attribuunt in universum Orientem
 dominatum, quodque Darius cum totius Asiæ viribus imminentem *Scy-
 thie* sine prælio vicerint, ac annua ab Æthiopibus, Ægyptiisque exegerint
 tributa. Equidem non me latet, Victoriæ de Dario, ab iis Historiogra-
 phis, qui Hunnos distinguunt a Scythis, Hunnis detrahi, Scythis non
 gloriosissimam addici. Ajunt enim: Quod cum Darius ab Indathyrsi,
 Scytharum Rege, munerum loco terram, & aquam deposceret, receperit
 murem, avem, ranam, & quinque sagittas; quo intelligeret: quod nisi
 vel tollatur in aëra mutatus in avem, vel cum rana paludibus, aut more
 murium cavernis condatur, sagittis universo cum populo sit configendus.
 Hieroglyphico non respondit eventus. Siquidem Iones, pontem, Istro
 impositum, tutantes, pugnae aviditate, stationem deseruere; qua prære-
 pta, Darius cum suis salvus rediit. Non refert, Scythicolisne, an Hun-
 nicolis suffragemur. Utrique victum Darius, utrique Scythigenas Victo-
 res, & Hungarorum fuisse Patres fatentur.

§. III.

De HUNGARORUM origine sententia Sigism. L. B. Herbersteinii, S. Hieronymi, & Annalistæ Metensis.

CÆterum super nobilissimæ hujus Gentis ortu conjecturas plerasque
 tum Berneggerus in *Not. Hung.* tum Francisc. Foris Ottrokoczi in
Origin. Hung. in unum congestas, notisque illustratas eruditionis studioso
 in mentem facile revocabunt. Inter reliquas autem Geographorum non
 paucis arridere visa est sententia Sigismundi L. B. ab Herberstein, olim Cæ-
 sarei ad Moscos Legati, qui in Tabula Geographica ad Commentarios Re-
 rum Moscoviticarum præfixa, & Basileæ anno MDLI. edita, trans *Kitai*
 lacum, ex *Obio*, celebri fluvio, dimanantem, hæc verba inscripsit:
 „ Juhra,

„ Juhra, unde Hungari. „ In operis autem progressu pag. 89. habet sequentia : „ Jugariæ Provinciæ situs ex supra dictis patet. Rutheni per „ aspirationem *Jubra* proferunt, & populos *Jubrici* vocant. Hæc est, „ Juharia, ex qua olim Hungari progressi, Pannoniam occuparunt, At „ tilaque Duce multas Europæ Provincias debellarunt. „ Non abludit D. Hieronymus, Epistola quadam ad Oceanum ita loquens : „ Ecce subito „ discurrentibus nuntiis Oriens totus intremuit. Ab ultima Mœotide inter „ glaciale Tanaim, & Massagetarum immanes populos, ubi Caucaſi ru „ pibus feras gentes Alexandri Claustra cohibent, eruperunt HUNNO „ RUM examina, quæ perniciousis equis huc illuc volitantia, cædibus pa „ riter, ac terroribus cuncta compleverunt. „ Testimonium hoc Magni Ecclesiæ Doctoris dum HUNNOS a Massagetis disjungit, non adversatur Evagrio, Lib. III. Cap. II. afferenti : Hunnos olim dictos fuisse Massagetas. Nam locus Evagrii de Hunnis, confusis, ut plerumque fit, cum Scythiis accipiendus videtur ; ex adverso D. Hieronymus fermocinatur distinctius, proximum etiam a proprio dispescens. Eodem sensu accipe, si quando apud Strabonem HUNNORUM loco legeris URGOS apud alios UGROS, in Ptolemæo CHUNNOS ; quos Geographus hicce collocat in Sarmatia inter Basternas, & Roxolanos ; qui tribus duntaxat aliquot, extremæ Moſcorum, Septentrionalem ad Oceanum, Provinciæ finibus, non vero Gentem universam senserit concludi. Qui Slavonicum idioma profitentur in *Hungaria*, hodie dum concives HUNGAROS, UHROS, vel UGROS vocant, Poloni Wengros. Divo Hieronymo, primum Scythiarum egressum referenti, consonat Annalista Metensis, & Benedicti Papæ VIII. ad Henricum II. Imperat. data Epistola, a quibus tertia (aliorum opinione altera) HUNNORUM in Pannonias irruptio describitur hunc in modum : „ HUNGARORUM Gens ferocissima anno DCCCLXXXIX. a Scy „ thicis Regnis, & a paludibus, quas Tanais sua refusione in immensum „ porrigit, effusa est. Hinc ejusdem, ac HUNNI, sunt originis, eosque „ etiam Turcas vocant. Et primo quidem Pannoniorum, & Avarum „ solitudines pererrantes, venatu, ac piscatione victum quotidianum quæ „ ritabant. Deinde Karantanorum, Marahensium, & Bulgarorum fines „ crebris incursionum infestationibus irrumpunt, ipsumque Italiæ Regnum „ ex maxima parte devastant, & Germaniam, & Franciam populantur.

„ Austriæ populos, ob fœdus factum nihil mali suspicantes, imparatos ag-
 „ grediuntur, & trucidant, ædificia incendunt, nobilitatem, viros, ac
 „ fœminas in servitutem redigunt, & captivos abducunt; Monachos,
 „ Sacerdotes cum templis comburunt ita, ut ne quidem una ædes sacra re-
 „ licta fuerit, ac regio sic in solitudinem redacta, ut nullum usque ad Ot-
 „ tonem M. cultorem christianum habuerit; ac demum sedem figunt in
 „ his regionibus, quas nunc habitant, atque ab ipsis dictæ sunt: HUN-
 „ GARIA. Ita Annalista, multa exaggerate.

§. IV.

Aliorum de HUNGARORUM origine opiniones.

CONsentire jam relatis, nostramque firmare sententiam videtur e Vete-
 ribus Ammianus Marcellinus, qui in Historia sua UNGRORUM
 quoque meminit. Apertius Eginhardus in Vita Caroli Magni. E Recen-
 tioribus autem Brietius in Parallelis Tom. II. Parte I. Lib. VI. cum plurimis
 aliis, quos apud Becmannum, & Czuittingerum notatos reperies. Sub-
 necti tot aliis possunt bina testimonia e Manuscriptis Historicis, viri, cum
 a sanctitate, tum ab eruditione nostro ævo clarissimi, Patris Gabrielis He-
 venesy e S. J. a nobis eruta. Alterum est Sacellani Episcopi Segniensis Se-
 bastiani Glavinich, Cæsarei olim in Moscoviam Legati; qui in quibusdam
 literis Terfacti circa annum MDCLXIX. die XXI. Octobris datis refert:
 „ Unde Hungari prodierint, mihi, proficiscenti in Moscoviam, olim D.
 „ Archi-Episcopus Szelepcsény, &, puto, etiam D. Comes Nádasdi, ut
 „ inquirerem, in commissis dederunt; quod & intus indagavi, & veni in
 „ cognitionem, quod ex Provincia JUGARIA, quæ Magno Duci Mo-
 „ scoviæ paret, exierint; sed loquuntur lingua abstrusa. „ Alterum est
 Patris Conradi Terpilovski e S. J. partes Tartarorum peragrantis; qui in re-
 latione, de Tartarorum Hordis circa fluvium Volgam, & Okam, Anno
 MDCXCVIII. ad socios Europæos data, ita scribit: „ Moscoviæ habui
 „ relationem de Siberiensibus Tartaris; qui longe diversam ab his habent
 „ linguam. Quis scit, an non inde Nobilis Hungaria suam trahat origi-
 „ nem? Si hominibus nostris Domini Mosci transitum concederent per Si-
 „ beriam in Chinas, præter Chinas aperiretur nova Christi vinea excolen-
 „ da. De nobis habent suspiciones, quas illis incusserunt hæretici &c. „
 Ne-

Neque postrema prioris testimonii verba, conjecturam infirmant, cum fieri facile potuerit, ut HUNGARI Europæi, vel ab ipso climate, & jugi cum politissimis Nationibus consuetudine, cultiorem sermonem edocerentur. Sane, qui recessus Matræ, aliarumve, a comœatu frequentiore semotarum terrarum vicos incolunt, abstrusum quid politiorum auribus, sed una idiomatici proprium, vox eorum sonat; ne mentio fiat vel nominum eorum, quos e Scythia egressos domestici Fasti memorant; quorum enuntiatio peritissimorum HUNGARORUM os, & linguam fatigat. Nimirum non soli mores, verum & sermo novit mitescere; quem eo verius nostrum dicere possumus, quo ipse vocum flexus ad animi sensa propius accedit.

§. V.

*Ludicræ quædam conjecturæ de HUNGARORUM
appellatione.*

VERUM ne in re dubia (in qua suam cuiusque conjecturam eo majori cum approbatione promere fas est, quo illa Auctoris ingenium magis commendavit) veritatis studiosiores, atque circumspicientes, quam ævi hujus indoles possit, existimemur; reticendum non est, quod e Dufresnii Glossario in voce *Hundredus*, sive *Hundradus* licuit animadvertere. Plurima ibidem Auctor in medium affert, ut evincat, verba illa: *Hundredus*, *Hundradus*, *Hundredum*, *Hundrega*, & his similia, a Saxonico, sive Francico, ut mediæ ætatis Scriptores loquuntur, vocabulo: *Hundert*, quod centum, sive centuriam significat, derivatas fuisse. Recitare igitur aggredimur Ingulphi verba; qui de *Hundredorum* in Anglia, ab Alvredo Rege, Natione Saxone, institutione ita scribit: „ Totius Angliæ pagos, & Provincias in Comitatus primus omnium commutavit; Comitatus in centurias, id est, *Hundredas*, & in decimas, hoc est, in tritingas divisit, ut omnis indigena legalis in aliqua centuria, & decima existeret. - Præfectos vero Provinciarum (qui antea Vice-Domini) in duo officia divisit, id est, in Judices, quos nunc Justitios vocamus, & in Vice-Comites, qui adhuc idem nomen retinent &c. „ Quæ omnia, quam affinia sint iis, quæ superius e Sangallensi Monacho super Hungariæ sub Carolo

rolo M. facie recitavimus, nemo non videt. Meminit præterea idem Dufresnius Joannis Stierhocky, qui Lib. I. de Jure Sveonum vetusto pag. 30. ait : „ *Districtus*, sive *Comitatus* apud Ulpandos, & Svedos Cis-Sylva- „ nos *Hundrados* appellari confveffe, quod centum, ut plurimum villas, „ vel potius colonos continerent. „ Ex his, uti & plurimis aliis, quæ apud eundem Auctorem loco citato legere est, suspitionis opportunitatem accersimus : HUNGAROS olim *Hundaros* dictos fuisse, appellationem- que sane, tanquam a vernacula *Magyar* omnino alienam, a Francis, una cum terræ in Comitatus partitione profectam. Conjecturæ huic admodum ludicræ, par fulcimentum adfert eorum pariter opinio, qui ex mente Ammiani Lib. XXXI. HUNNORUM vocabulum ab HUN, quod juxta ejus Gentis, ut, ipsi affirmant, idioma *Centuriam* significat, quia centuriatim, gregatimque procedebant, enatum contendunt. Cohibete hic risum HUNGARI! & dum in toto SZÁZ (centum) ne unum- quidem ex *Hun* apicem deprehenditis, quantum sæpe rationibus, ex vo- cum argutia petitis, quantum occupatis quapiam opinione Scriptoribus de- ferendum sit, commento hoc (date eam verbo veniam) Hecatombico æstimate. Ejusdem surfuris est commentum aliud, quo existimant paucu- li, Hispaniæ nomen ab Hungaris, qui Præfectos quosdam, ut *Fö-Ispán* &c. Ispanos vocant, inditum esse, postquam eas in Regiones Hungari ab excessu Attilæ invasissent. Fabellam confutant luculentissime Sacri Codi- ces, qui tot ante Sæculis Hispaniarum meminere. Vide I. Machab. VIII. & Rom. XV. Ut quid autem iis farcimus paginam, quæ probari possunt ne- mini? Paucis rem conficimus, exemplum secuti Magistri Historicorum, Titi Livii, qui pari in argumento, videlicet de Primordiis Populi Romani, scriptum reliquit : Sibi ea de re sensa majorum *nec refellere, nec affirmare* propositum esse. A nobis perinde, ne mediæ habeamur fidei, nullam, quæ quidem in nostram venit conscientiam, præteriri opinionem decuit; ne vero plus æquo nobis videamur arrogare, integrum Lectoribus relinqui, quam de propositis amplecti quisque malit.



CA-

CAPUT QUINTUM.

REGNI HUNGARIÆ PRIMORDIA.

§. I.

*De Religione Christiana in HUNGARIAM
inveſta.*

Estat nunc, ut, quoniam de Nobilissimæ HUNGARORUM Gentis, undecunque demum ortæ, triplici in Europam appulsu, sediumque in Pannonia metatione superius memini, nunc de Regio quoque diademate, novique Regni primordiis pauca subjungam. Atque illud cum primis compertum est, non eadem Regni, quæ Religionis Christianæ apud laudatam Nationem initia fuisse. Nam primus Christianorum HUNGARORUM Dux GEYSA, Divi STEPHANI Pater, tum vestigiis quibusdam orthodoxæ Religionis, quæ Rex quondam Carolus, dum inibi victor circumferret arma, nonnullis in locis impressa reliquerat; tum secundæ conjugis *Adleide* Sororis Micislai Poloniæ Ducis, fœminæ, rem Christianam in HUNGARIA promovendi studiosissimæ, hortatibus; tum vel maxime cœlico impulsu commotus, primum favere, Christum colentibus, cœpit; dein Viros sanctitatis fama celebres undequaque, potissimum autem ex Italia accivit; complures DEO sacras ædes fors & cænobia, aut reparavit, aut a fundamentis eduxit. Hæc inter ponenda reor primordia celeberrimi Benedictinæ Familæ ad D. Martini in monte Pannoniæ, ac Zoboriensis ad Nitriam Asceterii. Ad hoc enim digredi quot annis consueverat Benedictus ille Natione Polonus, Professione, Sancti Benedicti filius, quem ob austeritatem vitæ, sponte assumptam, cultu Martyrum veneratur HUNGARIA ad XVI. Kal. Augusti; in illo autem spectator actionum Benedicti, quique hæc ipsa transmisit ad posteros, Maurus, quinque Ecclesiensium, opinione quorundam, quamvis non nostra, primus Antistes, latinas literas ediscebat; qui sane, ut Sacerdotio huic, sub annum CIOV. constituto, maturus esse posset, ludus ille literarius Mauri, pluribus ante annis stetisse debebat. Luculentius est, & nostræ etiam temporum rationi

consonum, quod ex Actis SS. Benedicti. Tom. VI. & Vita S. Stephani Regis ad diem XX. Augusti e Surio refert Ludovic. Du-Mefnil Doctrinæ, & Disciplin. Eccles. Tom. IV. „ STEPHANUS, inquit, inde (hoc est, „ ab obitu Patris Geysæ) piis operibus, continuis orationibus, magnisque „ eleemosynis Divinam pro suis implorabat misericordiam, accersitisque „ plurimis Viris piis, qui in vinea Domini laborarent, Astricum Abbatem, ejusque discipulos honorifice suscepit, & ad radicem Montis Ferrei collocavit, ubi S. Benedicti Cœnobium magnifico sumptu ædificari „ permisit. Quin & Basilicam illam multis prædiis, pagisque donavit, „ Monachorum consuetudine, quando viros optimos esse intelligebat, „ mirifice delectabatur, quorum auxilio, & opera HUNGAROS partim sponte, partim vi, ac metu in lucem veritatis asseruit, mandataque „ sacræ legis, & orthodoxæ fidei axiomata omnes scire coëgit. Sed quia „ sine Pastoribus diu subsistere non poterat nascens Ecclesia, huic necessitati providit, regionemque totam in decem Episcopatus, quorum Metropolis esset Strigonia, & primum Archiepiscopum consecrari fecit „ Sebastianum, Magnæ Pietatis Monachum. Astricum vero, quem doctrina, & moribus præstantem esse noverat, Coloczenfi Ecclesiæ Episcopum præfici curavit, & appellavit Anastasium. Eundem Romam „ misit. „ Quare neque defero Bonfinio, monita quædam ad GEYSAM de cœlo missa veris revelationibus (quas refert Andreas II. Rex Hungariæ, in literis, Jacobo Prænestino Episcopo, inscriptis, & Bonifacius Papa VIII. in Epistola ad Nicolaum Ostiensem, & Vercellensem Episcopum data) asserenti; *puta: ne sacella dedicaret, aut Sacro-Sanctos Antistites induceret, ne Scythicam Gentem a profana religione vindicaret, eo quod sanguine pollutas manus haberet.* Hæc enim monita nec a cœlesti proficisci genio, nec in Geysam, pacis, ac recti tenacissimum, minus unquam sanguinarium, poterant convenire. Perinde ægre inducor, ut credam, Ducem hunc una cum multis Nobilium lustrali fonte ablutum anno primum DCCCCXCI. seu quinquennio ante obitum, in Romanæ sedis fidem aperte concessisse, posteaquam Stephanus filius ex ephæbis excessit, anno natus verosimillime DCCCCLXIX. illicoque ab Adalberto, Pragensium Præsule sanctissimo, ac subinde Martyre glorioso, baptizatus; Lustrici Patris munus obeunte Theodato Comite Bohemo, de quo nos infra. Porro hanc

hanc temporum rationem sequimur, ne, si cum Lucio, Inchoffero, Baronio, anno primum DCCCCLXXXIX., vel paulo ante, natum ponamus Proto-Regem Stephanum, ab eo, pene puerulo, ea esse gesta fateri debeamus (puta illico post obitum Geysæ Patris biennale, cum Cupa Simeghienfi Comite bellum, tot, tantaque constituta Sacerdotia &c.) quæ Sylvester Papa in cœlum effert, in literis, ad Apostolum illum, & Regem cum sacro Diademate, amplissimisque Privilegiis Anno Christiano CIO. datis. Quanquam quid opus est, palpitare pleno in meridie? Pili-
grinus, Laureacensis Ecclesiæ Pontifex sanctissimus, datis ad Benedictum Papam VI. anno DCCCCLXXVIII. literis aperte significat : „ Factum
„ est, ut pene tota Hungarorum natio sit prona ad percipiendam fidem;
„ ex eisdem Nobilioribus Hungaris utriusque sexus Catholica fide imbutos
„ circiter quinquies mille. „ Dabimus hæc fusius Lib. III. Cap. XI. §. IV. Eos inter nobiliores fuisse ipsum quoque Geysam Ducem IV. non dissimulat Du-Mefnil T. IV. pag. 37. Auspiciatissimus horum partitor, ac Nuntius Africus, sive Anastasius, Benedictinus tunc Monachus, mox Colocensis Antistes, erat; de quo ita Baronius Tomo X. Annal. „ Africus
„ ad Pontificem venit, sanctique Regis res gestas ordine referens, a Sede
„ Apostolica Regni Coronam petiit, ostendens, dignum esse Ducem eo
„ honore, & dignitate, quippe, qui Divina fretus ope multos sibi popu-
„ los subjugasset, multosque infideles sua potentia ad Christum convertif-
„ set. Iis auditis mire exhilaratus est Pontifex; precibus illius annuit li-
„ benter, Crucemque ante Regem, ceu Apostolatus insigne, gestandam
„ adjunxit: *Ego, inquit, sum Apostolicus; at ille merito Christi Aposto-
„ lus dici potest, cujus opera tantum populum sibi Christus requisivit. At-
„ que ea causa, quemadmodum Divina gratia ipsum docebit, Ecclesias
„ DEI, una cum populo, nostra vice ei ordinandas relinquimus.*

§. II.

*Diploma Sylvestri Papæ II. quo Hungaria in Regnum
erebitur, ejusque Reges Privilegiis ornantur.*

Illustre hoc Baronii testimonium, quo copiosius ex ipso hauriatur fonte, Bulla nempe Sylvestri Papæ II. Cujus exemplar cum sacro illo Diademate asservatur, non abs re fuerit eam hoc loco inferere, sic autem habet:

Sylveſter Epifcopus Servus Servorum DEI, Stephano Duci
Hungarorum.

Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

„ **L** Egati Nobilitatis Tuæ, imprimis vero chariſſimus Confrater Noſter
 „ Africus, Venerabilis Colocenſis Epifcopus, tanto majori cor no-
 „ ſtrum lætitia affecerunt, ac minori officium ſuum labore confecerunt,
 „ quanto divinitus præmoniti, cupidiffimo animo eorum adventum, de-
 „ ignota nobis gente, prætolabamur. Felix Legatio! quæ cœleſti præ-
 „ venta nuntio, atque Angelico pertractata miniſterio, prius DEI con-
 „ cluſa eſt Decreto, quam a nobis audita fuiſſet. Vere non volentis, ne-
 „ que currentis, ſed, ſecundum Apoſtolum, miſerentis eſt DEI; qui,
 „ teſte Daniele, mutat tempora, & ætates; transfert Regna, atque con-
 „ ſtituit; revelat profunda, atque abſcondita, & novit in tenebris conſti-
 „ tuta; quia lux cum eo eſt, quæ, ſicut docet Joannes: Illuminat om-
 „ nem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo gratias agi-
 „ mus DEO Patri, & Domino Noſtro JESU Chriſto, qui temporibus no-
 „ ſtris invenit ſibi David, Filium Geysæ, hominem ſecundum cor ſuum,
 „ & luce irradiatum cœleſti, ſuſcitavit illum paſcere Iſraël Populum ſuum,
 „ Electam gentem Hungarorum. Deinde laudamus pietatem ſublinitatis
 „ Tuæ in DEUM, & reverentiam erga Sedem Apoſtolicam, cui Divina
 „ patiente miſericordia nullo meritorum noſtrorum ſuffragio præſidemus.
 „ Tu vero largitatem liberalitatis, qua Beato Petro Apoſtolorum Principi
 „ Regnum, ac Gentem, cujus Dux es, cunctaque Tua, ac te ipſum per
 „ eosdem Legatos, ac literas perpetuum obtuliſti, digno præconio com-
 „ mendamus. Hoc enim factò egregio aperte teſtatus es, & revera talem
 „ Te merito eſſe demonſtraſti, qualem, ut nos Te declarare dignaremur,
 „ ſtudioſe expetiviſti. Sed parcimus; neque enim necèſſe eſt, ut, quem
 „ tot, & talia, pro Chriſto geſta facinora voce publica clamant, quemque
 „ DEUS ipſe commendat, amplius commendemus. Quare, glorioſe Fili,
 „ cuncta a nobis, & Sede Apoſtolica expoſtulata, Diadema, nomenque
 „ Regium, Strigonienſem Métropolim, & reliquos Epifcopatus, de omni-
 „ potentis DEI, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, cujus Aucto-
 „ ritate, præmonente, atque ita jubente eodem omnipotente DEO, cum
 „ Apoſtolica, & Noſtra Benedictione libenter conceſſimus, concedimus,
 „ &

„ & impertimur. Regnum quoque, a Munificentia Tua Sancto Petro ob-
 „ latum, Teque una, ac Gentem, & Nationem Hungaricam, præsen-
 „ tem, ac futuram sub protectionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ accepta-
 „ mus; Prudentiæ Tuæ, Hæredibus, ac legitimis successoribus Tuis ha-
 „ bendum, tenendum, regendum, ac possidendum reddimus, & confe-
 „ rimus. Qui quidem Hæredes, ac successores Tui quicumque, postea-
 „ quam per optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis, &
 „ successoribus nostris, per se, vel per Legatos debitam obedientiam, ac
 „ reverentiam exhibere, seque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ subiectos
 „ non habet ut Servos, sed ut Filios suscipit universos, subditos esse osten-
 „ dere, atque in Catholica Fide, Christi Domini, ac Salvatoris Nostri Re-
 „ ligione firmiter perseverare. Et quia nobilitas Tua, Apostolorum glo-
 „ riam æmulando, Apostolicum munus, Christum prædicando, ejusque
 „ fidem propagando, gerere non est dedignata, nostrasque, ac Sacerdotii
 „ vices supplere studuit, atque Apostolorum Principem præ cæteris singu-
 „ lariter honorare; idcirco & nos singulari insuper Privilegio Excellentiam
 „ Tuam, Tuorumque meritorum intuitu Hæredes, & Successores Tuos
 „ legitimos, qui, sicut dictum est, electi, atque a Sede Apostolica appro-
 „ bati fuerint, nunc, & in perpetuis futuris temporibus condecorare cu-
 „ pientes, ut postquam Tu, & Illi Corona, quam mittimus, rite, juxta
 „ formulam, Legatis Tuis traditam, coronatus, vel coronati extiteritis,
 „ crucem ante se, Apostolatus insigne, gestari facere possitis; ac valeatis,
 „ atque Illi possint, valeantque; & secundum quod Divina gratia Te, &
 „ Illos docuerit, Ecclesias Regni Tui præsentis, & futuras, nostri, & Suc-
 „ cessorum Nostrorum vice disponere, atque ordinare, Apostolica Aucto-
 „ ritate similiter concessimus, volumus, & rogamus; sicut in aliis literis,
 „ quas in communi ad Te, optimatesque Regni, & cunctum fidelem Po-
 „ pulum per Nuntium Nostrum, quem ad Te dirigimus, deferendis, ple-
 „ nius hæc explicata omnia continentur. Oramus omnipotentem DEUM,
 „ qui Te de utero Matris Tuæ vocavit nomine Tuo ad Regnum, & Co-
 „ ronam, quique Diadema, quod Duci Polonorum per nos confectum
 „ fuerat, Tibi dandum mandavit, augeat incrementa frugum justitiæ suæ;
 „ novellas plantas Regni Tui rore suæ Benedictionis perfundat largiter;
 „ Regnum Tuum, Tibi, Teque Regno servet incolumem, ab hostibus

„ visibilibus protegat, ac post terreni Regni molestias in cœlesti Regno Co-
 „ rona adornet æterna. Datum Romæ VI. Kal. Aprilis. Indictione 13.
 „ Anno Christi CID. „ Hactenus summus ille sacrorum Præses, quam-
 ad ornandum D. Stephanum, ejusque Successores, ac Regnum universum
 magnifice; tam ad rem e Spiritu DEI prorsus accommodate. Una vox,
 qua Sylvester, *ignotam* sibi vocat gentem Hungaram, commovit quos-
 dam, ut sinistrum quid suspicarentur. At immerito; nam nec vilem di-
 cere volebat Pater sanctissimus, quod a rationibus Ecclesiæ istud prorsus
 alienum foret; nec poterat prorsus habere ignotam Summus Christi Vica-
 rius vineam novellam; poterat vero non plene nota esse, cujusque Legato-
 rum penitus incogitatus acciderit adventus. Utinam & Stephanæarum ad
 Papam, & Sylvestrinarum ad optimates adipisci, ac publici juris facere li-
 ceret exempla! quas mirum est in dubium a nemine vocari, cum amplissi-
 mum ipsum Diploma Sylvestrinum crifim non effugerit, quia eo non repe-
 riebatur in Tabulario, in quo illud asservari scripserat, a quo primo in lu-
 cem protractum est, Inchofferus. Quanquam affatim illi consultum est Si-
 gismundo Imperatore, ac Hungariæ Rege in celeberrimo Constantiensi Con-
 cilio; in quo cum compluribus aliis Privilegiis roboratum est, interposita
 juris-jurandi religione. Quamobrem nemo non videt, quid sentiendum sit
 de Aventini, Conringii, Lazii, atque aliorum sententia, qui D. Step-
 hanum, ab Henrico Imperatore, in præmium susceptæ Religionis Catholicæ,
 Regio Titulo donatum affirmant, in quos ita Berneggerus in Notit. Hungar.
 „ Admirandum in Germanicis Scriptoribus, quomodo in Conversione
 „ S. Stephani affectui largiter indulgeant, & scribant, eum Giselaæ ope, &
 „ consilio suscepisse Christianam Religionem. Præter Aventinum, & Philip-
 „ pum, eodem affectu correpti sunt, Sigebertus Gemlacensis, & Lazius &c.

§. III.

Carmen in Laudem S. Stephani I. Regis, & Legis- latoris Hungariæ.

QUoniam autem testimoniis res agitur, nefas esto præterire elegantissi-
 ma Balbi, Viri clarissimi, olim Pofoniensis Præpositi, Carmina in
 Laudem D. Stephani Regis, qui Primus Hungaris leges scripsit, postmo-
 dum

dum Juri Patrio, per Stephanum Verböczium, Vladislai II. Regis jussu in unum volumen collecto, haud inficete subnexa sic ad verbum :

*Inclyta, quæ Scythicis Gens prodiit Hungara terris,
 Nil, nisi sanguinei Martis, amabat opus.
 Clara quidem bello, partisque decora triumphis;
 Sed non pacificæ conscia legis erat.
 Non fora legitimis resonabant sparsa tabellis,
 Nullaque conscripti Regula Juris erat.
 Jus dubie pendens, incertæque alea litis,
 Sparsaque clamofo jurgia vana Foro.
 Inde (nefas!) Patriis ejectus sedibus hæres
 Hæsit, & alterius sustulit alter opes.
 Inque pari causa lata est sententia dispar,
 Et modo, qui victor, mox fuit ille reus.
 At STEPHANUS veterum laudes egressus Avorum,
 Attulit optatam providus Auclor opem,
 Qui nunc Panmoniæ præscribit jura feroci,
 Armaque fulta sacris legibus esse jubet.
 Ille aperit Regni triplici decreta libello,
 Et notat ambiguo Jura tuenda Foro.
 Atque docet, mores longo servavit ab ævo
 Quos Scytba, Cæsareis legibus esse pares.*

Hæc facunde, nitideque de Tripartito Juris Hungarici opere, ac in Laudem Sanctissimi Proto-Regis Balbus.

§. IV.

De Sacra Regni Hungariæ Corona.

ANtequam priori parti suscepti operis finem imponam, reliquum est, ut attingam paucula de Sacro Hungariæ Diademate, cujus & Sylvester Papa in recitato supra Diplomate, & Cartuitius sua meminit in relatione. Mysticum quid sonant nomina ipsa apposita, quibus indigitari solet Corona hæc: prodigiosa, sacra, Angelica, Apostolica. Et sacram quidem affatim probant Servatoris, sanctissimæ ejus Parentis, Apostolorum, cæterorum-

rorumque Sanctorum, quibus adornatur, icones; Angelicam vero, & Apostolicam, quia Angeli monitu, ab Apostolica sede donatam; Prodigiosam denique, quod nec primum obtenta sit sine miraculo, & deinceps conservata pari prodigiis Providentia. Itaque non immerito ea est apud Hungaros magni hujus thesauri religio, ut nisi quis eo incinctus fuerit, legitimus D. Stephani Regis successor haberi non valeat; Patriisque cautum sit legibus, ut folius Regis capiti, Reginarum vero humeris duntaxat admoveatur. Geminis e prima Nobilitate honoris a Regno, unaque Rege fit, ut sacræ Coronæ conservandæ præficiantur; cujus sedes in Arce Posoniensi, tanquam tutissimo loco, delecta est. Qui plura super hoc nosse desiderat, Commentarios Petri de Réva, Comitis Turocziensis, evolvat. Scriptor hic Illustrissimus ob characteres Græcos, Diademati sacro inscriptos, item ob effigiem Constantini M. ejusdemque insignis, Crucem, in eo cælatam, Nostrum hoc illud ipsum esse contendit, quod Christianissimus Imperator iste olim Sylvestro Papæ I. donarat; at ne supra relato Sylvestri II. Diplomati videatur adversari, dicendum est: Donum Constantini, pro Duce Poloniæ accommodatum ab hoc Pontifice fuisse. Ne hoc loco desideretur imago Coronarum pulcherrimæ, Revaianis non inficete depictam verbis damus: „ Forma, inquit, sacræ Coronæ est auro solido, „ artificio sculpturæ magis cœlesti, quam humano in orbem fusa; a cujus „ latiore circumferentia pariter pinnæ florentes forma triangulari circum „ eminent, quatuor angulis rectis; absides se mutuo interfecantes, desi „ nunt in crucem; in ipsa vero circumferentia, a fronte recta, imago Sal „ vatoris Nostri, pomum tenentis; ex adverso Divinæ Matris Virginis, „ & deinde sacerrimus Apostolorum ordo, Regumque, ac Imperatorum, „ Martyrumque Christianorum, ut videre licet, literis græcis cujuslibet „ imaginis species, aureis vultibus, ac propriis trophæis per corpus totum, „ usque ad crucem summam, mutuo consequuntur, interjectis cuilibet „ imagini gemmis, ac unionibus candicantibus, item pretiosioribus lapidi „ bus, Smaragdo, Saphyro, Hyacintho, Chrysolito, Rubino. Et qui „ dem Saphyrum, qui Mathiæ Regis tempore raptus fuit, eoque pacto „ cognoscendæ, & recipiendæ genuinæ Hungarorum Coronæ a Friderico „ III. indicium dederat, Mathias II. cujus auspiciis felicibus sacra Corona in „ sedem Patriam rediit, insertione alterius supplevit; qui etiam nunc in

„ aver-

„ averſa occipitii parte medius conſpicitur. „ Haſtenus ille. Claudant hoc Caput verſus, quos Coronæ ſacræ ſubſcripſit Muſophilus quidam:

*Nobile Cæligeno reſplendens lumine Syduſ,
Dignius anne Polo, dignius anne Solo?
Fulge ſic Patriæ, ne fati ſera poteſtas
Te Cæli rurfus cogat adire Lares!*

LIBER TERTIUS.

*HODIERNA HUNGARIA
IN COMMUNI, AC IN PARTICULARI
TRANS-DANUBIANA.*

CAPUT PRIMUM.

Notitia Hiſtorico - Geographica Nobiliſſimæ
illius Regionis, quæ hodie Hungaria
appellatur.

§. I.

Hungariæ hodiernæ ſitus.



Eteris Hungariæ nomine univerſa illa terrarum ſpatia priore parte complectebat, quæ poſtmodum a Divo Stephano Rege, ejuſque Succelloribus, veræ Religionis zelo arma capeſſentibus, ſacræ addita Coronæ, Regnum omnium, quæ unquam Europa ſuſpexerit, ampliſſimum, proinde Magnum a plerisque Scriptoribus merito dictum, conſciebant. Nunc ea ſub nomenclatione illum tantummodo terræ tractum intelligo, qui Pannoniarum primæ, ac ſecundæ, Valeriæque partem non minimam, una cum Jazygia Metanaſtarum, quin Daciæ quoque portionem comprehendens, circumjacentium Regnorum, ac Provinciarum veluti cor ſemper eſt habitus. Reſpicit autem percommode, ob quadratam, qua fere gaudet, figuram, ſingulas orbis partes,

protenfus in longum ad LXXX. facile milliaria Germanica, in latum ad LXX. definitus ab ortu Transylvania; ab occafu Styria, & Auftria; a Septentrione Polonia; demum a Meridie Sclavonia, Serviaque, per Dravum, ac Danubium.

§. II.

Magna Hungariæ commoda, una infelicitate vitata.

SUMMA hoc in Regno rerum omnium non modo ad ufus humanos neceffariarum, fed ad honeftas quoque delicias conducentium, copia; inexhaustæ auri, argenti, ferri, cupri, falis &c. fodinæ. Piscibus flumina, fylvæ feris, armentis pascua, campi fegetibus, dulciffimo vineæ locupletiffimæ mero, ita, ut fecundum Marfilium in Prodomo: Tot piscinas, quot fluvios; tot gemmas, quot lapides, tot auri, argenticque venas, quot montes fit reperire. Incolas quod attinet, abunde eisdem commendat & virtus bellica, una cum fanguine a Majoribus traducta, ad prodigium usque nostris etiam temporibus probata; & fumma ad omnes fcientias cumprimisque feveriores, vis ingenii; & complurium linguarum plena ad admirationem peritia. Affinia conglomerat Wolfgangus Lazius, & Broderithi potiffimum opusculis in suas chartas Geographicas transferens ampliffimas laudes Hungariæ, quibus affeverat: eam regione terrarum, hominum robore, pecorum fœcunditate, foli pomorum, leguminis, vini, frumenti, pabuli, feraciffimi ubertate, nulli concedere; cœli autem benignitate, & fitus pulchritudine, univerfis omnino orbis Provinciis, ac Regnis jure anteferri debere; utpote cujus tellus rerum omnium abundantia a natura large instructa fit, ubi Aurum, Argentum, Salem, Hydrargyrum, Cynabarim, Plumbum, Cuprum, Ferrum, Asbestum, Alabastrum, omnis generis marmor, pretiosos lapides, & colores effodere licet; ubi flumina non solos pisces, fed quædam gemmas, plurima auri puri ramenta ferunt; vites autem ultra præstantiffimum toto terrarum orbe vinum, ob infitam præfertim virtutem medicam, aureis fætæ interdum turgent botrorum granis. Uno beatiffima hæc terræ portio infelix est; nempe, quod posteaquam ultra quinque Sæcula Catholicæ duntaxat Religionis erat studiosiffima, in alterum jam, errorum dilaceretur sentibus; quos tur-

turbido affveta hærefis fimul in Mariano-Apofolicum hocce Regnum intulit, fimul priſtinæ beatitati, gloriæque, heu quantum! detraxit. Florebat vera fide Hungaria, fucceſcebat Provinciarum, ac Regnorum acceſſionibus; acciſus eſt orthodoxorum numerus, quot Urbibus, quot Provinciis, quot Regnis mulctatam ploramus! Sed modum tenete lacrymæ, ne frons opuſculi offuſa quæſtibus legentium cujuſpiam animos offendat. Nondum electæ (ut eam vocat Sylveſter Papa) Gentis Hungarorum oblitus eſt bonus ille DEUS; nondum famigeratiſſimæ clientelæ ſuæ curam abjecit Magna Hungarorum Domina; nondum ſua ſe abdicavit hæreditate Apoſtolorum Princeps Petrus. Reddentur poſtliminio Regno Apoſtolico priſtinæ felicitatis ſoles, quos ad ſudum provehet meridiem indolis bonitate ſuppar Divo Emerico, Mariana, & Stephanæa ſoboles JOSEPHUS; cujuſ diuturnæ felicitati, quia non nudis votorum ſuſpiriis, ſed propriæ diſpendio vitæ avet conſulere probior quiſque Patriæ noſtræ civis, nec porro, quod adjiciat, habet; nos ad deſcribendum Regnum, cui potiſſimum a benigniſſimo Numine indultus eſt, redeamus.

§. III.

Reges Hungariæ, & varia fortuna.

Florentiſſima Hungariæ Regio, primum Divi Paulini, uti dicebamus, ſubinde Apoſtolici Regis Stephani, Adalberti, Piligrini, Gerardi, aliorumque plurimorum, tum ſanctitate, tum dignitate illuſtrium virorum laboribus exculta, novis identidem Regnorum, ac Provinciarum acceſſionibus augeri meruit. Proprios primum Reges per CCC., & amplius annos coluit; mox deſinente in Andrea III. qui Venetus dictus eſt, Divi Stephani Progenie, extraneos, eodemque diverſos, throno adhibens nonnihil imminuta; tandem in Alberto, inde in Ferdinando Cæſaribus Auſtriacis, novam veluti Stephani ſobolem accepit; cujuſ virtute ad hanc ætatem continuata, & porro quoque augenda, primævæ reſtituatur felicitati; ad quam penitus cognoscendam cæptæ narrationis prætexenda tela eſt. Itaque poſteaquam ſub Carolo I., qui Robertus etiam audiit, apicem gloriæ attigiffet Hungaria, ſæpius quidem in plurimorum invidiam arripere arma debuit, ſemper tamen victrix evaſit, neſcio quam virtuti ſuæ divinitus adjunctam habere fortunam viſa; dum barbarorum omnium immaniſſimi

simi Turcæ, Græcis (quorum perfidia Europam subierant) oppressis, circumjacentes quoque Provincias primum decerpere, tum domesticis ad-
 juti turbis, quos exterorum Regum exciverat æmulatio, in ipsum reliquo-
 rum Regnorum cor, nostram, inquam, Hungariam ferrum immittere,
 sunt aggressi. Factum id mali post Mohacsensem fatalem cladem, impor-
 tunis quorundam consiliis, & intempestiva gloriæ cupiditate accersitam ;
 cui Solymanus ipse fertur ingemuisse. Succiso ad Cannas illas Hungariæ
 Præfulum, ac Nobilitatis flore, ad hæc Rege ipso indigna nece sublato,
 Barbarorum scilicet rapinis, cædibus, incendiis non patere non potuit, vi-
 ginti admodum Comitatus illico mulctata, universa vero incredibili qua-
 dam formidine veluti oppressa. Peropportunum afflictis adeo rebus Divi-
 na Providentia tulit præsidium, admotis ad Regni habenas Principibus Au-
 striacis, quorum Regia undique virtute eo felicitatis evecta est, anceps ut
 hæreas : calamitosiusne olim corruerit, an deinceps illustrius fuerit af-
 fertum ?

§. IV.

Jus Hæreditarium Augustissimæ Domus Austriacæ in Hungariam.

Quanquam autem non minore prærogativa, atque per Divi Stephani
 progeniem, ter centum circiter annis, perque plerosque Successo-
 rum Hungariæ Regnum traductum fuerat, in Austriacorum tutelam
 concefferit ; Hæreditarium tamen Augustissimæ Domui anno primum
 MDCLXXXVIII. quoad virilem sexum, in generalibus comitiis, pro
 Josephi I. inauguratione habitis: quoad fœmineum vero, anno sæculi præ-
 sentis supra vicesimum tertio unanimi omnium statuum, & ordinum con-
 sensu est declaratum. Quam istud auspicato, etsi nostrum non sit extolle-
 re ; quando præsertim orbi palam est, nec in Hungara Gente apparere,
 quidquam non liberi, non prompti obsequii ; nec ad Augustæ Materno-
 Regiam clementiam adjici posse aliquid officii, nihilominus non multum
 extra nostros feremur limites, si, quæ fusc super hoc argumento pertra-
 ctant alii, nos pauculis delibemus. Neque hic animus nobis exaggerare
 illud, quod ære suo, ac milite potiozem Regni partem Ottomanicæ tyran-
 nidi subduxerit Domus Augustissima ; est insuper triplex alius, cui peræ-
 que

que hoc ipsum innititur, cardo. Et primum quidem suggerit Articulus concordiae Soproniensis, inter Fridericum III. Cæsarem, Alberti, olim a Sigismundo Rege ultimis tabulis constituti Hæredis, Filium, & Mathiam Corvinum, in quo sancitum est : „ Quodsi Regnum Hungariæ vacaverit, provideri debeat, ut Imperialis Majestas, aut filius ejus, ut præmittitur, consilio, & potenti auxilio ejusdem Regni Hungariæ, ut moris est, coronetur. „ Præterea additum, ut Corvinus filium Friderici Cæsaris ab eo tempore sese scriberet. Hoc ipsum totidem fere verbis anno MCCCCXCI. ab Uladislao in transactione, cum Maximiliano I. Cæsare, inita, denuo instauratum est. Alterum suppeditavit tristis Ludovici II. ad Mohacsum obitus. Nam post cladem illam Anna, Ludovici Soror, ad exemplum Sororum ipsius Divi Stephani Primi Regis, nec non Mariæ Vladislai IV. Sororis, tum etiam alterius Mariæ, quæ Soror fuerat Ludovici I. Ferdinando I. in conjugem assumpto, ejusque posteris Regnum transcripsit, prout habent acta ejusdem Coronationis Anno MDXXXVI. peractæ ubi hæc verba leguntur : „ Nam cum sese ordines, & status Regni „ non solum Majestati suæ, sed etiam suorum hæredum imperio, & potestate, statim in omne tempus subdiderint &c. „ Coronatio isthæc quandoquidem legitimo ritu, ac præcipuis proceribus celebrata est, tertii cardinis, & momenti vices pro Hæreditario Austriacorum jure, de quo differimus, merito habere censetur. Qui plura expetit, Notitiam Historicam Hungariæ in Coronatione Josephi I. Auctore Joanne Bapt. Comazzi, Cæsareo Historiographo, editam lustret; unde, hic allata, deprompta sunt.

§. V.

De Comitatus Hungariæ generatim.

Divisa est Hungaria, proprie dicta, in Comitatus, Hungaris *Vár-megyé*, quod arcis limitem significat, Germanis *Gespanschaften* appellatos; quod is videlicet, qui in aliquo Comitatu suprema fungitur potestate, Hungaris quidem *Fö-Ispan*, Germanis autem *Ober-Gespan* nominetur. Singulis id genus Districtibus suæ sunt leges, sua officia. Nam præter supremum Comitem sunt Vice-Comites, Judices Nobilium, Judiciariæ Tabulæ Assessores, Notarii, Præsides ærarii, Commissarii, horum omnium vicem gerentes, alique, præsertim in iis Comitatus, qui ob amplitudinem

nem in plures Districtus, seu Processus dividuntur. Statis temporibus, aut dum consulendum est in medium, coguntur Comitatum Comitata, interdum generalia, ad quæ Prælati, Magnates, Nobiles, Regiarum, liberarumque Civitatum Ablegati evocantur; alias particularia, quæ tam numerosum concursum non requirunt.

§. VI.

Nova Hungariæ divisio; & quid recens hoc in opere præstetur.

COMITATUUM numerus pro temporum, rerumque varietate varius reperitur. Nos hodiernum exponemus, in divisione amplissimi Regni, Comitatumque paulo diversam, sed quæ videtur accommodatior memoriæ, a Superiorum temporum Scriptoribus, Hungariæ divisionem facturi. Superiorem, ac Inferiorem, Orientalem, Meridionalem, Occidentalem, & Septentrionalem legas in plerisque. Erudite ita illi quidem, & ad exemplum cæterarum Regionum, at in tam vasto Regno subobscuræ; quod genericè sumptarum harum partium termini, notabili quodam limite memoriæ non figant. Compendiosior, multoque clarior ea nobis videtur, partitio, qua totum hoc amplissimum Regnum trifariam dispescitur, puta: In *Trans-Danubianam*, *Trans-Tibiscanam*, & *Interamnam*; ita ut prima sectio contineat eos Comitatus, qui clauduntur Austria, Styria, Dravo, & Danubio, quæ pars olim respondebat Pannoniis; altera eos, qui olim constituebant partem Daciæ, continenturque intra Tibiscum, Transylvaniam, particulam Poloniæ, Valachiæ, Danubii; postrema demum, residuos a confluentia Danubii, ac Tibisci quotquot intra hæc duo flumina procurrunt ad Moraviam, Silesiam, & Poloniam, qua diffundebatur Regio Jazygum Metanastarum. Consilium hoc idcirco etiam amplectimur, quod secundum hanc designationem commodissime confici posse non modo exactam veteris Hungariæ Tabulam Geographicam, sed novæ quoque ternas distinctas existimemus; quo lumine si hoc opusculum illustrare in præsens incredibilis temporis angustia inviderint, at certe conatum in futurum sola dies suprema abrumpet. In descriptione singulorum Comitatum cumprimis curabimus, eorum situm, limites, fluvios, civitates, oppi-

oppida, vicos, arces, sacras quasvis, ac profanas insigniores ædes, quin & rudera, & quidquid memoratu dignum, seu natura, seu ars, sive casus fecit, proponere fide maxima, industria non levi. Si quandoque jejunos, interdum etiam in errorem nos prolapsos compererit, Amicus Lector, non durus erit ad veniam; modo meminerit, viribus unius hominis, aliis affatim obruti muniis, majus videri, quam ut breviculo præstituto tempore tanta vel evolvat, ne dum elimet, augeat, conscribat, propriis oculis usurpet; eorum autem nonnullos, qui in societatem honestissimi laboris invitabantur, orabantur adeo, infra fatigium, rudi calamo conscribendi unius, alteriusve folii, Patriæ, quæ communis Mater est, honorem habuisse. Hoc genus hominibus dum sereniorum nos illucescere Luciferum, ac magis propitiam reddi Minervam, fit.

CAPUT SECUNDUM.

COMITATUS MOSONIENSIS.

§. I.

Nomenclatura, fines, & Supremus Comes Comitatus MOSONIENSIS.



Onfinis Austriæ, qua secundo Danubio jungitur Hungariæ, Mosonienfis Comitatus est. Nomen habet a MOSONIO Oppido, Germanis *Wiselburg*, in mediis olim paludibus, nunc in ripa minoris Danubii, non longe infra Ovarinum posito. Vetus hic quondam, ut communior fert opinio, stabat municipium Romanorum, Cluverio *Mutenum*, *Musenburgumve*, aliis *Musum*, *Motenum*, *Limusa* dictum, quæ omnia cum recentiore vocabulo MOSON affinitatem quandam habent. Magno contra hæc præjudicio est Tabula Manuscripta accuratissimi Viri Patris Moro e S. J. qui *Motenum* ad Peisonem lacum putabat rejiciendum; quæ conjectura haud aberrare videtur a veterum quorundam itinerariorum rationibus, ut ea expendenti, cui præsto sunt, patebit. Ne jurgemur in ipso limite, neutri opinionioni fidem detrahimus, potioribus intenti. MOSONIUM ergo regredimur; quod ab Ottocari Regis temporibus suis prope consépultum jacet ruinis, dire
affi-

afflictum armis ab eo Rege, Anno MCCLXXI. Nec plura succurrunt de capite veteri Provinciae hujus; quæ sequentes habet fines: Ab occasu Archiducatum Auftriæ, a quo per Leytham amnem potissimum dirimitur, si aliquot pagos excipias, de quibus hodie dum inter finitimos lis est; a Meridie Soproniensem Comitatum; ab Oriente, & Septentrione majori ex parte Danubium. Sæculis prioribus magna in veneratione erat Hungaris, ut, cui Rex ipse, aut certe quispiam e primi subsellii proceribus supremi Comitatus præesse munere confesseret. Ætate hac dignitatem eam obtinet Illust. D. Comes Franciscus Junior Eszterházy de Galantha, Perpetuus in Frakno, Camerarius Regius, & Cameræ Aulicæ a Consiliis.

§. II.

De OVARINO.

MOfonio uti dignitate, sic ordine, ac jure succedit O-VARINUM, O-VÁR Hungaris, Germanis *Altenburg*, quo supremi Comitatus sedem, post dirutum MOSONIUM fuisse translata aliqui conjectant; quanquam huic posteriori veteris, priori autem Novæ Arcis denominatio probabilius jam olim attributa fuerit ab Hunnis, quod eam, quam veterem dicimus, ante suum adventum conditam repererint; Novam ad MOSONIUM posuerint ipsi. Jacet OVARUM ad brachium Danubii, ubi Leytha influit, distitum Posonio IV. circiter Mill. Germanicis, totidem, fere a lacu, & cognomine oppido *Neisiedel* dicto, subjacens latitudinis gradui 84. cum 4. min. longitud. 41. cum min. 5. Cluverius in Vindel. cum aliis compluribus censet juxta computum Tabulæ Peütingerianæ hoc loco statuendum *Flexum*, sive *Ad Flexum*, a Ptolemæo memoratum, quod isthic Danubius in Austrum deflectat; sed quia firmioribus momentis nostram de *Flexo* sententiam niti remur, pereruditum Virum illum non moramur. Non parum OVARINO memoriæ conciliavit apud Hungaricarum Rerum Scriptores, quod a Ludovicoll. Rege, Annæ Sorori cum amplissimis aliquot pagis, & oppidis in dotem sit attributum, dum Anno MDXXI. Ferdinando I. desponsaretur. Utrum autem oppidum hoc cum reliquis, Annæ datis, alias quoque Dotis nomine venerit, non est integrum definire. Certius illud, OVARINUM nostrum remotioribus etiam temporibus compluribus privilegiis, iisque non vulgaribus decoratum fuisse; quæ

quæ inter merito ponendum illud, quod Reipublicæ titulum obtinuerit, hodiernum Sigillo suo circumfusum in hæc verba: SIGILLUM REIPUBLICÆ OVARIENSIS. Qui hanc, cæterasque OVARIENSIIUM prærogativas retulerit ad annum MLXXIV. & aliquot superiores, quibus oppidum hoc diuturniore incolatu suo nobilitavit Salomon Rex, mea quidem sententia, non multum a vero discesserit. Arx loci pervetusta circumfusis undique obsidetur aquis; oppidum circumfluit amnis Leytha, ad cuius ostium a regione superioris portæ, qua nempe in oppidum Pofonio descendentibus patet aditus, ornatur Monasterio Patrum Capucinatorum; quos huc loci adduxit inexhausta Georgii Széchénii munificentia; qua vero lacum Fertö, sive Neüfiedlenfem respectat, gaudet Cænobio Patrum Franciscanorum, quod vulgo *Prata Mariana* dicitur; cui aditum perelegans templum, a supplicationibus, & peregrinorum votis celebre, opus est Principis Pauli Eszterházy. Incolunt hoc oppidum & a piis scholis appellati Patres, ac inferiorum quatuor classium pubem literis informant. Dum Jaurinum tenerent Turcæ, OVARINUM fossa, aliisque munimentis, ad defensionem opportunis, instructum erat, quæ Anno Sæculi superioris LXXXIII. barbarus hostis, in Auftriam tendens, penitus evertit, quemadmodum vetustiora Anno MDXXIX.

§. III.

De KÖPCSÉNIO, OROSZVÁRO, RAIKA & LÉBENY.

CÆtera MOSONIENSIS Comitatus nominatiora loca sunt: ad limites Auftriæ KÖPCSÉN Germanis *Kitsee* cum præstanti Phasidum, alioque delizioso horto, ac magnifica novi operis Arce Eszterháziána, ab hodierno Domino, Principe Antonio, Magni illius Pauli successore, ad omnem hujus ætatis elegantiam, ac luxum instructa. Visuntur hoc in oppido grandia duarum, aliarum Arcium, aut Castellorum rudera. Quartum Comitatus MOSONIENSIS Oppidum OROSZVÁRUM cum Castello Comitum Zichy, Pofonio discedit milliari non integro. Quintum RAIKA, Germanis *Ragendorf*, pars non minima Regii OVARIENSIS Domini. Succedit his in inferiore Provinciæ hujus regione

pagus LÉBENY, antiquitus *Zyben*, memorabilis Abbatia Sancti Jacobi, a Chepano, & Poth Fratribus, de gente Hedervaria oriundis, ac Hungarizæ Pro-Regibus Anno MCCIX. Benedictinæ Familiæ collata. LÉBENYUM juris est hodie laudatæ Comitum Zichy Profapiæ, cum vicino Sancti Nicolai vico, in quo non ignobile Castellum.

§. IV.

De Oppido NISIDERO, & Lacu FERTÖ.

Oppidum NISIDERUM, Germanice *Neißedel* dictum, nobilis portio Domini Ovariensis, & sedes aliquot Filiorum Divi Pauli, Primi Eremitæ, est. Conjungimus hæc cum adfito lacu, Hungaris *Fertö*; de quo communis jam opinio est, eundem esse, quem veteres, præcipue Plinius Lib. III. Cap. XXIV. *Peisonem*, five *Pelsonem* dixerunt. Multo ampliorem superioribus ætatibus lacum hunc fuisse, præter majorum dicta, etiam ex eo conjicias, quod ei maris nomenclatio adhæserit a Germanis, *Neißedler-See*. Hodie in longum protenditur ad IV. Mill. ad II. in latum. Altitudinem lacus istius inscriptam ferunt Portæ Civitatis Rusthensis. Pisces Balatonianis inferiores alit; magnam tamen vim arundinum, contegendis rusticorum tuguriis, fovendisque focis peropportunarum, sufficit. Obsidetur compluribus vicis, ac oppidis, ad hunc, & Soproniensem Comitatum spectantibus. Produnt se præterea vastæ alicujus Urbis vestigia, quibus *Antonianum* respondisse *Mutenum* credit Moro. Ante postremos civiles motus circa districtum lacus Comitum Széchény, reperta fuisse fertur aurea corona, unionibus dives, quæ, num asservetur adhuc, quo item loco? rescire non licuit. Idioma commune in hac Provincia plebi Croaticum, Nobilitati tam Hungaricum, quam Germanicum; Religio non alia, quam vera, hoc est: Romano-Catholica; quod tamen mirere: præter jam nominata non nisi unicum reperias Religiosorum

Domicilium, Cisterciensium puta Patrum,

Mönich-boff appellatum.



CAPUT TERTIUM.
COMITATUS SOPRONIENSIS.

§. I.

Limites, & Supremus Comes Comitatus
SOPRONIENSIS.



Comitatus SOPRONIENSIS ita conterminus Auftriæ, ut ejus fines quodammodo subire videatur, Septentrionem versus ab illa potissimum dirimitur per Leytham. Amnis hic ortus in laudato Archi-Ducatu prope vicum *Krunbach*, ubi Ovarinum alluit, Danubiali brachio infunditur. Reliquorum finium loco sunt Comitatus Mosoniensis, Jaurinensis, & Castri-Ferrei. Hodie Supremum Comitem, eundemque Perpetuum, ac Hæreditarium veneratur Celsissimum Principem Paulum Antonium Eszterházy de Galantha, aurei veleris Equitem, Perpetuum Comitem in Frakno, S. C. R. M. Confiliarium Actualem Intimum, Generalem Campi Vigiliarum Præfectum, unius Legionis Equestris Ordinis Hungaricæ Colonellum, nec non Regalium per Hungariam Cubiculariorum Magistrum.

§. II.

Unde nomen Comitatus, & Civitati SOPRONIENSI
adhæserit ?

NOmen Comitatus præbet libera, Regiaque Civitas SOPRONIUM, Hungaris *Sopron*, Germanis *Oedenburg*; Unde autem Civitati appellationes illæ obvenerint? ponitur in disquisitione. Lazius ad SEMPRONIUM quendam de quo Lib. III. Cap. IX. Plinius meminit, Tuditantum, Istrorum, & Pannonum domitorem, cum Ranzano confugit; alii ad Cajum SEMPRONIUM Secundinum, Norici, & superioris Pannoniæ Præsidem, de quo Tacit. Lib. XVII. quorum utrisque favet ex æquo communis popularium opinio. Zeilerus cum nonnullis pag. 197. mavult hanc denominationem petere ab Aproniano, olim hic loci circa tempora Valentiniani I. Præfecto, cujus meminit Marcellinus Lib. XXV.

Historiarum. Denique non desunt, qui ad nomenclationem, & positum SOPRONII torqueant Scarabantiam Antonini, a nobis congruentius alibi metatam. Verum quid de his fuerit (aliorum quippe duntaxat conjecturas innuimus) in eo plerique consentiunt, Civitatem hanc inter vetustiores Pannoniæ reputandam, suæque Romanis incunabula debere, ut quæstatio fuerit Legionis XV. Perinde in quæstionem vocari haud debet, Germanicam appellationem *Oedenburg* derivatam fuisse ab *Oede*, hoc est, solitudo; eo quod olim vetustior illa Civitas a Carolo M. aut Henrico III. oppugnata, funditusque everfa, ac derelicta fuerit, dum tandem a Salomone Rege ob egregiam contra Bulgaros, & Biffenos ipsi navatam operam restituta, privilegiis, tituloque Liberæ, ac Regiæ Civitatis prima Hungaricas inter donata est, aut certe primas inter.

§. III.

De Civitate SOPRONIENSI.

Situs Urbis hujus pulcherrimæ is est, quo amœniorem vix desideres. Jacet enim inter colliculos, nobilissimis vineis, unde præcipuus incolarum proventus, distinctos. Divellitur Posonio octo Milliar. ac fere totidem Vienna sub latitudinis gradu 47. cum minutis 48. longitudinis vero respondet gradui 40. cum min. 39. Valido (utpote qui & complures Rakoczianorum repressit impetus, & jam anno MCCCCXC. eo usque tutatus est incolas adversus Maximilianum Imperatorem, donec subscriberet, toto belli, inter ipsum, & Vladislaum ferventis tempore, civibus integrum esse, neutrius partes sequi) valido, inquam, præcingitur muro, propugnaculis firmato, non admodum late procurrens, suppletibus Civitatis amplitudinem suburbiis, pulcherrima serie distributis, & ipsis muro cinctis, quæ præter Domicilium pauculorum S. Dominici filiorum, ternis facris ædibus decorantur; ipsa vero Civitas binis. Princeps omnium est Fanum, Divi Michaëlis Archangeli honoribus, Friderici Cæsaris Pietate a fundamentis excitatum. Huic succedit in urbe, Assumptæ in Cælos DEIPARÆ sacrum, quod a quodam pecorum Magistro exstructum, post motus Rakoczianos reparatum obtinent PP. Seraphici. Idemne hoc sit cum eo, quod jam anno MCCCXL. Minoribus obtigerat? non habeo, unde asseverem. Alterum Fanum urbicum, Divo Georgio dicatum, attributum est

est Patribus Societatis JESU una cum domicilio, quod olim Heterodoxus quidam se Jesuitis ædificare per jocum dicebat. Sed exceptit fabellam veritas, derisorium vaticinium prædictus, non ominatus eventus. Exactis enim aliquot Tököliano ab tumultu annis Collegium sacri illius Ordinis ingressum Urbem est e suburbanis ædibus, & joco paratum sibi domicilium, ferio occupavit, beneficentia Georgii Draskoviczii, Præfulis Jaurinensis; quem pariter suum veneratur Patrem constitutus hac eadem in Urbe Convictus Nobilium ab anno MDCLIII. cum Domicilium prædictæ Societati adornatum fuerit jam anno MDCXXXVI. E suburbanis Templis præterea alterum, cæteris antiquitate præstans, Divinissimo dedicatum est Spiritui; alterum a Servatoris Præcurfore nomen habet. Faciebant in hoc rem Divinam Cruciferi S. Joannis Hierosolymitani ad annum usque MDLXXVII. at hodiedum sacra procurant Socii JESU; qui etiam in illo, ut & D. Michaëlis Basilica de Divinis ad populum verba faciunt. Veterem Civium pietatem inde æstima, quod septem supra viginti Beneficia (uti dicimus) Ecclesiastica etiamnum numeret SOPRONIUM; ædium vero amplitudinem ex quatuor generalibus univèrsi Regni Comitibus, isthic habitis, & aliquot Regum, ac Reginarum coronatione.

§. IV.

De Civitate KIS-MARTONIENSI.

Quam specialem tota hæc Regio ab amœnitate, ac opulencia mereatur laudem, & affinibus abunde cognitum est Austriacis, & vel una libera, Regiaque Civitas KISMARTONIUM, vulgo *Eisenstadt*, SOPRONIO II. miliaribus, totidem Austriaco Neostadio diffusa, confirmat. Collocavit hoc in oppido Nicolaus Eszterhazius Religiosos Seraphici Ordinis; Paulus Princeps, ne Pietate Patri concederet, Augustinianas eodem adduxit Sorores; quique advigilarent sacro Monti Calvarie, a piissimo Principe Regia profus magnificentia exstructo, aliud iisdem Franciscanis Patribus extra muros Monasterium ædificavit. Præcipuam illic sibi laudem vendicat Palatium, quod cum Corvinianis absque piaculo conferras, superiore sæculo a Paulo Eszterhazio, S. R. I. Principe, & Regni Hungarie Palatino, exstructum; qui præter ingentia alia in Cœlum, Regnum, Regem, ac Domum suam merita, & perennem primogenitis stirpis suæ

Titulum S. R. I. Principis, (quem prioris sæculi anno supra octogefimum septimo pro se emeritus fuerat) hodierni sæculi duodecimo effecit; & ut Principi hæreditarius sit supremus SOPRONIENSIS Provinciæ Magistratus, impetravit. Palatii hujus accuratam, & venusti operis respondentem Patris Samuelis Timon descriptionem, Tyrnaviensibus Typis Anno MDCCII. datam, hic visum est inferere, quæ sic habet: „ Quadrangu-
 „ li formam refert. Cornua quaterna fastigiantur in tures. Duæ fron-
 „ tem, duæ terga ædium claudunt. In prima, quæ lævam aditus finit,
 „ sonat æs campanum quingentis supra septies, & decies mille libris gra-
 „ ve; cui consonant minores campanæ, in objecta ejusdem sinistræ partis
 „ turri pensiles. Pulsantur hæ digitis, quo modo musicum organum,
 „ jucundamque ad numeros concinunt harmoniam. Quæ ad dextram
 „ positæ sunt, suo quoque non carent apparatu. Nam anterior quidem
 „ habet organum, confusum edens sonum; posterior piscinam aquosam,
 „ indomito molimine attracto in cacumen aquæductu: Tectum totum
 „ Palatii, in fronte, & lateribus ambulacris coronatum est. Borealis
 „ quippe tractus altius se erigit; in quo triclinium, in sublimem absidem
 „ convexum, peritoque coronatum penicillo admirandum proponitur.
 „ In subsidium ornamentorum adscita est Poësis; hinc forte populeis trun-
 „ cis, vario colore illulis, Heliades ramosa protendunt brachia; inde for-
 „ mosæ Daphnidis coma in frondes sese diffundit, aliaque ejusmodi generis
 „ pictam pulchritudinem in majores oculorum illecebras vertunt. Parie-
 „ tes stemmata Regum exhibent. Calcatur pavementum Porphyretico
 „ marmore stratum. Binæ statuæ, e candidissimo marmore faberrime
 „ factæ, accubituro convivæ epulis, aquam affundunt. In subdiali area
 „ juxta cænationem madet perenni fluxu puteus, cui Hercules, clava me-
 „ tuendus, insistens, Hesperio Draconi sublimis imminet. Series illa Do-
 „ mus, quam afflat Favonius, conclavi, specularibus amictu, famosa
 „ est; ex quo (nisi oculatus es) Ariadnæo Ductore est opus. Ne lon-
 „ gior sim, prætereo reliqua cubilia, undecunque commendatissima; in
 „ quibus omnibus habet curiosus, quo fatietur, oculus; Clibanis impri-
 „ mis, variarum formas bestiarum imitantibus. „ Hactenus laudatus
 Auctor, cui hoc duntaxat adjicimus: Tanta decora, dum veræ elegantix,
 magnificentixque osor Turca Anno MDCLXXXIII. in Austriacas plagas
 postremum irrupisset, ne tantillum ab eo violata, sædataque fuisset.

§. V.

*De Arce FRACKNENSI, & SOPRONIENSIS
Provinciae LAURETO.*

TRansgredimur jam ad aliud Eszterhazianæ magnificentiæ monumentum, Arcem nimirum FRAKNO, Germanis *Forcbenstein*, Kifmartonio haud procul distitam; amplius a munitione, quam nitore insignem. Fuerat hæc olim Familiæ de *Frakno*, qua postmodum extincta, jure pignoris Friderico Imperatori cessit. Inde, ut redimi posset, Anno MCCCCLXVI. Sigismundo Weisprach, per Bullam auream tunc temporis Baroni Hungariæ creato, potestas facta est; quod is ad recuperandam Sacram Coronam pecuniæ dimidium contulisset. Hanc pariter Arcem ad se jure optimo devolutam, sæculi prioris Anno XXXV. Nicolaus Hungariæ Palatinus, Magni Pauli Magnus Genitor, ferme ab imo reparavit, & omnibus ad firmitudinem opportunis instruxit. Ne Religiosa Familia deesset loco, æde, redditibus donavit MARIÆ Servos; quibus Franciscus Nadasdius, Regiæ quondam Curiæ Judex LAURETI (id loco nomen est) Claustrum, Paulus Princeps Eszterhazius millies laudandus, redditus adjecit.

§. VI.

*Civitates, Arces, Oppida SOPRONIENSIS
Comitatus.*

His accedunt nonnulla Oppida, Neisidlensi potissimum lacui, prout alibi diximus, adfita, quæ hac ferie digesta damus. RUSTUM, Liberis, Regiisque Civitatibus annumerandum; appositum est ipsi lacui, & si non ab amplitudine, certe ab interno nitore, laudatissimique vini ubertate memorabile. Occurrit inde pagus RÁKOS, in quo Castellum, sane magna pompa instructum, amplius in dies excolit Excellentissimus Præsul Jaurinensis; tum oppidum, quod squallido ambiatur muro FEKETE-VÁROS appellatum, & si suo nitore, præ, quam amplitudine, se commendet; denique *Lati Fontis*, Hungaris SZÉLES-KÚT, Germanis *Brattenbrunn* Oppidum. Ex adverso lacus latere, qua nempe respicit or-

tum

tum (protenditur enim a Septentrione fere Meridiem versus) incurrit in oculos SZÉPLAKIENSE Castellum, Széchénianorum Comitum, cum altero, Viczaians Comitibus obnoxio; deinceps KERESZTURUM Oppidum, quod una cum Arce latifundiorum Eszterhazianorum pars est; & KAPOVARINUM a nonnullis erronee *Kapos-Várum* dictum, de quibus paulo infra; rursus NYÉKINUM uno milliari SOPRONIO disjunctum, a quo etiam sejungitur unius horæ spatio pagus BONDORFF, ab Asceterio, unaque Tirocinio Patrum Paulinorum illustris; quos huc adduxerunt, ac dotarunt Anno MCCCCLXXXI. Cives *Sopronienses*; denique a Sancto Wolffgango nuncupatus Civitatis *Soproniensis* vicus, cui nobilissima vina famam peperere, non procul ab Urbe Domina semotus; & toties laudatæ gentis Eszterhaziarum Arx LANDZÉRIENSIS præalta, ad quam Eremus Camaldulensium, iterum Pauli, Principis illius religiosissimi, incensi in DEUM amoris monumentum. Si & minorum arridet memoria: Arcium sunt in syllabo KABOLDENSIS, & LOSENSIS; in Castellorum: PINYENSE, DATISZFALVENSE, PERESZNYENSE, BÜENSE, PETÖHAZENSE, HORPACSENSE, UDVARDIENSE, FÜLESENSE, BÜKENSE, LÁGENSE, SALAMONFALVENSE.

§. VII.

De Oppido KAPÚ-VÁRO.

DE KAPOVARO, vulgo KAPÚ-VÁR, Oppido Eszterhaziano, non procul ab Arabone amne fito, id cum primis memoratu dignum, quod ante Rakoczianos motus Arx duplici aggere protecta, & sub Turcis inter firmiores reputata fuerit, præcipue ob paludem, quam ejus nominis fluviolus circumfundebat. Hinc cum anno MDCLXXXVI. in Principis Badensis manus devenisset, reperta inibi magna bellici apparatus vis est, quem Barbari ad vicinorum locorum tutamen congefserant. A Rakoczianis, anno MDCCVIII. Cæsarianos prævertentibus, everfa, vix prioris dignitatis vestigia conservat.

§. VIII.

§. VIII.

De LOCSMANDINO, & CSEPREGHO.

KAPU-VÁRO subjicimus LOCSMANDINUM, Juniori Clero, Budæ literis operam danti, a magno illo Hungaricæ Ecclesiæ Patre, Georgio Szécsénio relictum patrimonium, præfente anno Celsissimi Principis Antonii Eszterházy juribus, ære numerato, redditum. Tum CSEPREGHUM, amplitudine sua memorabile oppidum, a Germanis *Scabring* appellatum. Juris est Draskoviciorum Comitum, ad Rabnitz rivum, Ginfio uno milliari sepositum. Non minimum ornamenti accepit a tribus, quæ suo complectitur ambitu, Templis; tum a vetustate. Nam a plerisque Geographis, Cellario consentientibus, CSEPREGHUM statuitur in SCARABANTIÆ-JULIÆ rudibus, quam Plinius ait XXXIV. M. P. in Septentrionem Sabaria sejungi. In antiquis Synodis, & Episcoporum catalogis, teste Schönleben, Antiq. Carn. Cap. V. §. VII. subinde legitur *Scaravatiensis*, & *Scarabatinus* Episcopus, qui omnino fuit hujus loci. Idem affirmat Schelestratus Antiq. Ecclef. Tom. II. Differt. IV. Cap. IX. ubi memorat: Virgilium *Scaravasiensem* Episcopum, Provinciæ Pannoniæ, temporibus Pelagii II. Papæ Concilio Gradensi interfuisse.

§. IX.

Frequentiora Insulæ ARABONIS loca.

REstat adhuc Insula ab Arabonis vulgari nomine RABA, Hungaris *Rába-Köz* dicta. Nascitur hic amnis in Styriæ finibus, non procul Græcio, ac priusquam commisceatur ad Schüttiam Insulam Danubii brachio, cum geminis aliis, diminutum nomen RABA ferentibus. (quorum uterque e lacu Neifidlenfi profluit) Insulam hanc describit in longum per tria, in latum per duo milliaria porrectam, complura loca complexam. Hæc inter SZÉL oppidum ditionis Principis Eszterházy sat amplum; CSORNENSE alterum, ubi Præpositura, Patrocinio S. Michaëlis Archangeli inclyta, cui, principio hujus sæculi a Francisco Jány, Sirmiensis Episcopo, redemptæ, & sacro, ac exempto Præmonstratensium Canonicorum Ordini restitutæ, in præfens præest ejusdem Religiosi, & Candi-

diffimi Ordinis Professus Reverend. D. Raphaël Nolbek, Venerab. Conventus Gradiensis Canonicus Regularis, sedem obtinens nonmodo in oppido jam memorato, sed etiam in filiali (ut vulgus loquitur) Türjensi Comitatus Castri-Ferrei Præpositura. Divellitur Jaurino CSORNA tribus fere milliaribus, datque de se uni Comitatus Processui nomen.

CAPUT QUARTUM.

COMITATUS CASTRI-FERREI.

§. I.

Limites, ac Supremi Comites Comitatus CASTRI-FERREI.



Comitatus CASTRI-FERREI, Austriæ, Styriæque conterminus ad Occidentem, ab Oriente Wesprimiensi, a Septentrione Soproniensi, a Meridie Szaladiensis Comitatu clauditur. Unus est e præcipuis totius Hungariæ, sive amplitudinem, sive numerosam Nobilitatem, arces, castella omnis generis delicias spectes. Certe cum novissime arma capeffere Nobilitas adversus molitiones Borufficas, aliorumque Augustæ Dominæ nostræ inuasorum lege juberetur; una hæc Provincia conscripsit Legionem integram, nullo verna permittam. Summo Magistratu in Nobilissima hac Provincia, Bathyaniano Stemmati Hæreditario, fungitur hodie Ludovicus Comes, Perpetuus in Németh-Ujvar, Aurei Velleris Eques, S. C. R. M. Actualis Intimus Consiliarius, nec non Regalium per Hungariam Pincernarum Magister; qui gesto ad immortalem nominis sui gloriam laudatissime munere Aulæ Cancellarii, obnitente nequicquam Principe Augustissima, quietis amore se se abdicavit, intentus, pro consummata sapientiæ suæ, firmandis primogenituræ (Majoratum dicimus) juribus, quam in Avitam Familiam suam, una cum Hæreditario Supremi Comitis Comitatus CASTRI-FERREI officio invexit. Porro appellationem istam amplissima Provincia habet ab oppido quondam percelebri, jam modico, quod Latini CASTRUM FERREUM, Hungari *Vas-Vár* vocant, Ginsioque duobus

bus milliaribus disjungitur. Insigni vetustioribus ætatibus, e primisque Hungariæ una *Vas-Várum* gaudebat Sancti Michaëlis Præpositura, quæ afflictis oppidi rebus Sabariam tranſiit. Seraphicus quoque ordo, Divique Dominici legibus adſtricti Religioſi ſua habebant Domicilia, reſtituti loco ſunt Prædicatores, munere Georgii Széchénii, Strigoniensis Metropolitæ; Franciscani ex adverſo nondum naçti novum Fundatorem, cujus largitate priſtinam poſtliminio recipiant ſedem.

§. II.

De Arce, & Civitate GINSIENSI.

SECUNDAS a capite regionis obtinet GINSIUM, libera, Regiaque Civitas, *Köſzeg* ab Hungaris, *Güntz* a Germanis appellata de nomine præterlabentis amniculi, cui Hungari nomen Gemmei (*Gyöngyös*) indidere. Urbecula non tam amplitudine, aut ædificiorum luxu (nam his frequentia plurimum detrahunt incendia) quam ſitus amœnitate, agri, ac arboreorum præcipue fructuum, exquisiti ſaporis, ac raræ magnitudinis, fertilitate ſeſe commendat. Divellitur Sopronio IV. mill. ſub latitudinis gradu 47. cum 32. minutis, longitudinis autem gradu 41. cum minuto. Propinquitas, qua locus hic Auftriæ, Styriæque accedit, occaſionem dedit, ut arx GINSIENSIS, cum quinque aliis, olim a Mathia Rege jure pignoris tranſiret ad Fridericum Imperatorem IV. repetenda Corvinianis armis anno MCCCCLXXXI. Arx hæc non maxima, attollitur quaternis turribus, ac Septentrioni, Occidentique objectum Civitatis angulum facit. Prætenduntur grandiora duo ſuburbia, Germanicum alterum, alterum Hungaricum, utrumque, quod mirere, ſui tantum ſermonis tenax, negligens vicini. Extra GINSIUM editiore in monte viſitur arcule quædam ſpecies, teſte Lazio, in qua Ringum ſuum, ſive Regiam Reges Avaram habuere. At enim turri ſimilior, quam Regiæ ſtructura eſt, quali ſua latibula muniſſe paſſim videas eos Hungariæ depopulatores, qui Giſeram ſequebantur. Sacras ædes duas duntaxat habet GINSIUM, Patræciam, Virgineo Sponſo Emerico ſacram, & Sociorum JESU, quos anno MDCLXXXIV. Civitate hac donavit laudatiſſimus Strigoniensium Antiſtes Georgius Széchénius, adjecto amœniorum literarum Pædagogio, cui erudiendo præſent ejusdem ordinis Religioſi. Inclaruit locus hic vir-

tute bellica anno MDXXXII. quo ei facile LX. armatorum millia admovit Solymanus Calendis Augusti, de quo ita Samuel Timon in Epithome Chronologica : „ A Calendis Augusti usque ad memoratam stragem „ (qua videlicet a Principe Palatino Rheni Friderico, Septembri mense suo- „ rum septemdecim millia amisit barbarus) fuit Solymanus in Comitatu „ CASTRI-FERREI, oppugnabatque GINSIUM, parum muni- „ tum oppidulum; quod tamen Nicolaus Jurissithius, repressis tredecim „ validis hostium conatibus, non sine Divi Martini ope servavit. Faten- „ tur id alii quoque ejus ætatis rerum Scriptores, Jovius, Istvanfius &c. „ nec majorem humana virtute adfuisse diffitebitur, qui oppidi debili mu- „ ro, fossulaque cincti propugnatores duntaxat quadringentos, composuerit „ cum tot millibus barbarorum. „

§. III.

Sacerdotia quædam Provinciæ CASTRI-FERREI nobiliora.

G *Insio* non longe recedit BORS-MONASTRA, Monasterium, a Comite Borsio Fundatore denominatum. Erat olim Benedictinorum; at iis iniquitate temporum ereptum, beneficio Pauli Eszterházi, Principis pientissimi, ad Cistercienses transiit; quibus pariter reddita hoc sæculo est insignis Sancti Gothardi Abbatia; quam anno MCLXXXIII. Bela III. fundavit, ædificio in formam arcis conformato; cui secutis temporibus, additum est oppidum, quod præterlabitur amnis Mura, NÉMET-UJVARRINO, Styriam versus, milliari semotum. Memorabile de hoc illud est, quod anno MDCLXIV. mense Julio ab Archistratego Cæsaris, Montecucolio, Turcæ, contra datam a Solymano fidem, transitum Arabonis pertentantes, pessime accepti sint, facile XVI. millibus Barbarorum violatæ fidei immolatis. Moderatur Abbatiam hanc ab annis aliquot idem, qui una sanctæ Crucis in Austria Abbas, & S. C. R. M. Consiliarius est, Robertus Ordinis Cisterciensis. Avulsa ab hoc Sacro Ordine dudum est Abbatia PORNENSIS, Germanis *Bernau*, erecta jam anno MCCXXXV. quæ ne profanorum possessione longius a mente Fundatoris abesset, pietate Austriacorum Regum attributa est Soproniensi S. J. Collegio. Spectabile hic loci templum, & sua vetustate commendabile, superest; in quo sub

exi-

exitum superioris sæculi noctu concertus quidam auditus est ; testis, fors, humati illic sancti cujuspiam viri. De reliquo nullæ visuntur Monasterii reliquæ, sed paucæ duntaxat oppidanorum ædes annectuntur templo, ad quod ob circumfusas paludes nonnisi per pontes ligneos aditus patet. Adjungatur his unica, quam in hac Provincia obtinent Præmonstratenses, præpositura TÜRJENSIS, ad cujus possessionem longo post tempore rediverunt, quibus eam pietas Majorum addixerat, puta a clade Mochaciensi anno sæculi hujus I.

§. IV.

Ditiones Batthyaniæ Gentis intra fines Comitatus
CASTRI-FERREI.

Nunc ad latifundia pervetustæ stirpis Comitum Batthyaniorum transeamus; præcipua duntaxat memoraturi: NÉMETH-UJVARUM, ROHONCZ, PINKAFÖLD, DOBRAM, KÖRMEND, SZENT-MÁRTON, BOSOK, RAKICSAN &c. Oppida, ditiones, pagos suis cum arcibus & castellis. NÉMETH-UJVARINUM, quod & *Giffingam* vocari audias, urbeculæ, muro cinctæ speciem refert. Obtinebant in hac olim Benedictini Abbatiam B. M. de monte *Giffing*, a Wolf-fero, loci Comite, anno MCLXXV. conditam. Ibidem ætate recentiore pietas Batthyaniorum Filiis S. Francisci asceterium construxit. Ædibus non incultis oppidum hoc nitet, ab uno latere duabus piscinis, ab altero vitiferis collibus, sylvosisque per amœnum; at nihilominus sua se fortitudine amplius commendat. Adjacet enim illi prærupta in rupe arx firmissima, novem admodum propugnaculis, & ingens rei tormentariæ, cæterorumque armorum, ac defensionibus opportunæ suppellectilis apparatus, supeditante inferiori munitionis regioni salubres aquas puteo, superiori autem vetusta cisterna, depurandis pluvialibus aquis peridonea. Tam arcis, quam oppidi hæreditaria possessio est penes laudatissimam, & omni ævo, bellica virtute, sapientia, consilio, religione florentem Batthyanianam Gentem ab anno MDXXIII. quo Ludovicus II. Francisco Batthyanio, Dalmatiæ Pro-Regi in præmium meritorum dedit. Memoria proditum est, Comitem Ivan, sive Joannem NÉMETH-UJVARINI Dominum, anno MCCLXXX. & sequentibus, Austriam, Hungariamque latrociniis infe-

stam reddidisse, qui ægre ab ipso Ladislao Rege IV. potuerit cohiberi. Non infrequens hic vicinos infestandi mos ea tempestate fuisse perhibetur. Timebat, scilicet, gens bellicosissima, ne, si ferrum vagina conderetur, torperet; idcirco dum deerat hostis extraneus, a quibusdam quærebatur in cive, & amico. Sed nos redeamus ad cæpta. NÉMETH-UJVARINO suppar est populosum oppidum ROHONCZ, cujus partem implet arx itidem Batthyana regis plane sumptibuseducta. Picturæ primæ sunt, quæ sui admirationem movent. Vocem iis adde, & nihil, quod desideretur ad vitam, invenies. E pretio Apellis manum æstima; decem admodum Rhenanorum millibus veniit, adumbrata coloribus, Bacchi vita, quam tamen complures aliæ icones oculorum judicio venustate superant, & arte. Arx DOBRA præalto infidet monti, ut hostiles etiam despiciat insultus. Ad montis radices diffunditur oppidum non inelegans. Amplior est ditio PINKAFELDENSIS, cujus caput, oppidum nominis ejusdem, quod ab amne *Pinka* mutuatur. Oppido majestatem conciliat castellum perelegans, amœnitatem horti, ac vivaria admodum terna. Propter mox memorati amnis ripas, visitur BOROSTYANUM oppidum, suos intra limites habens in vertice montis arcem. Cætera ditionis Batthyanae oppida, suis se castellis, situ, & divitiis affatim attollunt; KÖRMENDINUM insuper, quod Guilelmitis hospitium aliquamdiu dederit; quos domo, & bonis donaverat Pro-Rex Dionysius Oklichius.

§. V.

Nominatiora, sacra, & profana, diversorum in Comitatu CASTRI-FERREI loca.

ULtra enarrata Batthyaniarum dominia, supersunt amplissimæ Nobilissimarum perinde Familiarum ditiones, arces, castella, munitiones. Has inter princeps SÁRVARINUM, limes, ut quibusdam placet, SABARIÆ veteris, de qua §. sequente. Superiori tempestate propugnaculis, fossa, cæteroque apparatu, qui insignem absolvat munitionem, instructus hic locus erat in Rabæ ripis, Jaurinum versus, ad cujus latus decurrit amnis Gemmeus; ad quem perinde spectandum se offert cum benedicta Efzterháziarum arce pagus LEKA, nitido Magni Patris Augustini filiorum, a larga manica cognominatorum, Monasterio celeberrimo.

sterii vero templum ab eleganti crypta Comitum de Nádasd infigne. SÁRVARINO jure conferas SZALONOKINUM oppidum, clivo juxta, planitieique inædificatum, vallis instructum, suburbiis auctum, arce, non-nihil femoto in colle posita, excelsa illa, firmaque fat tutum. Binis illa turribus viatoribus se conspiciendam eminus præbet; suburbia illustrantur, tum Templo, cum vetusto Monasterio, opinione Pazmani in Appendice, candido Paulinorum Eremitarum Ordini constructo; quamvis alii Abbatiam Benedictinorum eo loco stetisse contendant. De hoc quidquid lubet, sentias; at anno MCCCCLXXV. Paulinorum deductas huc fuisse colonias per Andream Paumkircherum, candidi illius ordinis Annales docent. Atque hic fors est facetus Auctor ille, qui frequens repetebat, se tria construxisse ædificia: *Unum DEO, alterum Diabolo, tertium usui humano*; huic Civitatem, castrum, seu arcem Diabolo, claustrum DEO. Eadem Paulina sacra soboles Monyorokerekini quoque stationem acceperat, dono Bertholdi Ellebrachii, qui anno MCCCLXXIII. fundamenta jecit cænobii, cujus parietes in altum eduxit conjux Barbara; absolvit Joannes filius, quocum extincta est stirps Ellebrachia, ut patet e sepulchrali marmore, quod Joanni Cardinalis Bakacsius posuit. Vir hic Eminentissimus demortuæ ditiones obtinuit, atque ad clarissimam Comitum Erdödianorum prosapiam traduxit, quæ hodie de Monyorokerék oppido, arceque nobili se scribit; cujus præter alia, sane amplissima, suis locis attingenda dominia, est etiam SÁG, mons præaltus, rotundæ figuræ, non modicum ornamentum hujus Comitatus; utpote vineis undique confitus. Jecerat in hoc quondam novæ arcis fundamenta Rex Bela, sed quæ ipsa jam obruit terra. Ad radices montis hujus sita est Abbatia DÖMÖLKIENSIS, de qua altero ab hinc §. nunc adhuc, quæ restant arces, & castella nominemus. Arcium altera VÉPIUM est, altera VÖRÖSVARIA, utraque juris Erdödiani, utraque in plano sita, præclara illa undique, undique concinna; Castella vero sunt: RAMOCZENSE perelegans, Czirakyorum Comitum; SURANYENSE superbum, Sigraianorum Baronum, CSAKANYENSE, TÖMÖRDENSE, COFIDIENSE, SICENSE, KERIENSE, &c.

§. VI.

De Veteri SABARIA.

SABARIÆ paginam integram in duos sectam §§. damus, Veterem hoc priore descripturi. Prætermittis itaque haud satis firmis Lazii, Cluverii, aliorumque conjecturis, tum super situ hujus Urbis, veteribus Geographis percelebris, tum super nominis origine, sive nimirum a *Savia*, sive a quadam potus specie, vulgo cerevisia, veteribus autem Illyricis *Sabaja*, uti docet Dufresnius in Glossario, deductum fuerit; quæ de tantæ Urbis vestigiis ab integerrimæ fidei testibus discere licuit, in medium adferemus. Locus imprimis peramœnus, in planitiem pulcherrimam sylvestribus arboribus, qua meridiem spectat, obumbratam diffusus, quæ, quantaque olim fuerit SABARIA, non obscure declarat. Profecto vix ulli alteri stationi competere videtur illud Marcellini Lib. XXX. Cap. XX. de Valente, ubi ait: commoda quærebat hyberna, nullaque sede idonea potiri, præter SABARIAM, poterat: præcipue si eandem (quod Lazii, aliorumque inanem disceptationem optime convellit) Sarvarinum usque, ad Arabonis, & Gûntziæ, seu Gemmei amnis confluentem extendas. Temporibus Claudii Imperatoris inter Illyricas colonias alterum locum obtinuit, cognominataque est Claudia Augusta, de qua extat apud Cellarium Golzianus Nummus, sequentibus notatus: COL. SABARIA. CLAUDIANA. AUGUSTA. Inde Septimius Severus, Pannoniæ Præfes, ad Imperium accitus est, testante Aurel. Victore in Didio Juliano his verbis: Hoc tempore Niger Pescennius apud Antiochiam; in Pannonia SABARIÆ Septimius Severus creantur Augusti. Inter antiquitatis ruderata, quorum non pauca ob temporum, bellorumque injurias adhuc latent, haud omittendæ ternæ Inscriptiones; quarum priorem exhibet in arcis Templo Capitulari lapis Porphyreticus, ægerrime tamen hodie legendam, de qua Gruterus pag. 389. Num. I. e Lazio:

L. VAL. L. FIL. CL. CENSORINUS.
 DC. C. C. S. ITEM. VE. LEG. I.
 ADIV. EX. B. F. COS. AI. V. F. S. E.
 FLAVIÆ. INSEQUENTINAE. CON.
 AI. IXE. VALERI. CENSORIANO.

AI.

AL. FLORENTINO. AL. VENECO.
AL. VETERANO. N. E. CENSORINILLAE.
AL. FILIIS. ITEM. LIB. SUIS.

In fragmento alterius columnæ, in qua nunc aqua lustralis affervatur, sequentia legere est :

P. S. Q. R. H. FELICISSIMUS
PRO. SE. ET. SUIS. US. IL. M.

In marmoreis gradibus Altaris ejusdem Templi.

C. CÆSARI. ERNAE. O AUG. IC. DAL
JO. MAX. ET. OESTAIS
O. S. V. PANIRI. UGUR. SACER.
EX. COLONIA. SAVARIA.

Visitur præterea hodiedum prægrandis columna in foro, XII. pedes longa, VI. lata, non sine commigrantium stupore, qui scilicet tanta moles in urbem inferri potuerit. Lapides passim effossi, nostris longe solidiores, politissimum marmor æmulantur. Hos inter tegulas, duos pedes longas, unum latas reperies, adhuc sæculo amplius duraturas, quibus urbem totam, aut certe vias præcipuas, stratas fuisse plerique autumant. Ipsi adeo agricolæ (hodie quippe segetes crescunt, ubi quondam Romanorum Palatia surgebant) ajunt : aratrum, sæpius faxis allisum, resonare. Sed quis cuncta refodiat ? Adveniet nihilominus, & fors jam adest tempus, quo antiquitatis studio (quod cum Zamosio, Lazio, Sambuco extinctum, querebamus) in his oris paulatim resurgente, hinc quoque plura in eruditi sæculi lucem producantur. Præterea haud reticendum, repertas olim hic loci in subterraneis cryptis lucernas, ut vocant, perpetuas; quæ tamen, superveniente recentiori aura, illico emortuæ sint. Quorum autem corpora ibidem tumulata fuerint, nulla, quod norim, sat probata epigraphæ prodidit. Gaspar Bruschius, natione Bohemus, qui anno Christi MDLII. a Ferdinando Rege Poëtica Laurea, nec non Palatini Comitatus titulo donatus legitur, putat, teste Zamosio Anal. Tac. Lap. Cap. IV. ibidem Ovidii Nasonis sepulchrum detectum fuisse anno ære Christianæ MDVIII. cum hac inscriptione :

FATUM. NECESSITATIS. LEX.

PARS I.

P

Hic

*Hic situs est Vates, quem Divi Caesaris ira
Augusti, Patria cedere jussit humo.*

*Sæpe miser voluit Patriis occumbere terris;
Sed frustra: hunc illi fata dedere locum.*

Quomodo hæc componi queant cum communi Eruditorum sensu, qui Ovidium Tomitana in urbe tumulatum volunt, jam supra declaravimus.

§. VII.

De hodierna SABARIA ejusque civibus sanctissimis Turonensi, & Gallienfi Episcopo, utroque MARTINO.

Inspectis jam, rimatisque veteris SABARIÆ ruderibus, pauca de nova subnectamus. Primum illud, quod civitas hæc octo circiter milliariibus Jaurino diffusa, exiguo, humilique claudatur muro, arx altiore. Deinde quod visatur in eadem Domicilium Collegii Canoniorum, huc *Castro-Ferreo* translatorum, Templum item Divo Michaëli Archangelo factum. Crevit census Præposituræ, munificentia profusi in res divinas Metropolitæ illius Strigoniensis Georgii Széchénii; qui una & observantibus Sancti Francisci Filiis locum illum attribuit, quem quondam Minores obtinebant, primitus pietate Fidelium curandis ægris constructum; & extra oppidum elegans asceterium condidit, in quo primævus Sancti Dominici Spiritus instillatur tironibus Sacri Prædicatorum Ordinis, ad Sacram Divi MARTINI, Turonensis Episcopi, civis SABARIENSIS, ædem. Huc cum sponte defluerit narratio, svavissimo argumento paululum immoremur. Sanctissimum hunc Antistitem natum esse in SABARIENSI civitate, aut saltem ejus agro, consentiunt plerique; de anno pariter, & progenitoribus consentiunt, dum editum in lucem Sabino, & Ruffino consulibus, hoc est, anno Christi CCCXVI. Ethnicis parentibus scribunt, nomina horum supprimentes, de Patre solum notantes; eum Tribunum fuisse, ac ordines ductasse. MARTINUS septimum decimum ætatis agens annum, secundum leges imperiales dedit nomen militiæ, prius nempe, quam initiatus fuisset baptismo, id quod primum factum est, cum ageret

annum quintum supra tricesimum. Emeruit quinque, & viginti stipendia, tum ab Juliano Imperatore, in Galliis militante, missionem petivit anno illius sæculi LVI. Adjacet novæ SABARIÆ vicus, in solo haud dubie antiquæ illius amplissimæ, a Divo nostro denominatus, in quo monstratur puteus, de quo haustam ferunt aquam, qua ritu Christiano lustraretur MARTINUS. Credibile & illud admodum est, Divum in proximo fonti loco natum esse, ubi hodie ædicula est, ejus nomine DEO dicata. Obtenta missione, domum revississe semel, legitur, ut parentes, sanguine junctos, populares Christo lucraretur. In Matre felicem posuit operam, perdidit in Patre. De popularibus id unum perhibetur; multos MARTINI prædicatione ab idolorum cultu abstractos esse. Plura discas e vita sanctissimi hujus militis, & Præfulis, tam a Severo Sulpitio (quæ vitio librariorum erronea in nonnullis est) quam a Gregorio Turonensi Libris IV. scripta, uti videre est in Bibliotheca SS. PP. quæ mentionem facit etiam alterius *Martini* pariter SABARIÆ nati, pariter virtute, doctrinaque eminentis. Obibat hic doctissimos, & sanctissimos quosque, ac eo in scientiis omnibus, cum primis vero sacra processit, ut nemini secundus esse crederetur. Quare Gallienus factus est Episcopus, ac tricenis prope modum annis sanctissime juxta, sapientissimeque Ecclesiam illam gubernavit. Facit uterque hic magnus civis ad summum decus SABARIÆ, attingendusque uterque fuit, ne alterutrius ignoratio tenebras aliquando lectioni offundat. De reliquiis S. MARTINI, Turonensis Antistitis, scribit Anonymus Melliciensis, quod per Ottonem Imperatorem Salisburgum Turonibus fuerint translata; sed errorem hunc pluribus confutat, ac erudite differit Hagiographus Belga Tomo VI. Junii pag. 133. editionis Antverpiensis, acerrimi Vir ingenii, Conradus Janningus e S. J. quem consulat Lector. Id verum est, cineres pauculos, a Cardinali Kolonicio donatos, in sacra ejusdem Divi ædicula religiose asservari, civibusque suis potenti apud DEUM patrocínio jugiter præsto esse. Certe quod nec vernam patiatur SABARIA, qui sit alienus a sacris Catholicis, hunc Religionis zelum civi sanctissimo refert in acceptis. De arcua, juribus Episcopi Jaurinensis obnoxia, id unum memoriam meretur, quod in aditu sui ornentur utrinque ejus muri, ac parietes Romanorum idolis, pluraque ostendet antiquæ SABARIÆ monumenta.

§. VIII.

De DÖMÖLKIENSI Deiparæ statua recens miraculis inclarescente.

A Patrono Pannoniæ ad Magnam Hungariæ Dominam a *Sabariensi* ci-
ve, ad sedem gratiarum DÖMÖLKIENSIS Abbatæ Præfidem,
ac Tutelarem Deiparam transimus. Vetus ea loco huic dignitas, quod to-
tus abierit in benedictam MARIÆ clientelam. Teste enim Scriptore Cel-
sissimo, ac undique Principe Mariano, Paulo Eszterházi, Cent. CXLVII.
ædificatum est in DÖMÖLK Monasterium Ordinis S. Benedicti ante sæ-
cula tria; ab cujus origine tertius sæcularis effluxit idem, qui MDCCXLVI.
coævæ cænobio pietas in MARIAM, coævæ in accolæ Virginæ Parentis
gratiæ, multis a DEO prodigiis contestatæ, quas (dolor!) partem maxi-
mam temporum injuria obliteravit, locum defolavit, clarissimam prodi-
giis imaginem amisit. Reddita est veluti postliminio quædam scintilla an-
tiquæ pietatis ante annos L. quod fatetur idem Celsissimus Auctor; cum
vero primæ illius iconis reperiundæ spes non esset, nova comparata est anno
MDCCXXXIII. Non diu se ardentius coli passâ est Mater illa gratiarum,
cujus omnia viscera transierunt in affectum charitatis jam inde, ex quo in
ea novem habitavit mensibus corporaliter, quæ ex DEO charitas est, ver-
bum Patris, caro factum. Sextus ibat ab imagine procurata annus, sæculi
hujus supra tricesimum nonus, cum deciduus lapis, Politoris impactus ca-
piti, duram ejus, & piam læsit matrem, cranium in plura frustra commi-
nuit, cerebro immerfit. Subiit invocare Sospitatricem DÖMÖLKIEN-
SEM, & en! fugitivus reversus est spiritus, sanitas restituta. Id ubi ju-
rata Chirurgorum fide testatum est, ac in vulgus sparsum, crevit clientum
fiducia, sed crevere una Patronæ quoque beneficia, quæ tamen privatim
duntaxat concedere chartis, minime vero evulgare concessum erat, ne in
sanctissimas veræ Ecclesiæ leges peccaretur. Tenuit silentium, dum adeo
manifesta sese proderent solius omnipotentæ opera, ut ea non revelare vi-
deretur impium, non confiteri, sacrilegum, aut saltem evulgare, laudabi-
le, & sanctum; quippe teste Raphaële Tobiz XII. 7. VII. „ Opera DEI
„ revelare, & confiteri honorificum est. „ Majorem DEUS machinam
adhibuit, ut istud in re nostra impetraret. Anno enim MDCCXLV. die

XIV.

XIV. Maji statua sanctissimæ Virginis faciem patenter alio convertit; die vero XVIII. mensis ejusdem, & alias oculos cæpit elevare, claudere, in omnem partem girare, tum manum quoque, & caput sustulit, inclinavit, lacrymata est, labia velut ad loquendum motavit. Ad hæc qui voti solvendi causa, pleni fiducia in Matrem piissimam sè DÖMÖLKINUM contulere, cæci visum, claudi gressum, muti loquelam, auditum furdi, apoplectici, epileptici, hecctici, herniosi, hydropici, aliisque morbis affecti partim instantanee valetudinem integram receperunt, partim meliuscule sè ex templo habere senserunt, redeuntibus sensim viribus plenis. Commune cum esset sacer iste locus perfugium calamitosorum, gravibus in eos poenis animadvertit, læsumque dulcissimæ Parentis honorem ultus est divinissimus Filius, qui collatas DÖMÖLKINI gratias inficiarentur, impugnarent miracula, quacunquæ ratione publicæ pietati, ac loci sanctitati detraherent, obstreperentve. Latere hæc non poterant Excellentissimum, Illustrissimum, ac Reverendissimum D. Episcopum Jaurinensem, Franciscum e Comitibus Zichy, ad cujus Diocesim pertinet DÖMÖLKINUM, cum præsertim isthuc una sæpe die plura peregrinorum millia confluerint. Itaque ne vel dignissimæ Virginis cultui poneretur mora, si porro tot, tantisque momentis nihil deferret, aut majore facilitate sua errandi periculo sibi subjectas oves non subduceret; pro Pastoralis munere, & singulari profusus sua in communem gentis Hungaræ Dominam pietate, ad omnem Canoniarum sanctionum rigorem exacta instituit examina. In his obruta est nube testium, omni exceptione majorum, quævis acies ingenii, adversæ opinioni favere satagentis; tum conceptum Episcopale edictum, die XXI. Octobris signatum, promulgatum vero VII. Novembris Anni MDCCXLV. coram facile vicies mille peregrinis, quo declarabatur: Statua B. MARIÆ V. GRATIOSA. Adversus hanc talem ut exemplo suo pietatem accenderet in subiecto sibi populo Pastor optimus, die XII. mensis ejusdem sacram iconem de laterali ara levat, manu sua Episcopali pretioso diademate, munere Erdödiano, coronat, insigni pompa, multo stipatus Clero, principi imponit altari. Maturabant inter ea novi de cælo favores (qui hodiedum affatim promanant) edictum alterum, quo MIRACULOSA eadem sacra Statua pronunciaretur. Subscriptum hoc est die XVII. itidem Novembris, præfati anni MDCCXLV. estque sequens:

DECRETUM EPISCOPALE,

QUO compertum redditur, DEUM Ter Optimum Maximum in S. Capella DÖMÖLKIENSI complura omnipotentiae suae prodigiosa opera edere, & manifestare, variis morbis oppressos, ope misericordissimae Virginis instantanee convalescere, & ipsa S. Imago DÖMÖLKIENSIS MIRACULOSA declaratur.

Promulgatum coram L. circiter peregrinorum, una die confluentium, millibus, in campo DÖMÖLKIENSI XVI. Novembris MDCCXLV.

NOs Franciscus e Comitibus Zichy de Vásonkö, Perpetuus in Hononna, DEI, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Jaurinensis, Comitatus nominis ejusdem Perpetuus Supremus Comes, Sacræ, Cæsareæ, Regiæque Majestatis Consiliarius Intimus &c. &c. Universis Christi fidelibus, præsentium notitiam habituris, salutem, & omnipotentis DEI Benedictio- nem ! Pastoralis vigilantia, & sollicitudo, quam supremus ille gregis Domini Custos humeris nostris ferendam imposuit, jugiter nos impellit, ut, quemadmodum abhorrentes a vero, & ne fors ad temerariam credulitatem declinantes, fidelium populorum, Jurisdictioni nostræ in spiritualibus subjectorum, opiniones e mentibus eorum evellere, ita ex adverso rectam pietatem animis ipsorum instillare, & promptam erga DEUM, Deique Genitricem devotionem conservare, & alere, imo etiam augere modis omnibus idoneis satagamus, & adnitamur. Sacrorum itaque statuta Canonum, ac præsertim salutarem Trid. Concilii Sess. XXV. Dec. de Invocatione, veneratione, ac Reliquiis Sanctorum, & sacris Imaginibus ad apicem observare cupientes dispositionem, exortam retroactis his aliquot mensibus (quoad ligneam Beatissimæ Virginis MARIÆ statuam in campo possessionis, PÓÓR-DÖMÖLK, Inclyto Comitatus CASTRI-FERREI, districtive *Kemenes-allensi*, Diocesis nostræ Jaurinensis, adjacente, in quapiam finem in eum extructa Capella, collocata) controversiam: num videlicet ea gratia MIRACULORUM, aut donorum, vel curationum polleret? discutere, ac tandem etiam finaliter Auctoritate nostra ordinaria determinare, in animo nostro constituimus. Quapropter causa hac in Consistorio Nostro, Præsidentibus Nobis Iphis, celebrato, accurate per-

perpenſa, & examinata, conſultis cum in finem, juxta Synodi Tridentinæ præſcriptum, Theologis, & aliis peritis Viris, per ſaſſiones teſtium, omni exceptione majorum, juratas, & authenticatas, comprobatum eſt manifeſte, venerandam illam ſanctiſſimæ Deiparæ ſtatuam, confugientibus eo voti ſolvendi cauſa variis diverſorum morborum conflictationibus oppreſſis, ac dein ope, & patrocinio Miſericordiſſimæ Virginis iſtantanee, convaleſcentibus viris, & ſœminis, extraordinaria *Gratiarum*, & *Curationum*, quin & MIRACULORUM luce coruſcare, ac DEUM (qui, ubi Majeſtati ſuæ Divinæ collibitum eſt, divitias donorum ſuorum elargitur) in dicto loco complura omnipotentix ſuæ *prodigioſa opera* edere, & manifeſtare. Quæ cum ita ſe habere cognitum ſit, atque ex legitimis inquisitionibus compertum, ne *fulgentiſſima hæc lucerna* ſub modio ignorantix humanæ abſcondatur, prædictam Beatiffimæ Matris ſtatuam, ad augendam in Mariano hoc Regno, Mariana etiam Diœceſi erga Sanctiſſimam Virginem devotionem, & favorem, non modo *Gratiſam*, verum etiam MIRACULOSAM eſſe fatemur, & recognoſcimus, & ut talem publicæ venerationi fidelium exponi poſſe, & debere, Auctoritate Nobis, qua Ordinario Diœceſis, a ſacris Canonibus, & præſertim Tridentino Concilio ſpecialiter attributa, declaramus. In quorum fidem has manus Noſtræ ſubſcriptione, & Sigilli Noſtri majoris appreſſione roboratas dedimus. Jaurini in arce Noſtra Episcopali die XVII. Menſis Novembris Anno Domini MDCCXLV.

FRANCISCUS
Episcopus Jaurinensis.

(L. S.)

Ad Mandatum Excellentiffimi Domini
Episcopi
DANIEL VÖRÖS,
SECRETARIUS.

DÖMÖLKIENSI Abbatix ſubjici deberet *Gyökensſis*, itidem Benedictina; verum præter nomen nihil ejus reliquum habetur.

CA-

CAPUT QUINTUM.

COMITATUS SZALADIENSIS.

§. I.

SZALADIENSIS Comitatus denominatio, limites, Supremus Comes.



Omplurium Geographorum sententia, facilius est statuere limites Comitatus SZALADIENSI, quam, unde suam ducat nomenclationem, definire. Nam a Septentrione Castri-Ferrei, ab ortu Simeghienfi, & Vesprimienfi Comitatibus, a Meridie Sclavoniæ, ab occasu Styriæ adhæret. Nomen autem operose mutuari quidam volunt a Szaladino oppido, alii ab arce Szalavaria; insignis huic loco laus accedit ab antiquitate, ut qui insinat rudibus SALÆ, Romanorum municipii, non solum opinione Lazii Lib. XII. §. III. Cap. III. Sed Schönlebeni quoque in Antiquit. Carn. Cap. V. §. VII. ubi una redarguit Megiferum, SALAM in confinio agri Clagenfurtensis in loco *Zallfeld* statuentem. Reperit Ferdinando I. in territorio SZALAVARIENSI ruricola quidam inclusas vasi fictili imagines Gordiani, Severi, & Faustinae, ac duas sequentes Inscriptiones:

CL. CHRISPINUS. ET. CENSORINA. CETTI. FILIA.
VIVI. F. S. I.

ANNO. XVIII. CRISPINO. CRISPINO. F. AEDILE.

ANNO XXV.

Fors melius tertii a fluvio *Szala*, totam regionem illam interfluente & tam *Egerszeginum* (quod aliqui SZALADINUM vocant) quam SZALAVARINUM, & SZALASZEGUM alluente, adeoque his etiam nomen dante. Exemplo sint Ungenses, Turoczienses, Nitrienses, Krafznenfes, aliæque amplissimæ Provinciæ, quarum denominationes e fontibus cognominum fluviorum, promanarunt. Undelibet denominatio: SZALADIENSI Comitatus supremi, ac perpetui Comitis munere præest Excellentissimus D. Michaël Joannes S.R.I. Comes ab Althan, L. B. in Gold-

Goldburg, & Murstetten, Perpetuus in Čfák-Tornya, Aurei Velleris Eques, S. C. R. M. Actualis Intimus, & apud Cancellariam Bohemico-Aulicam Consiliarius.

§. II.

Oppida Comitatus SZALADIENSIS.

IN oppidis præcipua sunt SÜMEGINUM, Asceterio Patrum Franciscanorum, & præclara arce memorabile; EGERSZEGINUM, munitio quondam non minima, sed quam rabies Turcarum delevit, cujus hodie superest nihil; oppidum tamen hodieum præbet hospitium concurrenti Provinciæ ad celebranda statim temporibus Comitia; tum SZALAVARINUM, SÉCHI-SZIGETHUM, KIS-COMAROM, KAROSINUM, KOMARINUM, BÉRINUM, LENTINUM, DOBRONOKINUM, SZANTOVIVM, VALLIS S. GEORGII, KEMENDINUM denique, & PÖLÖSKINUM, nominata olim ab arcibus. JENÖ quoque frequens olim fuerit locus, in quo & Seraphici Patris filii, & Eremitæ Paulini Asceteria habuisse leguntur in Ordinum illorum Annalibus. Sed jam, quæ ampliora sunt, aggrediamur.

§. III.

De Arce CANISIENSI.

PRima sese objicit CANISA, de qua ortum duxit Nobilissima Kanisianorum Familia. Arx ætate superiori fuit haud inter postremas Hungariæ, cujus situm, faciemque ita expressit Istvanus Lib. XXXII. Historiarum ad annum MDCL. „ Arx CANISA (oppidum siquidem „ a Paradiso & nostris concrematum, postea non est restauratum) cæno- „ so, palustri loco sita est; fluviolo (Kanislicza) stagnante, & nullis „ coërcito ripis, sed magis late diffuso, ac carectis, multaque alno, & „ arundine impedito, undique cincta; eoque oppugnato difficilior, quod „ ejus cursus alio derivari nullis viribus queat. Forma est quadrangulari „ oblonga, fossamque habet ex parte propugnaculorum latam XVI. pe- „ dum; ab interposita vero valli distantia pedum circiter XX. cinctaque „ est collibus; inter quos fluviolus lento cursu labitur. „ Hæc ille. Hodie vix rudera prioris formæ retinet, jussu Leopoldi Augusti munimentis exuta,

quod aura uteretur infalubri, & præsidio admodum noxia; ad hæc naturæ potius beneficio, non autem artis ingenio firmaretur; fossa enim non fat ampla cingebatur, & aggeres congesta duntaxat terra, & quercinis palis fulciebantur. Oppidum, quod superest, in utramque paludis partem porrigitur, aliquot ex ordine D. Francisci Paræciam, remque omnem sacram administrantibus. Induxit operas hasce Apostolicas tam *Ormosdinum*, quam CANISAM Metropolitæ Strigoniensis Joannes Kanisay, ut essent, qui populum Divinis Mysteriis procurarent. Jam obtinent & Tempellum S. Regis Ladislai, quod inter medias eminent aquas, cui grandiosem adjecit cum Asceterio, Catholicorum pietas Basilicam. Sacram Thaumaturgi Regis ædiculam ajunt Divina ope e Croatia isthuc translata; cui majorum narrationi fidem adstruit communis populi sensus; qui multa quot annis peregrinorum millia pietatis causâ remotioribus etiam e partibus sanctissimo Regi sistit, continuis prodigiis probante cœlo loci sanctitatem. Verum nondum de CANISA fatis. Cesserat eam Urfula Kanisaia, Pro-Regis Thomæ Nádasdii conjux lectissima, Maximiliano II. loco oppidi Bon-Monostori, mansitque in Regum fide ad annum usque MDC. quo ab Ibrahimo Turcarum Ductore, Christianis erepta, frustra bis tentata est, ab Archi-Duce quidem Ferdinando anno vertente; a Comite autem Zrinio MDCLXIV. donec tandem a Batthyano, fame, & suppetiarum desperatione ad deditionem adacta fuisset. Plura desiderantis explebunt famem domestici fasti.

§. IV.

De NOVO ZRINIO.

A Regione *Canisæ*, ubi Mura in Dravum influit, stabat olim NOVUM ZRINIUM, incolis *Novizrin*, Germanis *NEÜ SERIN WAR*. Dicebatur Novum, ad discrimen veteris, unde nomen duxit Illustris Familia Zriniorum; quod non alibi, quam in Croatia finibus ad Unnam fluvium, ubi nunc Zriniensis campus, Croatis: *Zrino-polje* investigandum est. Lapsus proinde videtur esse hoc loco Zeilerus, qui non procul a *Novo* stetisse *Zrinium Vetus* affirmat; descriptionis suæ pag. 467. Fuit autem ZRINIUM, de quo nobis sermo est, opus tumultuarium, nec ad artem Architectonicæ militaris constructum, a Zriniano Comite Nicolao appellatum,

tum, quod non tam ferviret munimenti loco, ad fines tutandos adversum Turcas, qui *Canisam* tenebant, quam ut asyllum esset, quo præda, e barbari regionibus congesta, tuto ad horam reponi posset. Hinc non multo vi anno MDCLXIV. a Turcis captum, ac solo æquatum fuit. Consecutus subinde est interitus quoque Magni illius Herois Nicolai Zrinii; qui dum liber a militaribus velitationibus indulget venatui, ab apro, nescio quo, misere interfectus, quasi evanuisse visus est. Meruit tamen (quod jure mireris) ab Oratore Gallico ejus virtus, ut illustri laudatione ejus fama seræ posteritati commendaretur. Qui Zriniani illius munimenti Ichnographiam oculis usurpare cupit, adeat Valvassorium, Carniolæ suæ Tomo IV. Lib. XII.

§. V.

De Arce LINDVENSI, aliisque SZALADIENSIS Comitatus celebrioribus locis, potissimum sacris.

SECUNDUM *Canisam* attactaque §. II. loca, bina alia Murensis Insulæ, de qua mox, limitibus minime comprehensa, hanc in paginam conjicimus. Horum prius est oppidum INFERIOR LINDVA, Hungaris *Alsó-Lindva*, ad distinctionem superioris, quam quidam in Comitatu Castri Ferrei, Müllerus autem in sua Tabula Geographica uno duntaxat milliaro ab inferiore Styriam versus retrudit; quamvis in eo deerret, quod utramque Theutonico sermone *Lindau* scribat, cum *Limbach* scribere debuisset. Oppido nostro laus inde prima, quod origo fuerit antiquissimæ, clarissimæque stirpis Banfianæ, cujus insignia bello facinora nulla delebit ætas. A sanctitate quoque morum, & zelo religionis commendatissimam fuisse argumento, præter alia, sit, quod non modo in *Szemenye* Michaël Banfius ea de domo Monasterium Franciscanis condiderit, Arnoldus autem anno supra millesimum ducentessimum, tricesimum quarto Dominicanas Moniales in PÖLÖSKE ad fanum S. Margarithæ traduxerit, ac ditavit; sed insuper communi consilio LINDVENSES Banfi Raikensem Præposituram, honoribus Marianis anno MCCXXXIX. erexerint, & Præmonstratensibus transcripserint. Confert hoc ad propositum non mediocriter, quod sæculo superiore LINDVENSI in arce aliquot de Societate JESU Sacerdotes aliti sint, ut essent, qui Szaladiensem Domini Sabaoth agrum

excolerent sudore, sanguineque irrigarent. Valuit infigne hoc alienæ salutis studium eatenus, ut ex arce illa memoratus ordo Religiosus duceret colonias primas quinque Ecclesiensem in urbem anno MDCXIV. magnis id efflagitante precibus Turca, Banfio vero non prius annuente quam præ manibus haberet securitatis tabulas, jurisjurandi religione firmatas. Occasionem præbuit supremi Quinque-Ecclesiensium per id tempus Barbarorum Præfecti filia, a malo infessa genio, cujus miseratione motus genitor; consilio noti sibi, & tunc forte præsentis agricolæ Christiani, Patres accersiri petiit, utque ritu Catholico pessimum hospitem sede depellerent, exoravit. Annuit cælum precibus, non sine insigni rei Christianæ proventu. Locum alterum, de quo hic tractare constituimus, puta KAPARNAKUM oppidum, facit memorabilem Abbatia S. Salvatoris, quondam Sodalium S. Benedicti, quæ custos una fuit tabularii Regni. Hodie vacuum gerit ejus titulum Emericus Békáfius, Collegiæ Sabariensis Ecclesiæ Canonicus; illius vero quam anno MLXIV. Acha Pro-Rex in honorem S. Jacobi de *Siliffo* erectam eidem sacro Ordini attribuerat, Georgius Gyöngyösius de Borofzló, Cathedralis Ecclesiæ Varadiensis Canonicus, & Soproniensis Beneficiatus. Habebat præterea Benedictina Religiosa Familia hoc in Comitatu Abbatias suas juxta Muram, cultui sanctæ Crucis, in oppido SZALA, Adriano Martyri, ALMADINI denique, & CSATARINI Magnæ Hungarorum Dominæ consecratas, quarum vix nomina retinemus. Et hæc extra Insulam Muranam.

§. VI.

De Insula MURANA.

ORdo nunc poscit, ut paulo ante nominatam Insulam, grandem SZALADIENSIS Comitatus portionem, subeamus, non inde reducturi pedem, absque selectæ eruditionis emolumento. Describunt eam Dravus, ac Mura fluvii, e Styria decurrentes, dum ad LEGRADINUM confluant in unum. Omnem hanc regionem, cum primis fecundam, & omnis frumenti, optimique vini feracissimam, commune Scriptorum testimonium commendat; ut adeo non desint, qui hunc cum Sirmieni agro, citra injuriam componi posse assererent. Quaterna, a vinetis celebriora loca, denominantur a Sancto quopiam, scilicet *Wolffgango, Georgio, Helena,*
&

& *Michaële*, vitiferis collibus, aut omnino impositum habentia Divo suo Tutelari dicatum Fanum, aut illis certe annexum. Divo *Georgio Militi*, & *Martyri* sacra Ecclesia hoc habet singulare, quod sub ejus ara principe perenni fonte limpidissima profluat aqua, optandum ubique viniculis refrigerium; unde adhæsit oppido nomen SANCTI GEORGII IN AQUIS. Annecti his possunt RÁCZ - KANISA, PLASTRACIUM, aliis *Palstravium*, ORMOSDINUM, & supra memoratum LEGRADINUM. Et hoc quidem tum ab hostibus, tum ab aquis multum passum ab insignis arcis, sive munimenti prærogativa, ad officinæ cultrariæ laudes defluxit; insignes enim cultellos illic fabricari novimus; sed una nihil superesse de veteribus propugnaculis, dolemus. Eadem fors ORMOSDINI, frequentissimæ juxta, ac munitissimæ civitatis, quam incursum suis ferme in solitudinem redegit; ut præter Templâ duo, Parochiale, ac Patrum Franciscanorum, non sit, quo se amplius efferat. PLASTRACIUM perinde duas habet sacras ædes; quarum potior extra, quam dicunt filialem, intra oppidi ambitum consistit. Visuntur isthic rudera quoque, magnæ quondam, multumque elegantis arcis. RÁCZ-KANISA Muræ, ubi limes est Hungariæ, adjacet, nec præter amplitudinem, quo se commendat, habet.

§. VII.

*De Oppido CSÁK-TORNYA, & cognominis Insulæ
celebrioribus sacris præsertim locis.*

Caput Insulæ hujus, MURA - KÖZ Hungaris, aliis *Csák-Tornya* dictæ, Oppidum est CSÁK-TORNYIUM. Nomen accepit suo a conditore *Csák*, sive, ut more veteri scribatur, *Csácb*, claro illo de vetustissima Csákiorum Familia Tavernicorum Regalium Magistro, a quo constructum est anno circiter MCCLXXI. Divellitur a Mura duabus horis, una a Dravo. In Insula amniculi, plagam hanc interlabentis, consistit. Superiore sæculo præcipuæ isthic erant Zrinianorum Comitum deliciæ, quas cumulatissime discere potes ex Epistola Clarissimi Viri Jacobi Tollii, ad amicum suum, Nicolaum Witsen data, quæ reperitur sub finem Notarum ad Aufonium. Damus hic ejus fragmentum eo libentius, quo magis confidimus, percepturum inde Lectorem exterum, quid de harum regio-

num cultura sentiendum, quas sola Turcarum rabies defædavit. Verba ejus sunt : „ Erat id (loquitur de *Csák-Tornyensi* Palatio) valde splen-
 „ didum, & amplum, egregieque contra Turcarum vim munitum, cir-
 „ cumdatum ferme ex omni parte palude, quæ cuniculos arceret. Unum
 „ latus tantum, quod pagum prospicit, solido solo innititur, eo firmio-
 „ ri opere præinctum. Mirabamur, in tanta circumjectarum Nationum
 „ barbarie cultissimas ædes, lectissimam familiam, ditissimam supellecti-
 „ lem, & summum ubique nitorem. Suspensæ erant in porticibus exuvie
 „ Turcarum, arcus, pharetræ, mallei, clypei, reliquaque id genus ar-
 „ ma; quorum tamen splendorem fulgor acinacum Damascenorum supe-
 „ rabat. Erant in iis, quorum capula auro, argentoque erant ornata;
 „ quorum vaginæ infertis gemmis illustres, oculorum aciem perstringe-
 „ bant. Videre erat in atriis suspensæ vexilla, quæ ex Turcis capta, mul-
 „ toque sanguine fœdata, non incruentam, neque imbellem victoriam
 „ denotabant. Tertio, quartove, ex quo veneramus, die, deducti su-
 „ mus in Bibliothecam, quam insignem, & omni librorum copia refertam
 „ habebat; inde in Armamentarium. Accedit huic humanitati amplissi-
 „ mum auctarium *χειμηλοθήκη* aperta; in qua præter alia, haud spernenda,
 „ Numismatum antiquorum copia. Erat in iis Alexander M. ex auro, &
 „ ære; erant Ottones argentei, Vitellius, Ovidius, Horatius, Pescennius
 „ Niger, multique alii (quorum nummi rariores) ex ære. Erant effi-
 „ gies Regum, clarorumque virorum minuta orbiculari forma, torno, ut
 „ suspicor, elaboratæ. Monstrabantur mihi præ cæteris effigies Martini
 „ Lutheri, & Uxor Catharinæ, perquam elegantes. Inde digressi in
 „ hortos Comitum perreximus, quorum nitorem, elegantiamque verbis ex-
 „ primere non possum. Asequeris tu fortasse, dum veteres Alcinoi hor-
 „ tos tibi ob oculos proponis. „ Et post pauca subnectit Epigraphen,
 „ quam inter rudera repertam in area, arcis muro inferi curarat Heros Nico-
 „ laus Zrinius:

P. CORNELIUS. CLAUDIA. P. F.
 CLAVA. FORIS. DACUMENA.
 T. F. ANN. XXV. ANN. XXXXV.
 FAVENTIA. EREG.
 FACI. CURA.

Hæc

Hæc priori sæculo facies arcis CSÁK-TORNYENSIS, quæ hodie probe munita, perennibusque aquis circumdata non parum veteris nobilitatis retinet. Oppidum autem adjunctum exornatur Asceterio Patrum Franciscanorum, Paulinorumque, qui in monte, unius fere horæ spatio, dissito, munificentia Petri Comitis a Zrinio resident. Quaterna candidus hic ordo SZALADIENSI in regione incolebat Cænobia. SZALENSE ad S. Jacobum, a Gyulaiana Familia anno MCCCIV. conditum; ENYERENSE ad B. V. a Thoma, & Joanne Enyeriis anno MCCCXXXVI. inchoatum, ac paulo post ad culmen perductum; JENÖENSE anno MCCCCLIII. a Georgio, Paulini Ordinis Fratrem, exædificatum; & hoc, de quo loquimur, CSÁK-TORNYENSE ad S. Helenam anno MCCCLXXIV. stabilitum per duos Stephanos; alterum Vajvodam Daciæ, Magistrum alterum Agazonum Regalium. Ita Annales Paulini; quibus occurrunt alii, contententes, anno MCCCLXXVI. eo loci a Vajvoda Daciæ, Stephano *Csakio*, Abbatiam conditam fuisse.

§. VIII.

De STRIDOVA S. Hieronymi natali solo.

Postremum positu, proximeque adjacens Styriæ, at dignitate, sanctitateque princeps omnium Insulæ Muranæ Oppidum jure optimo censei debet STRIDOVA, seu STRIGOVA, Magni illius Ecclesiæ Doctoris Hieronymi non vocanda in quæstionem Patria. Jacet in peramœna valle intra colles, ac montes, vincis confitos, ad ipsum Styriæ limitem agro suo pertingens, CSÁK-TORNYIO intra Occidentem, & Septentrionem tribus fere milliaribus remota, Tempello, honoribus clarissimi toto terrarum orbe sui civis dicato, æternis monumentis commendanda. Sacerrima, de qua loquimur ædicula, ad sito colliculo imposita est, multisque supplicantium ordinibus, ac votis, ex remotioribus etiam Hungariæ regionibus, huc proficiscentium, atque frequentissimis prodigiis celebratur. Fatentur id omni exceptione majores oculatique testes Viri Religiosissimi CSÁK-TORNYENSES Sancti Pauli primi Eremitæ Filii; quibus accedit nuper laudati Tollii Epistola, in qua hæc quoque leguntur: „ Monstrata „ est mihi e longinquo ab Illustrissimo Comite Nicolao Zrinio STRIDO- „ NIUM (STRIDOVA) Patria S. Hieronymi ad manum dextram, „ Ca-

„ Carinthiam versus. „ Equidem non ignoramus ; plurima a Viris eruditis, etiam nostri ævi, pro Lucii (qui sanctum hunc Doctorem Dalmatiæ suæ asserere contendit) sententia e Veterum Geographorum Tabulis congesta fuisse. Quis autem in animum nostrum inducat, populum Hungariæ, late diffusum, cui Majorum traditiones sunt pro legibus, inani errore ludi, dum e remotioribus plagis ad Natale Divi nostri solum, sancto ejus incolatu, uti pie credunt, sacratum, pietate maxima hodie dum confluit. Alioqui si quis ipsorum Dalmatiæ Scriptorum recitatas a Lucio conjecturas curatius expenderit, eas adeo utrique parti faventes deprehendet, ut jure dubius hæreat, cui palmam concedat ; nequid dicatur de Scriptoris illius Itali lapsu, eundem sanctum Istriæ attribuentis, merito idcirco a Marulo reprehensi. Ad hæc ipse Lucius non satis firma ratione fulcit opinionem suam, minusque sibi constat, ubi in Inchofferum sententiæ nostræ Patronum non infimum, insurgens, textum illum ipsiusmet D. Hieronymi de se loquentis in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum inducit, in hæc verba : „ Hieronymus Presbyter, Patre Eusebio natus, ex oppido „ STRIDONIS, quod a Gothis eversum, Dalmatiæ quondam, Pannoniæque confinium fuit. „ Quis, quæso, non advertat, duriusculam Auctoris hujus interpretationem, dum mavult, Divum Hieronymum de antiquioribus, quam suis temporibus, locutum fuisse? An non ipse Lucius Lib. I. Cap. IV. de Regno Dalmatiæ, & Croatiæ animadvertit: Regionem inter Dravum, & Savum, ætate Mauriti Imperatoris fuisse Dalmatiam dictam? quid si etiam antea, nempe ævo Divi Hieronymi? quid si perfracte reclamare nolumus plurimorum Geographorum testimoniis, asseverantium: Sirmium cum tota utique Pannonia Savia, multo ante Mauriti tempora Illyrico (quod pro Dalmatia sumebatur) adjunctam fuisse? tunc enimvero confiteri oportebit, apposite a S. Doctore situm STRIDONIS descriptum esse. STRIGOVA enim, sive STRIDOVA non longo intervallo abest a Dravo flumine, Pannoniam Saviam a cætera dividente. Accedit, quod Lucius ipse, quanquam omnia curiosius excusserit, locum tamen reperire non potuit in Dalmatia, proprie dicta, cui convenirent omnia, quæ de Natali Divi Hieronymi solo referunt Scriptores. Jam quod ipsius veteris STRIDONIS situm attinet, a sententia nostra haud discedit Andronici Palæologi expositio: Quæ Urbes nomen ultimo mutaverint? in

Hi-

Historia Byzantina ad Calcem Codini pag. 400. nuper edita a Patre Jacobo Goar, ubi ita legitur : „ Syrmium, nunc Hungaria, & STRIDON: „ quondam vero Hungari Gepides vocabantur. „ Cui consentit etiam Stephanus Brodericus, Vacienfis Episcopus, in descriptione Cladis Mohacsienfis, ante annos ducentos digesta, ubi aperte testatur: Slavoniam non solum D. Martini, sed etiam D. Hieronymi Patriam esse; nequid dicam de Petro Canisio, qui in Præfatione ad S. Doctõris selectas Epistolas, anno Christi MDCXLIX. Parisiis recusas, super ejusdem institutione ita habet: Nec apud suos Pannonios, sed Romæ institutus; ut proinde STRIDON non tam Dalmatiæ, quam Pannoniæ oppidum dici debeat, videanturque mihi illi, qui præfatum sanctum STRIDONE ad Mare natum prædicant, Mare loco Muræ errore Manuscriptorum, aut Typographorum legisse; siquidem Pannonia nunquam extendebatur usque ad Mare Adriaticum, neque unquam confinis fuit veræ, & antiquæ Dalmatiæ; adeoque in Mediterraneis quærenda est STRIDON; quæ ubicunque fuerit, Pannoniæ potius, quam Dalmatiæ attribui debet. Pannoniæ enim semper fines iidem, stabilesque fuere; ex adverso Dalmatiæ, atque Illyrici jam contractiores, jam diffusiores. Quæ super hoc fuerit mens ipsius Sanctissimi Doctõris, ex illius Scriptis ellicitur; nam dum nunquam meminit interjectæ inter Dalmatiam, Pannoniamque Liburniæ, non obscure Dalmatiæ, fines profert, ut STRIDON sita ad fines Pannoniæ, propriæ dictæ, semper eosdem limites habentis, confinium sit una sic productæ Dalmatiæ, quæ reipsa improprie sit talis. Nunc & illud adstruamus, quod STRIDON non aliquo superiore, sed ipsius Divi Hieronymi ævo a Gothis everfa fuerit. Enimvero in confesso illud est, Gothos ab Hunnis pulsos, annum circiter CCCLXXVI. transmisisse Istrum, ac post triennium a Theodosio victos, aliquamdiu quievissè; tum per varias regiones populationem circumtulissè, ac demum anno CCCCX. Romam diripuisse. Toto hoc tempore vivebat Doctõr ille sanctissimus, multum demiratus captam esse urbem, quæ cæperat orbem. Liquet ergo, ætate Divi nostri populationes a Gothis per Pannoniam factas esse, atque adeo STRIDONEM quoque tunc everfam fuisse; an vero populi illi, spiritum, & vitam ducentes Hieronymo illam quoque regionem, quæ proprie Dalmatia dicitur, vastarint, sane nullis veterum testimoniis probatur. Si cui hæc idonea non sunt,

ad ponendum omne dubium, adsciscat in subsidium minime dubias Nicolai V. Pontificis Maximi literas super indulgentiis concessis universo fideli populo, ad preces Friderici, Ciliæ Comitum, Slavoniæque Bani, obtinendis in recens tunc per Fridericum hunc erecta Divo Hieronymo sacra æde. Porro in hoc Papæ Rescripto sermonem institui de STRIDONE, seu STRIDOVA nostra, nemo, qui Zagrabiensis, ac Quinque-Ecclesiensis Diœcesis limites novit, Muræque Insulam, a nonnullis Zagoriam etiamnum vocitari meminerit, in dubium revocabit. Extractæ autem sunt hæc literæ anno Christi MDCXCVIII. Romæ ex Archivio Summi Pontificis, cum ejusdem potestate, & Magistri sacri Palatii revisione, ac approbatione, opera, & industria R. P. Martini Czeles e Societate JESU, ibidem ad Sanctum Petrum Pœnitentiarum, uti testatum facit Eminentissimi DD. Cardinalis Leopoldi a Kollonitz, Archi-Episcopi Strigoniensis subscriptio, cum appensione proprii Sigilli. Sic autem ad verbum scribit Papa:

Nicolaus Episcopus Servus Servorum DEI. Universis Christi fidelibus, præsentibus literas inspecturis, salutem &c.

„ **G**Loriosus DEUS, in sanctis suis, & in ipsorum glorificatione con-
 „ gaudens, in veneratione Beati Hieronymi Confessoris sui eo ju-
 „ cundius delectatur, quo ipse, utpote quasi luminosa ardens lucerna, su-
 „ per candelabrum in domo Domini posita, errorum tenebris profugatis,
 „ ejus meritis Almam Matrem Ecclesiam præ cæteris excellentius illustra-
 „ vit. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus Filius Nobilis Vir Frideri-
 „ cus Ciliæ, Ortemburgæ, & Zagoriæ Comes, ac Regni Slavoniæ Ba-
 „ nus, de propria salute cogitans, & in cœlestibus thesaurizare cupiens,
 „ ob singularem, quam ipse, & alii Christi fideles partium illarum ad Bea-
 „ tum Hieronymum Confessorem, tanquam præcipuum Ecclesiæ Sydus
 „ irradians, gerunt devotionis affectum Ecclesiam, sive curam Sancti Hie-
 „ ronymi de STRIDONEO, Zagrabiensis Diœcesis, quæ olim domus
 „ paterna ipsius sancti, & in qua nutritus, & educatus extitit, de bonis,
 „ sibi desuper creditis, notabiliter construi, & ædificari cæperit, ac solen-
 „ niter dotaverit. Nos cupientes, ut dicta Ecclesia congruis honoribus
 „ frequentetur, & in suis structuris, & ædificiis debite conservetur, ac fi-
 „ delium hujusmodi devotio per amplius augeatur, ipsique fideles eo liben-

„ tius

„ tius causâ devotionis confluant ad eandem, & ad conservationem hujus-
 „ modi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono
 „ cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refertos; præfati Comitum in hac
 „ parte supplicationibus inclinati, de omnipotentis DEI misericordia, ac
 „ Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum Auctoritate confisi, omnibus
 „ vere pœnitentibus, & confessis, qui præfatam Ecclesiam in festo Beati
 „ Hieronymi devote visitaverint annuatim, & ad illius conservationem
 „ hujusmodi manus porrexerint adjutrices, quinque annos, & totidem
 „ quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus, præ-
 „ sentibus, perpetuis, futuris temporibus, valituris. Voluimus autem,
 „ quod si Ecclesiam ipsam visitantibus, vel ad conservationem hujusmodi
 „ manus adjutrices porrigentibus, aut inibi pias elemosynas erogantibus,
 „ seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus,
 „ nondum elapsum, duratura, per Nos concessa fuerit, præfentes literæ
 „ nullius existant roboris, vel momenti. Datum Romæ apud S. Petrum
 „ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quadregesimo
 „ septimo. Quarto idus Novembris. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Diplomati Pontificio succedat Testimonium R. P. Pauli Szupfzky, e celeberrimo Ordine Divi Pauli Primi Eremitæ, qui in Epistola, XVII. Maji, Anno MDCCXVIII. ad operis hujus collectorem data, *primo* testatur: Unanimem popularium sententiam esse, S. Hieronymum in Oppido STRIDON, vulgo STRIDOVA, STRIGOVA, vel STRIGAVA, pro diversa vicinarum Gentium Dialecto, incunabula nactum fuisse, nempe in colliculo, cui pridem imposita fuit Ecclesia, ejusdem Divi Doctoris nomini sacrata; hanc vero una cum proventibus, ut vocant Abbatialibus Glogolitis primum, deinde Profapiæ Zrinianæ, tandem sui Ordinis Patribus, Petri Zrinii benevolentia curandam, possidendamque obtigisse. *Secundo*, propria fide interposita, narrat plurima, eaque prope inaudita, in dies miracula ibidem contingere, maxime vero ab aquis rivuli, sub eadem Ecclesia, uti non pridem Auctor ipse oculis usurpasse meminit, profilientis, quem ludicro opere Hieronymus, adhuc puer, effodisse fertur. *Tertio*, demum ait, in promptu esse vetustissimum volumen, cui antiquo caractere *Belbarti de Temesvar* nomen adscriptum legitur, e quo allata stabiliri quam optime queant, uti & ex Jacobo Covacio, aliisque quam

plurimis, quibus eadem de Hieronymi Patria, sententia fuit; præcipue vero ex pervetusta Chronica, ut ipse ait, de rebus Dalmatiæ, & Pannoniæ.

In eandem fere sententiam loquuntur literæ cujusdam Patris e Societate JESU, qui Natale solum, nempe CSÁK-TORNYENSEM Insulam, cum Divo Hieronymo commune habuisse, sancte gloriatur, testaturque, his affinia, annis ab hinc quatuor & triginta, se Hagiographis Belgis perscripisse; ut proinde ab iis plura super hoc argumento nos brevi edocendos confidamus. Hæc ad augendum sanctissimi illius Presbyteri, ac Doctoris Ecclesiæ, in explicandis sacris literis, ob summam sacrarum linguarum peritiam, maximi, in Pannonia cultum; quibus paria si eodem spiritu non soli Dalmatiæ, sed orbis universus pro Divo Hieronymo sibi vendicando compilarint, adeo nihil moramur, ut pro mensura diffundendæ sancti hujus venerationis, dilatandum fateamur sinceræ lætitiæ nostræ affectum.

CAPUT SEXTUM.

COMITATUS VESPRIMIENSIS.

§. I.

*Fines, Supremus Comes, solique VESPRIMIENSIS
Comitatus natura.*



ESPRIMIENSIS Comitatus a præcipua Civitate sua, VESPRIMIO fortitur nomen. Supremi Comitis dignitas semper penes eum est, cui Episcopales loci Infulæ imponuntur; qui hodie Martinus Biró est, ab eximio zelo, mox ab adepta dignitate prodito, memorabilis. Provincia hæc inter Balathonem lacum, ac fluvium Arabonem sita, ab Orientali latere Albenfi, a meridionali Simeghienfi, ab Occidentali Castri-Ferrei, & Szaladienfi, demum a Septentrionali Jaurinenfi, & Comaromiensfi Comitatibus coercetur. Ager ejus Provinciæ frumenti, vini que ferax est, quamvis vinum, si pauca demas Promontoria, Balathoni adsita, laudatissimum non sit.

§. II.

§. II.

*De VESPRIMIENSI Oppido, ejusque Antistitis
prærogativa.*

VESPRIMIUM (quod & WESPRIMIUM, & BESPRIMIUM) Episcopale Oppidum, ac sedes, Germanica origine a *Weisbrunn*, hoc est, Albus Fons vocatum est, quod purissimi in ejus territorio passim profiliant fontes. Positum est loco admodum salubri, & amœno, respiciens ab ortu lacum illum omnium Hungariæ maximum, a Septentrione proluxissimam Bakoniensẽm sylvam, a meridie, occasuque agrum perampulum, fertilemque. Arx in eminente colle posita, instar speculæ subijcti aspectui, pulchram late viciniam, oblongo rupis incubans dorso; infra quam in convallibus spargitur oppidum non inelegans, nec infrequens. Moenia non patiuntur, maximam partem, abruptæ petræ; murus ipse vetustus, nec satis validus, Atlantis cujusdam Patriæ, qua fulciatur, opperitur manum. In arcis corde attollitur insignis Basilica, Divo Michaëli Arch-Angelo consecrata; quam nonnulli constructam ajunt a Geyfa Duce, S. Stephani Regis Patre, Michaëlis Fratre; alii a Gisela, jam Regina, aut certe Regios titulos cum sanctissimo Rege marito, puta Stephano, opperiente; unde factum esse conjicitur, quod loci hujus Antistes obtinuerunt munus summi Reginæ Hungariæ Cancellarii, & prærogativam Reginas coronandi. Venit insigne hoc privilegium in disquisitionem Anno Christi MCCCCXXXVII. Albæ-Regalis, dum inauguranda esset Elisabeta, Uxor Alberti. Afferebat Georgius Strigoniensis Metropolita exempla Mariæ, & Barbaræ, utriusque Sigismundo Regi nuptæ, a Metropolita Strigoniensi Diademate sacro incinctæ; ex adverso VESPRIMIENSIS Scriptis, inter alia Archi-Episcopalibus etiam, rem suam agebat. Quare ne disceptatio cum populi scandalo in longius excreset, cessit tum Archi-Episcopus, facta contestatione jura suæ sedis quoad hoc uberius investigandi, ac prosequendi. Insinuare hoc loco non abs re fuerit: serius morem illum inductum esse, quo Reginarum Hungariæ humero imponi solet sacra Corona; nam anno MCCLXXII. testatur Elisabeta suo capiti fuisse impositam. Sed nos ad cæpta.

§. III.

De Episcopatu VESPRIMIENSI.

DE Episcopatu, quisnam ejus Auctor extiterit, movere quidam lites, quod se comperisse crediderint, ut Regiam Svatoplugi, & Sedem Episcoporum Slavicorum olim fuisse WESPRIMII. Istud ut bona tantum gratia non inficiemur; eversa tamen fuisse ab excessu nominatissimi illius inter Slavonicos Principes, omnia, si quæ erant, Episcoporum jura per Scythas, non asseverare non possumus; quo indubitatum evadat, inter ea Sacerdotia, quæ abs se fundata, per Sylvestrum Papam II. confirmanda, Primus Regum Hungariæ Romam miserat, VESPRIMIENSE quoque fuisse. Atque hoc pacto in gratiam redire potest communis Scriptorum sententia in constitutis a Stephano Rege, & Apostolo Episcopatibus VESPRIMIENSEM quoque ponentium, cum adversa, quam nonnulli eruunt e Privilegio, Sodalibus Cænobii Sancti Martini collato per eundem sanctum Regem. Qui Anno MXLVII. summa cum potestate sacris VESPRIMIO præerat, Benethe audiit. Collegæ in administrandis Divinis, quos Canonicos vocamus, diu sex & triceni numerabantur, heu quanto pauciores hac ætate! Sacro illi Collegio diu potestas erat, eligendi Episcopi; quæ lapsu temporum sublata est. Revocare tam præstantis Privilegii usum conati sunt sæculo quarto supra decimum, evehentes Præpositum suum Demetrium ad thronum Episcopalem, Rege, aliis distracto curis, nihil in oppositum movente; sed deinceps accipere, quam deligere Pastorem maluere.

§. IV.

De principe VESPRIMIENSIIUM Templo, aliisque sacris locis.

NE. quid eorum, quæ ad structuram principis Templi, memoriamque faciunt, prætereamus, ætate, quæ saxa quoque corrumpit, labescere cæperat sub Ludovico I. a quo annum circiter MCCCLX. Regio profus reparata est sumptu, subindeque a Laurentio de Ujlak dotata, ut pro dignitate in eo ad unum & vicena Altaria res Divina fieri posset. Præcipuus

puus facerrimæ hujus ædis thesaurus erat caput Sancti Georgii Militis & Martyris ; quod cum Præpositus quidam absque aureo, argenteoque ornatu, quo vestiebatur, in Scepusium transtulisset, & cum aliorum Sanctorum lypsanis confudisset ; comminutum in via fuerit, ne ulla deinceps ratione discerni possset. Sesequi alterum sæculum, lustro uno superatum, tenuit Ludovicianæ reparationis usus, cum rursus solo propemodum æquatum est opus Basilicum. Suis iterum illud e ruderibus eduxit, ac primæ reddidit elegantix Emericus e Comitibus Eszterházy, tertio ab hinc anno Primatis munere, & vita defunctus, dum Aulæ-Cancellarium ageret, undique meritis Episcopium VESPRIMIENSE impleret ; omnem amplissimi Sacerdotii censum in sacram hanc fabricam profundens. Subtus Templum hoc, visitur sacellum, a Gisela, Divi Stephani conjuge, eo autem in cælos translato, Passaviensis Cænobii ad S. Crucem Antistite, & ipsum conditum, Sancto Martyri Georgio sacrum. Ad hoc per amicæ sacris suis ignibus silentia noctium itabat Angelicus ille flos nascentis Hungariæ Emericus, huic sancta sua vestigia imprimebat, hoc Seraphicis votis, hoc Marianis suspiriis implebat ; dignus, cujus avidissimam solitudinem, ecquonam potissimum opere sibi demereri possset Numen, Virgineamque Matrem? eadem solaretur, diserte edicens : VIRGINITAS PLACET. Præter Templum, ac amplum hoc sacellum, Episcopium, & sat cultas aliquot Canonorum ædes, aliæ quoque privatorum non inelegantes conflurgunt, tum & Religiosa Domicilia alterum Franciscanorum, alterum Patrum a Piis Scholis appellatorum, & in Oppido Divæ Annæ Templum, nobile Alexandri Kis VESPRIMIENSIS Comitatus, dum hæc scribimus, Vice-Comitis in sanctissimam Servatoris Familiam religionis monumentum. Qui superioribus ætatibus civitatem hanc incoluerint DEO dicatorum hominum ordines, non est pronum omnes referre. Sanctimonialis Ordinis Cisterciensis, a S. Rege Stephano hic fuisse fundatas, novimus ; hæ occupato per Turcas VESPRIMIO, se Körmendinum receperunt, ibique usque ad annum MDL. perstiterunt. Paulo serius immigrarunt Cistercienses quoque, videlicet anno MCLXXXIV. Dominicani item, ac Franciscani ; sed de illorum nec Fundatore, nec anno quidquam ad posteros transmittere possumus ; de his autem duntaxat, quod Stephani Sennyey, VESPRIMIENSIS Episcopi pia beneficentia hac civitate fuerint donati.

Erat

Erat infuper in VESPRIMIENSI Castro omnium Sanctorum Præpositura, in qua sæcularis clerus obibat sacra. Credibile quoque est, non de-
fuisse in agro civitatis hujus suum Paulinis Cænobium, cum facerrima hæc
Familia in Hungarico, atque adeo VESPRIMIENSI solo nata, ac-
ceptissima proceribus fuerit; qui ut Regum, VESPRIMII multum com-
morantium, adhærere lateri debebant; ita certantes cum Principum suo-
rum in res divinas liberalitate, solos populares suos beneficentia sua exclu-
sos, ab seque ad avita remotos antra passî haud equidem fuerint.

§. V.

*De Religiosi Ordinis Paulini primordiis, & bellicis
VESPRIMIENSIS Civitatis vicibus.*

Invitat res ipsa, ut de exortu laudati modo Religiosi Ordinis pauca dica-
mus, a quo plurimum commendationis in VESPRIMIENSES
Episcopos dimanat. Jam inde a primordiis constituti Regni hujus Aposto-
lici, cum undique accersiri viderent populares nostri varios Religiosorum
ordines, illecti morum sanctitate tangebantur scilicet pia æmulatione, &
quam probabant in aliis, sibi sequendam vivendi rationem facile per-
suadebant. Ita factum, ut in spelæa, ultimosque montium recessus sese non
pauci abderent, solis notam Superis vitam agentes. Abiere sic facile du-
centi decem, & quinque anni, cum major jam esset horum cœli Candida-
torum numerus, quam ut sua quisque viveret interna lege. Quare appa-
ruere primum in Quinque-Ecclesiensi, tum Strigoniensi Diœcesibus com-
munem vitam auspicantes, institutis potissimum usi Beati Eusebii, Strigo-
niensis Canonici; dum tandem anno MCCLXII. ; mandato Urbani Papæ
IV. leges daret Sanctis Viris illis, Pauli primi Eremitæ vitam secutis, Pau-
lus VESPRIMIENSIUM Antistes. Cum regula acceperunt tum no-
men quoque quod etiamnum retinent, etsi zelo majoris Divinæ gloriæ, ac
perfectiōnis propriæ, instituta Sancti Augustini subinde sint amplexi. Una
in lucem emerere, una crevere numero, ut legislator ille Paulus novem-
admodum Cænobia suam intra Diœcesim nivæ hujus Familiæ numeraret.
Plura suggerent domestici sæpe laudati Religiosi illius Ordinis Fasti. Nos
bellicas VESPRIMIENSIUM delibemus vices; refectis illis, quæ de
Sven-

Sventopulchri Moravorum Regis, sub postremum Hunnorum adventum VESPRIMII Regiam obtinentis, Hungaricarum rerum Scriptores tradunt, quantum ab ætate hac, tantum a veritate (non paucorum opinione) recedentibus. Exploratus illud: postquam a Mathiæ Regis morte ad Austriacos denique transiisset Hungaria Principes, bis a Turcis capta, & quod consecutaneum, direpta est hæc civitas, totiesque a Christianis asserta denuo; primum quidem Ductore Comite Ekio, ad annum MDLXVI. dein Schwartzenburgio, ad annum MDXCVIII. Oppressa fuit etiam a Bethleni, ac Francisci Rakoczii sequacibus; sed illis anno MDCXXI. his Heistero, Regiarum Copiarum Archistratego, anno sæculi hujus IX. depulsis, rediit ad obsequium Domini sui.

§. VI.

*Frequentiora VESPRIMIENSIS Comitatus
Oppida.*

Nominatiora VESPRIMIENSIS Comitatus loca censentur: APÁCZA-VÁSÁRHELINUM, CSESZNEK, DEVECSER, FÜRED, S. GALLUS, HIDVÉG, MESTRIUM, MEZÖKOMÁROM, PALOTA, PÁPA, SOMLYÓ, SZIGLIGET, TIHÁNY, KÖVÁGÓ-EÖRS, TUSKE - VARINUM, VÁSONKÖ, VARASLÖD. Jam de singulis, quæ digna sunt relatu. APÁCZA - VÁSÁRHELINUM, a Sanctimonialibus denominatum oppidum, septem miliaribus Jaurino divellitur, diffunditurque juxta Sylvam Baconiam. Commendat se amplitudine sua, dein Sororum Sanctæ Claræ incolatu. Translatæ hinc sunt sacræ illæ Virgines Pofonium, quibus hodie dum oppidum patet. Paræcia loci hujus non subjacet spiritali juri Episcopi VESPRIMIENSIS, verum Primatis. Exemptione hac gaudent binæ aliæ, FELSÖ, & ALSÓ - IZKÁZIENSIS pagi, earundem Monialium juribus obnoxii. Accedit his in vicino Váfarheli monte, constructum nomini D. Margarethæ Templum, frequentia confluentis devotæ plebis, gratiis hic obtentis, atque adeo patratis prodigiis, clarum.

§. VII.

De SOMLYONE CSESZNEKO, MESTRIO.

SOMLYÓ, SZIGLIGET, CSESZNEK, oppida sunt cum arcibus; de quarum postrema jam ad amplissimam Gentem Eszterháziánam, olim ad peræque Nobilem Garaianam (uti docet incisum Ladislai nomen, ac saxo insculptum infigne) spectante, illud peculiare, quod quanta quanta est, marmoreæ insistat rupi. KÖVÁGÓ - EÖRS prioribus sæculis prædives Sacerdotium (Præposituram dicimus) ad Divæ Magdalénæ obtinebat; MESTRIUM, Hungaris MÉSTRÍ existimant nonnulli celeberrimæ Pannoniarum Civitati *Magnianæ*, seu *Mogentianæ* (de qua nos supra in vetere Hungaria) respondere. Favere conjecturæ huic videtur utcunque positus Itinerarii Antoniniani, cujus testimonio *Magniana* æquali ferme intervallo Sabariam, & Aquincum inter, mediâ collocari debet.

§. VIII.

De PALOTA, & PÁPA.

PALOTAM, & PÁPAM præsentè conjungimus §. nobile utrumque oppidum, nec postremis, adversum Turcas, accensendum munimentum PALOTA, quæ vox, latine reddita, Palatium significat, a deliciosissimis, & ad omnem luxum a Divis Hungariæ Regibus eductis ædibus, nomen mutuata est. Valla subinde, reliquamque munitiõnem accepit, ut formam arcis, quadratæ formæ, referret, ac fossâ duplici, quaternisque turribus, binis adhæc collibus ab exortu sui protecta sæpius repri-meret Turcas, succumberet interdum. Regios fane vix eminus conspexit anno MDCLXXXVIII. mox victas dedit manus. Vicinam habet insignem Piscinam, primis Hungariæ, modo colatur, exæquendam. Fovebat olim sinu suo S. Francisci Filios, quos movit statione ferrea illa ætas Hungariæ. Ab annis bene multis hunc Regiarum deliciarum locum obtinet Inclÿta Zichiorum Comitum Familia, PÁPAM Eszterháziána. Oppidum hoc ad Marczalum amnem situm, arce protegitur, arcem muri, fossæque ambiunt. Frequens locum incolit nobilitas, etsi potabilis aquæ in-

inopia laborantem. Superiore sæculo multum inclaruit bellica virtute, ut hodieum in ore popularium versetur gloriosa Pápenfium Capitaneorum memoria. Postremo civili tumultu ex improvise arcem occuparant Rakocziani; quibus anno MDCCIX. exclusis, concessit in Regis, & Ecclesiæ fidem; quanquam hodieum multus Calvinum sequatur civis; quem ad viam salutis reducere student Patres Franciscani, ac Paulini; quorum isti literis quoque juventutem informant, & TŪSKÉ. VARINUM colunt.

§. IX.

De Abbatia, & Oppido TIHANYIENSI.

Tihanyium Oppidum est cum arce, quæ assurgit in rupe, Balatoni lacui impendente, aut, clarius loquendo, ad tertiam vasti hujus lacus partem cum continente procurrente, ut quandam Peninsulæ referat formam. Insignem hic Ordo Benedictinus habet Abbatiam, concedente, dum res ferebat, arce in jura præsidii; unde a Turcis sæpius impugnata fuit. In subjacente ad rupestrem clivum solo oppidum est, agro fertili, vineisque, non illaudatis, præditum. Scaturiunt & Acidulæ, quæ vix ullis Hungaricarum salubritate concedunt. Fundarat hic Abbatiam, a S. Aniano Episcopo, & Confessore appellatam, anno MLV. Andreas I. ut ait Pazmanus in Appendice, in ejusque Templo conditur anno MLXI. cæsus in pugna, in quam descendere debuit movente arma Germano suo, Bela Primo. Quibusdam verosimilius videtur, Abbatiam hanc ante Tartarici belli tempora alibi stetisse, cum constet e vetustissimis monumentis: Tihanyensem Abbatem a Stephano V. Rege poposcisse, liceret ipsi Balatonis ad Insulam se recipere, ibidemque pro securitate arcem ædificare, ipsa etiam Abbatia, citra dubium, eo translata.

§. X.

De VÁSONKÖJENSI Arce, & memorabili, quod in ea contigit eventu.

Literarum ordine, non rerum memorabilium dignitate postremum inter oppida VESPRIMIENSIS regionis Vafari, sive Vásonkö sua cum arce est. Auctor ejus perhibetur esse Paulus Kinisius, e clarissimis Hunga-

riæ Heroibus unus. Superest hodieum in medio arcis foro marmor ru-
beum, viri, de re christiana meritissimi, vultum referens, Barbaris pa-
vendum. Fama est, dum arcem deditam Turcæ victores ingrederentur,
tanto quempiam illorum exarsisse odio in Pauli nostri statuam, ut in eam
desæviret, excussa glande plumbea e manuali sclopo, sed uni sibi inauspica-
to. Siquidem resiliens a marmore globus altus est incredibile Barbari
odium, cum ex templo deijumento, quo vehebatur, vitaque proturbando.
Nimirum nunquam impune virtus lacessitur; &, si pro conditione morta-
litate humanos artus fugitivus tandem deserit spiritus; at certe præsto sunt,
qui vel effictos proborum vultus protegant pii manes. Natum inde pro-
verbium: *Kinisium nec a morte defendendæ rei christianæ curam posuisse,*
Barbaris vel sua in effigie formidabilem esse. Meruit hunc Numinis favo-
rem rara Pauli pietas, quam posteris testaturus, in oppidum hocce suum
anno MCCCCLXXXIII. Paulinos induxit, templum Arch-Angelo
Michaëli magnificum erexit, immensis opibus dotavit, utque in eodem a
morte conderetur, ultimis tabulis sanxit.

§. XI.

De Sylva BAKONIA.

PRæcipuæ Hungaricas inter Sylvæ Bakoniæ maxima pars a Geographis
VESPRIMIENSI adscribitur Comitatu. Quare non recedemus
ab instituto, si tantisper ejus recessus subierimus. Prolixitatis tantæ est, ut
iter facientes Jaurino in Austriam ferme deducat; ex adversâ autem parte
per complures Comitatus ad Szaladiensem usque fundatur. Qui minutif-
simum ponunt milliarium numerum, metiendo illam ab oppido Tata, ad
Hungarica XII. milliaria protendi in longum asserunt, in latum ad IV. V.
nonnunquam etiam ad VII. pro diverso locorum situ. Certe si Jaurino
VESPRIMIUM cogites, Sylvæ hujus latitudo unius diei iter æquabit.
Intra limites Comitatus Castri-Ferrei Sylva luporum *Farkas-Erdeje* dicitur.
Passim in ea deprehendere est desertos pagorum campos, Templorum,
Monasteriorumque rudera, ut ex vero scripsisse videantur complures: Syl-
vam Bakoniam, quanta est, non tam ferarum latibulum, quam Sancto-
rum Virorum fuisse receptaculum, seminarium, asylum; in qua nomina-
tim hospitabantur Eremitæ Paulini, & Cistercienses; sed illorum sacras
ædes

ædes jam neque rudera produnt; hi e veteribus ruinis (in quibus inusitatæ molis Basilicam, Divinæ Triadi sacratam, & ideo tribus duntaxat, sed grandissimis fenestris, totidemque columnis instructam, metiri hodieum est) novum moliuntur Domicilium, Sircensibus in tesquis. Quasi in visceribus (unde & dicta est) eminebat BAKON-BELIENSIS, sacri Benedictinorum Ordinis, Abbatia, Divi Mauricii honoribus transcripta ab ipso S. Rege Stephano circa annum MXXX. quæ ut e ruderibus, elucltetur, proborum votum est. Olim majori ex parte Regii juris erat, quique illi præficietur, Comitis titulo gaudebat. Hodie in privatos secta est, obtinentibus plurimum iis, quibus Csefznekiense Dominium paret. Jungitur Bakoniæ, fylva alia, seu verius eadem, alio nomine vocata protenditurque ab oppido Tata Budam usque. Appellatur autem *Vértes*, quasi *Vérteszt*, a sanguinis profluvio, quo, circiter annum ML. narratur laborasse, ex ingluvie, post diurnam famem, exercitus Henrici III. Cæsaris, dum adversus Andream I. Regem bellaret, bis eodem anno in triumphum ductus.

CAPUT SEPTIMUM. COMITATUS JAURINENSIS.

§. I.

Limites, & Supremus Comes Comitatus JAURINENSIS, positus item ARABONÆ, & BREGETII.



Comitatus JAURINENSIS, cum Arabone fluvio (vulgo Rába) in longum se se porrigens, attingit ab ortu Comaromiensem, a Meridie Vesprimiensem, ab occasu Castri-Ferrei, & Soproniensem, & Septentrione Mosoniensem. Nomen trahit a præcipua urbe sua JAURINO; at unde hæc ipsa urbi nomenclatio? quis vel divinando assequatur? Affine quiddam habet JAURINUM cum *Györino*; quod nomen urbi huic indiderunt Hungari,

ob formam annuli, quam refert, gemmæ vices explente arce. Supremo Provinciæ Magistratu fungitur idem, qui Divina moderatur, Episcopus; hodie Excellentissimus Dominus Franciscus e Comitibus Zichy de Vásonkö, Perpetuus in Homonna S. C. R. M. Actualis Intimus Confiliarius. Laus Provinciæ huic non tam accedit ab amplitudine, quam glebæ bonitate, quodque intra ejus ambitum *Bregetium*, & *Arabona*, utraque civitas quondam Romanorum famosa, quocunque demum loco ad amnem Arabonem steterit. Addo istud, quod licet veterum nonnullorum Itineraria, nominatim Antoniani, municipium alterum istud respondisse innuant JAURINO; tamen quia verius isthic videtur *Bregetium*, seu *Bregetionem* collocatum fuisse; solum *Arabonæ* malimus non definire, quam a probatorum Geographorum positu longius discedere. Fors propius vero accederet, qui *Arabonam* eidem addiceret loco, quem *Sárvarum* occupat, aut ubi Marczalus fluvius, *Araboni* mixtus, suum perdit nomen. At vero *Brigitionem* isthic constituisse, atque adeo castrum locum occupasse, non modo Livius ille Hungariæ, Bonfinius, sed Socrates quoque testatur. Prioris, Decad. I. Lib. I. novæ editionis Pofonienfis pag. XIX. verba sunt : „ Si „ ad Danubium declinaveris, JAURIENSIS Conventus (Comitatus) „ occurrit, qui ab JAURO, civitate feracissima, nuncupatus est, quam „ Arabon amnis alluit, quum Danubium influit, ubi paulo remotius Bre- „ getium olim fuit. Episcopatum habet non ignobilem, ejusque Basili- „ cam Urbanus Pontifex, Mathiæ Regis Apochrysiarius, non parvis ædi- „ ficiis & apparatus excoluit. „ Dum Scriptor hic ait : *Paulo remotius positum olim fuisse Bregetium atque Jaurinum ejus ætate erat*; confirmat sententiam plurimorum, qua adstruitur, quondam civitatem hanc per defluxum Arabonis ad Panzam rivulum protensam fuisse. Alter autem in Historia Ecclesiastica Lib. IV. Cap. XXX. de Flavio Valentiniano I. Imper. pronuntiat : „ Decessit morte repentina in Castro Bregetii, sive in loco „ ad Muros vocato, editiore illo JAURINI. „ Sententiam hanc idcirco etiam adjicio, ut firmiter consistant, quæ Libro I. Cap. I. de veterum Pannoniæ civitatum positu dicebam.

§. II.

JAURINENSIS Urbis situs, & ab antiquitate commendatio.

DUarum amplissimarum Civitatum pro situ JAURINENSI contentio, eum satis commendat. Jacet ad brachium Danubii, intra majoris, & minoris Arabonis (accolæ *Rábam*, & *Rabczam* appellant) ostia. Per vetustam esse urbem Historiæ tot sæculorum, & marmora loquuntur. Legere in his est: JAURINUM Hadriano Augusto, & Victoriæ Augustæ monumenta posuit; Legioni I. Adjutrici stativa præbuit; cuiusdam Romanorum Numini Fanum struxit; ac, ne idem faceret vitium, in quod inclinabat, restituit. Accessit illud & Carolus Magnus dum bello premeret Hunnos, ac deinceps complures Hungariæ Reges suo nobilitarunt incolatu. Hos inter Fundator ipse Regni Hungariæ, D. Stephanus, tum Elifabetha, Ladislai Mater, quæ Vladislaum metuens, collocato forti præsidio se JAURINI abdidit, ubi & supremum vixit. Distat Pofonio VIII. miliar. totidem Sopronio; solidis IV. Comaromio; duobus a Monte Pannoniæ; sub gradu latitudinis 47. cum 54. min. longitudinis vero 41. cum minutis 40.

§. III.

Munimenta, & bellicæ vices JAURINI.

Vetustati, & naturæ benignitati ad ornandum, muniendumque JAURINUM se ars associavit. Valida adeo arcem, urbemque cingunt mœnia, ut jam a sæculis aliquot Clavis Romani Imperii audiat. Primus civitatem ipsam, (quæ eo loco superiori ætate consistebat, ubi nunc mortuorum humantur cadavera) creditur cum arce conjunxisse, & quædam rudimenta hodiernæ munitionis posuisse Bela IV. ut esset vastis illis regionibus firmior locus, quo se reciperent suis cum fortunis accolæ, si quando populabundi Tartari Hungariam inundarent. Sane temporibus S. Stephani solus ille collis, quem arx occupat, cinctus erat muro, quem incolebat Episcopus cum suo Canonicorum Collegio. Rediit hodierno loci Antistite in dominium Episcopii, instruiturque ad Regiam prorsus magnificentiam, facile XX. florenûm millia æquaturam, quot jam Regio dependa sunt Fisco,

ut

ut factorum per Augustos in Castris hujus grandium sumptuum pars aliqua rediret. Ad regulam deinceps conformarunt propugnacula Reges Austriaci; Ferdinandus I. Maximilianus II. & Rudolphus; qui Rábam in alveum, quem nunc occupat, pone urbis mœnia derivavit anno MDLXXXVI. facta potestate Capitulo construendi ex parte suburbii Pontis, consuetique vectigalis desumendi, ea lege, ut fossam aggeribus augeant, eamque, & Pontem conservent. Supremam firmissimo huic totius Christianitatis propugnaculo (nam & hoc insignitur JAURINUM titulo) manum imposuit Georgii Széchénii, sæpius adhuc nobis laudandi, in commoda Patriæ profusa largitas, cujus ære ad orgias aliquot elevatus est totius munimenti murus, qui etiamnum non ægre discerni queat. Murus hic in formam trianguli conformatus, ubi augustissimus est, duodecim passus æquat; prætenduntur illi septem antemuralia, aliaque terrea opera, ob quæ, cætero apparatus bellico juncta, primis Europæ munitionibus JAURINUM accensendum plerique putant. Hæc tamen prohibere non poterant, quominus & ab exercitu Regis Bosniæ, Tartaris, ut opinor, juncto, illico post annum Christi MCCLXV. caperetur, & iterum a Sinane Bassa anno MDXCIV. nequicquam deditio reclamante Archi-Duce Mathia, qui paucis passuum millibus cum suppetiis aberat; ob quod anno vertente Hardecus, & Perlinus prodicionis convicti, & capitibus truncati sunt Viennæ. Non diuturna possessione fructus est Barbarus; nam vix exacto triennio insigni stratagemate rediit ad Christianos. Ductabant per id tempus Cæsarianos Schwarzenbergius, & Nicolaus Palffius. Hi collatis consiliis centurias aliquot Turcico amictu contegunt, ut favente Luna ipsis tute succederent mœnibus. Cæteræ, ementitis Turcam militibus illis, patuere facile portæ, restabat ultima. Huic admovent, quem ductabant catapultarium tubum, valide oneratum, atque ut eum solverunt, excussi postes corruunt, poneque sequentibus sociis in urbem aditum pandunt. Asservatur adhuc viridi sub sipario in laterali facello principis Ecclesiæ porta illa, & in testimonium rei gestæ, advenis exhibetur. Turca nihilominus primo introitu nostrorum non ita concussus est, ut illico servandæ arcis consilium abjiceret; quin majore pertinacia ultimas vires colligit, impetum nostrorum tamdiu sustinet, donec cæsis plerisque omnibus, propugnaculo illi, in quo confligebatur, sanguineo nomen *Véres Báshya* adhæreret. Solennis est dies

sc.

secundissimi hujus successus, totaque civitas insigni per moenia processu gaudium testatur, & laudes auspici DEO quotannis dicit. Fundus, quem occupat civitas, ad ætatem usque nostram capituli erat, donec recens in jus Regiarum, liberarumque transit, quibus suppar ab antiquo erat Privilegiorum prærogativis. Nam & vectigalia, tributaque aut nulla, aut admodum accisa pendebant; & in paucis Canonorum Collegio, tanquam terrestribus Dominis, subjacebant, Comitatus oneribus penitus exempti cives; insuper suo in territorio nec decimas, aut nonas, nec quartas dabant; quod anno MDXC. confirmavit suo diplomate Mathias II. In oppido veteri erat insignis Præpositura S. Adalberti; Parochiale vero templum Sancti Stephani Proto-Martyris, loci Tutelaris, quem exhibet Sigillum hodieque. Amplum jam anno MCCCCLV. hoc ipsum, quod Regia est, fuisse, argumento est, quod acceperit Regni Comitum hospitio, quibus interfuit S. Joannes Capistranus. Tria numerat suburbia, unum nova civitas merito appellatur; alterum peninsula; tertium, quod est in adversa Danubii ripa, pagus verius diceretur. Urbs ipsa amplitudine, munditie, ad regulam exacta pulchrarum ædium serie, victualium, cæterorumque ad usus humanos necessariorum, abundantia, nundinarum, præcipue pecuariarum, celebritate, aëris salubritate, nominatissima Prætura militari, incolarum humanitate, cum primis Hungariæ conferri potest. Aqua nihilominus potabili destituitur, cum tot, ac tantis quodammodo innatet aquis. Nam vix ternos reperias sapidos, ac salubres in tanta amplitudine fontes.

§. IV.

Sacrarum Familiarum JAURINI Domicilia.

Accedit ad ornatum Urbis, & commoda civium Ordinum Religiosorum incolatus. Sociæ Divæ Ursulæ, pia liberalitate viduæ Neüpauerianæ JAURINO donatæ sunt anno MDCCXXVI. Octo & viginti annis prius Carmelitæ, beneficio Populi Széchénii, Coloczenfis Archi-Præsulis, & Michaëlis Dvornikovics, Episcopi Vacziensis. Filiis Divi Seraphici spatiosum conventum, ac templum dedit civium pietas; pro JESU Sociis multi symbolam contulere. Primus Antistes loci Nicolaus Dallos quatuor perangustas emit domos, aliquotque Patres introduxit anno MDCXXVII.

Dotem eodem addixit Ferdinandus II. Dallosianasque ædes aut exolvit, aut alias ære suo comparavit. Hæ ipsæ cum angustiores effent, anno MDCXXXVII. septem alias adjecit Georgius Draskovics, tum loci Præful, intercedente V. Capitulo ad annum usque MDCXLII. quod fundus effët illi obnoxius. Summoto hoc obice planiora experti sunt Religiosi illi omnia. Nam & angustias rei familiaris multum levavit Georgius Széchénius, dum JAURINENSEM Episcopatum obtineret; & Nobili Juventuti Convictum posuit. Adjecit alter Széchénius, Paulus, subinde Archi-Episcopus Coloczensis, ludum literarium, in quem beneficus fuit Ladislaus quoque Nádasdius, Csanadiensium Diœcesanus. Ultima operi manus decrat, sed quæ prioribus majore sumptu habet opus, ut ad manfuetiores Mûsas severior quoque Pallas accedat. Aggressus illico rem tantam est hodiernus Antistes Excellentissimus, ac Episcopale munus admisit, jamque omnium disciplinarum, curioni necessariarum, Professores censum ex ejus ærario habent, propediem dote transcribenda perennem futurum. Studet ea sumptuum profusione occurrere iis incommodis Pastor optimus, quæ, defectu institutionis debitæ, pronum est irreperere in optime constitutas Diœceses.

§. V.

De JAURINENSI Prædicatorum Cænobio, ac Beatiss **MAURITIO, & CAROLO CSÁKY.**

AD reliquas JAURINENSIVM laudes non minimum confert, quod hoc in oppido ad annum MCCXXI. Sacer Prædicatorum Ordo, teste Ferrario in Historia sui Ordinis, suum primum, Hungarica inter, Domicilium statuerit. Missus eum in finem ab ipso S. Dominico Bononia fuit B. Paulus, gente Hungarus, Bononiæ legum Doctor, postea Cumanorum Apostolus dictus. Primi Religiosæ hujus domus incolæ, duobus, ab ea constitutâ, annis, processere adversus Hæreticos Albigenfes, ut laboranti per Bulgariam, Croatiam, Dalmatiamque Ecclesiæ suppetias ferrent, elisuri molitiones Antipapæ, quem sibi infausta hæresis illa sub idem tempus delegerat. In eadem Religiosa domo insigni sanctitatis fama floruit annum circiter MCCCXXX. Beatus MAURITIUS de Inclyta CSÁKIORUM

RUM Profapia oriundus. Miracula ejus in unum collecta volumen, & Ferrariam ad Generale Capitulum delata esse Anno MCCCCXCIV. Michaël Pius testis est. Hæc inter luculentum illud, quod dum demortui sacrum corpus in medio Ecclesiæ jaceret, operante ad aras pro ejus anima Domino Nicolao, ejus temporis JAURINENSI Episcopo, ad elevationem sacratissimi corporis, & sanguinis Dominici, in conspectu innumeræ concurrentis multitudinis aperuerit oculos; finita vero elevatione clausèrit, ac, Divino quodam odore sparso, universos præsentis recreavit. Hæc addita plurimis aliis in vita, & a morte patris per Beatum Mauritium prodigiis, effecerunt, ut veneratione Beati jam inde eum populus prosequeretur, sacrumque ejus corpus coleretur. Veneratio perseverat hodie; at, quo sacræ exuviæ devenerint, non est in comperto. Ferreis illis temporibus, quibus Turcæ jugum ferebat JAURINUM, & quibus semel, ac iterum conflagravit, adeo confusa sunt omnia, ut si etiam intra hodierna mœnia civitatis constitisset, ne vestigium quidem Cænobii sacræ Prædicatorum Familiæ deprehendi queat. Indiculus Martyrologii, modo laudati Religiosi Ordinis, teste Ferrario, & Bollandi ad XX. Martii sequentia habet, de B. nostro : „ F. Mauritius Hungarus, nobilissimo sanguine, „ Regum ortus, cum tres annos cum uxore persancte vixisset, consensu „ mutuo, illa in Monasterium sacrarum Virginum, ipse in Prædicatorum „ Religionem se recepit, tantosque in virtutibus progressus fecit, ut mira- „ culis illustris, in Hungaria pro Beato colatur. „ Cui hæc arridet legere, sane amplissima reperiet in vita Beati apud Ambrosium Taëgium, quam refert Bollandus. Prima Religiosæ vitæ fundamenta jecit una cum sponsa sua in Insula Budensi, Leporum, & a Sancta Margaretha dicta, mortuus JAURINI anno MCCCXXXVI. Elogium hoc Divi, quo e Regum stirpe oriundus asseritur, non eum abjudicat clarissimæ Genti CSÁKIANÆ. Nam Regis hoc loco nomen paulo latius accipiendum est, prout ad ProReges quoque spectat, quos sæpe Regulos dicimus. Jam enim extra controversiam est, B. Mauritium fuisse Demetrii Bani Filium, de quo ita in Tabulario Banffianæ stirpis JAURIENSIS Capituli literæ : „ Ad uni- „ versorum notitiam horum serie volumus pervenire, quod Religiosus, „ & DEO amabilis, Vir Frater Mauritius, Filius quondam Demetrii Bani „ de genere CHÁK bonæ memoriæ de Ordine Fratrum Prædicatorum de

„ Conventu JAURIENSI coram nobis, &c. „ Data sunt Anno MCCCXXXI. Mauritio jure adjungunt quidam Fratrem CAROLUM, pariter Beati titulo insignem. Nec dissentit Bollandus, ex Michaële Pio, sive Plodio Lib. I. de Viris illustribus Col. 244. commemorans, Beato Mauritio unum duntaxat germanum fuisse, quem *Cbarum*, sive carum vocat, & celebrem pudicitiae laude asseverat floruisse circa annum MCCCXXXVI. quique & ipse a prima juventute eidem Prædicatorum cætui se aggregavit. Quibus omnibus præfato Scriptori e Ferrarii sententia hæc placuit subjicere: „ Familia CSÁKIANA, e qua Beatus Mauritius, ejusque Frater, ortus „ est, etiam hisce temporibus est in Hungaria longe spectabilis, & magni- „ fica, virisque pietate, fortitudine, prudentia, fide, & omni virtute, „ præstantibus, cumulata. „ Plura nobis adjicienda suppetunt, sed a vulgandis modestissimæ stirpis voluntate prohibemur.

§. VI.

De Principe JAURINENSIVM Basilica.

SUPEREST præcipuum JAURINENSIVM ornamentum Cathedrale Templum, & Episcopium. Utrumque ad ipsum Sanctum Stephanum Regem referimus, etsi fors collapsam Basilicæ absidem Familia Ivaniana, sive Hedervariana repararit, cujus nonnulla extare monumenta auctor est eruditissimus P. Samuel Timon e Societate JESU, & ipsa recentiorum temporum structura satis prodit. Opus Stephanæum, suppar Basilicæ Vienne[n]si, Divo Proto-Martyri Stephano Sacræ, aut Alben[s]i, scribunt complures, utque fidem adstruant, eam, quæ nunc visitur, solummodo dimidium habere primæ ajunt; hanc vero usque ad arcem protensam fuisse, duabusque turribus instructam, in quarum medio (ut detecta fundamenta probant) hodierna turris consistat. Non est animus aut amplissimæ sacræ ædi quidquam detrudere, aut tam luculentis rationibus nixam sententiam infirmare. Majora sæpe dies unus perdidit; & sacerrimam hanc ædem novimus jam Armamentarii, jam Annonariæ domus vicem obiisse, atque adeo, dum post recuperatam arcem nitratus pulvis cum non modica supellectili bellica in anteriore illius parte asservaretur, fulmine ictam magnam partem in auras affluisse, & dissiluisse. De reliquo honoribus Deiparæ in Cælos Assumptæ, quemadmodum a sancto Rege Stephano dedicata fuit,

ita

ita hodieque in Patrocinio Magnæ illius Dominæ perseverat ; digna, cujus ruinis, a Turca illatis, illacrymaretur Anno MDCXCVII. prodigiosa Icon potentissimæ illius Tutelaræ, quam suos intra parietes publicæ fidelium venerationi proponit.

§. VII.

*De Capite S. LADISLAI, Hungariæ Regis,
JAURINUM delato.*

Non minus dives est hæc eadem Basilica alio quoque thesauro videlicet Lypfanis Sancti LADISLAI Regis, de cujus venerando Capite, isthuc translato, P. Gabriel Hevenesius ita apud Janningum Tomo VI. Junii pag. 262. „ Dum Transylvania fuit avulsa ab Hungaria, translatum est „ sacrum Caput (puta Sancti LADISLAI.) Albam Regalem : ubi „ cum ob Turcarum infestationes tuto satis loco non esset, anno MDC. „ inde JAVARINUM deportatum, & Venerabilis Capituli ejusdem lo- „ ci concreditum est fidei, atque etiamnum ibi asservatur, & colitur. „ Pluribus id ipsum narrat loco citato Stephanus Telekesi, Agriensis Episcopus, qui easdem sacras Reliquias Turcis, Tartarisque per Hungariam graf- „ fantibus, Anno Christi MDCLXXXIII. in tutiora loca deportavit. Ejus verba sunt : „ Demetrius Harpagy, qui Anno Christi MDC. erat Epi- „ scopus Transylvaniensis, prævidens futura disturbia Transylvanica, & „ ob invalescentem Hæresim famosi Templi B. M. V. Varadini, a S. Ladis- „ lao exstructi (quod etiam factum est per Georgium Rákoczy, qui ex „ hoc templo propugnacula, & arcem Varadinensem exstruxit) effossis „ illis Divorum Regum Hungariæ Reliquiis, venerandum Caput Sancti „ LADISLAI, jam ante ad se receptum, idem Episcopus Demetrius, „ e Transylvania excedens, secum asportavit, ac tandem circa annum „ MDCVIII. Episcopus JAVARINENSIS factus, & Anno MDCX. „ Archi-Episcopus Colocensis, ante suam mortem totum suum Cleno- „ dium, & Argentariam Templi B. M. V. in Cælos Assumptæ, a sancto „ Rege Stephano exstructo, consignavit adhuc in vivis ; qui etiam JA- „ VARINI mortuus, in eadem Ecclesia sepultus jacet, ut ejus Epita- „ phium supra portam Sacrifiæ, quod ante aliquot annos ipse collocavi,

„ demonstrat. Et sic venerandum Caput hoc Ecclesia, & Capitulum „ JAVARINENSE hæreditavit; ubi etiam defacto cum ingenti populi „ concursu in ejus festo tota fere civitas ad osculandum concurrere solet, „ & venerari. „ Hactenus Agriensis Præsul. Janningus autem, qui anno Christi MDCC. iterum Viennam profectus, indeque in Hungariam ex- currens sancti Regis Caput spectarat, ait, ipsum religiose, & decore serva- ri, inclusum in busto argenteo, non recentis operis; in cujus vertice aperit- tur ostiolum rotundum, per quod sacra Calvaria conspicitur, atque etiam, ut ipsi a venerabundis osculum detur, permittitur. Enarrabimus infra, dum de Magno-Varadino agemus, quomodo sacræ illæ exuviæ fuerint de- tectæ, quamque prodigiose conservatæ. Ad insignis hujus Basilicæ com- mendationem quidam pertinere arbitrantur, quod constructa sit super fun- damentis facelli alicujus, Divinæ Matri adhuc a Carolo Magno dicati; pro indubitato habentes, plura Tempella in honorem Matris Beatissimæ ab eo Imperatore his in oris ædificata fuisse. Non inficiamur ista, ut antiquiorem ætate Stephani his in regionibus collocemus MARIÆ hæreditatem.

§. VIII.

De Episcopis JAURINENSIBUS, ac Eucharistico Numini Sacra Columna.

TExendus jam esset Episcoporum Syllabus, qui huic Ecclesiæ Mariano- Stephanæ præfuerunt. At hoc & ab instituto nostro alienum est, & abunde præstitit edito recens volumine posthumo Vir Illustris ex Ordine Ecclesiastico, atque adeo de gremio hujus Ecclesiæ Canonicus, Præpositus Major, & Episcopus Scardonensis *Laurentius Károlius*; nec, fueritne JAURINENSIVM (olim & *Gewrienses*, & *Jaurienses*, & *Györienses* scribebantur) Pontifex Primus Desiderius, quem anno MLXXXVII. su- premum vixisse constat, disputamus; nec, an ei datus fuerit immediatus Successor Arduinus, qui, teste Gaufrido Monacho, anno MXCVII. ab Alamano, sive Colomano Rege in Siciliam ad gloriosum Comitem Roge- rium missus, Filiam, ejusdem in Sponsam petiit Regi suo, ac impetravit; nec denique Diœcesanam Synodum, a Georgio Draskovicio habitam, in disquisitionem vocamus. Illud Austriacæ pietatis erga Numen Eucharisti- cum


cum monumentum, ad quod statis diebus DEO laudes dicerentur a præsidio, præterire nefas. Anno, si rite memini, sæculi, supra decimum, octavi, primo, & tricesimo, Legionarius, capitis reus, sacri loci religione vitam tuiturus, ad Patres S. J. confugerat. Hi, cum præter jus, arcta, eam ob causam, tenerentur proprio in domicilio custodia, voluntate Eminentissimi Jaurinensium per id tempus Antistitis Philippi a Zinzendorff Episcopales ad ædes traducere tentarunt asylantem (ut vocamus) illum, amictu clericali vestitum, ac sacratissimum Christi Corpus, a Sacerdote delatum, habitu ministri comitantem. Processerat jam eo usque sacra pompa, ubi hodie spectatur columna, Apocalyptico Agno coronata. Ibi divinissimum illud fidei nostræ mysterium deferentem Sacerdotem, bene multis, de more, stipatum ministris, sistit militaris licentia; transfugam Deifero Sacerdoti adhærentem vi repetit, sacratissimam thecam, ipfas adeo latentis sub pane DEI hominis species imprudens diffringit. Simul hæc audit Carolus VI. simul sacrum poni monumentum imperavit; ad quod, tam immani Sacrilegio violatum Numen statis horis prece præsidii placaretur.

§. IX.

De Asceterio S. MARTINI.

SECUNDUM JAURINENSIS Urbis ornamenta pauca sunt alia in hacce Provincia, quæ peculiarem sui memoriam imperarent. Prima horum occurrit Præpositura PAPOCZENSIS Sancti Salvatoris, ad V. Capitulum JAURINENSE spectans, cujus hodie ornatur Insignibus Reverendissimus D. Joannes Milkovicus, Canonicus laudatæ Ecclesiæ; deinde Cænobium Benedictinorum ad SANCTI MARTINI in sacro Monte Pannoniæ. Qui præest sacri illi ædi a temporibus Mathiæ Regis Archi-Abbatis titulo gaudet, utpote habens sub sua jurisdictione Dömölkiensem, Bakonbéliensem, Tihanyiensem, aliosque Abbates; cum antea Abbatis duntaxat veniret nomine, ut docent complures literæ, in Regni Tabulariis editæ, nominatim in Monasterio S. Andreæ apud Vissegradum. Amplissimis gaudet prærogativis; non item vel tanto censu, quanto præditus erat Abbas Péch-Varadinensis; cum hic majorem statuere numerum militum confveverit, et si Comitatus Simeghienfis omnium rerum, etiam puerorum dare

dare illi decimas teneatur, ita volente sancto Rege Stephano, qui istud voverat, si bello intestino, adversus Kupam suscepto, & Germanico feliciter imponeret finem ope Sancti Martini, factusque voti reus, illud exolvit, edito diplomate anno MII. teste Pazmanno; qui asserit se Diploma illud legisse apud sui temporis Archi-Abbatem. Inter Privilegia, quæ eadem sunt, quibus gaudet Cassinense, dicti Cænobiarchæ est, quod cum is nominatos Abbates, Canonice electos, confirmet, ipse nullius alterius, quam Papæ potestati subsit. Asceterium hoc videtur inchoatum fuisse a Geyza Duce, Sancti Stephani Regis Genitore; perfectum vero ab ipso Divo Proto-Rege, ut alibi dicebamus. Primus Abbatis munere hoc in Asceterio functus idem est, qui præerat Brumoviensi in Moravia, unde in Hungariam ductæ sunt sacræ hæ Colonix. Insuper hic loci florere D. Africus, & Bonifacius, postea Martyr, aliique sanctitate, & doctrina illustres Viri, uti testantur Annales clarissimi Ordinis; hic Divus Emericus Angelicæ puritatis primum expertus est fructum, dum singulos Religiosos, quam virtute illa florerent, dignovit, & pro mensura meriti, numero castorum osculorum donavit; hic, ut compendio utar, primus apud Hungaros apertus est literarius ludus; hic facer Helicon, in quo auditæ primum loqui latinum Musæ; hic velut in sanctiore Seminario aptabantur ad gerenda Ecclesiarum gubernacula Antistites, formabantur Divini verbi Præcones, crescebant Apostoli, parabantur Christi Athletæ, exercebantur plusquam umbratili pugna Martyres, instituebantur Doctores: verbo, hic homines carne, spiritu Angeli, cœlestem in terris agebant vitam, aguntque.



CA-

CAPUT OCTAVUM.

COMITATUS COMAROMIENSIS.

§. I.

*Appellatio, Limites, ac Supremus Comes Comitatus
COMAROMIENSIS.*

COMAROMIENSIS Comitatus, a principe sua Civitate COMAROMIO denominatus, sepositus est ad Insulam *Schiittiam* Germanis, Hungaris *Cfaló-Köz* dictam, habetque non solum portionem in modo memorata insula, sed etiam cis- ac trans - Danubium, in Interamnia Hungaria, *Erfék - Ujvarinum* versus. Jungitur Comitatus Posonienfi, & Nitrienfi a Septentrione; ab ortu Barfiensi; a meridie Strigonienfi; ab occasu Jaurinensi. Distat Comaromium, quo cætera loca facile metiaris, Jaurino non brevissimis IV. milliariibus, Ujvarino extensis duobus; quinque communibus Strigonio, Buda decem. Attingit latitudinis gradum 48. minuta 2. longitudinis 42. minuta 2. Totus Provinciæ hujus ager fertilis est; Danubius hic, si ubi, piscosus. GUTA sola (est locus ad confluxum Danubialis brachii, Vagique fluvii) pluribus Comitatus, quin & Viennæ ipsi incredibilem vim piscium sufficit, nec pretio admodum infano. Hinc primas ætate nostra obtinent in Hungariæ piscatoribus COMAROMIENSES, maximamque non Danubii tantum, sed Tibisci quoque partem ære annuo conductam occupant. Supremi Comitatus munus obit Cato ille Hungariæ, belli, pacisque artibus Summus, Excellentissimus, ac Illustrissimus D. Comes Josephus Eszterházy de Galantha, Perpetuus in Frakno, & Tata, Judex Curie Regiæ, S. C. R. M. Actualis Intimus, & Consilii Regii Locumtenentialis Consiliarius, Generalis Campi Marefchallus, Tabulæ Septem-Viralis Assessor, nec non partium Trans-Danubianarum in Hungaria Commendans Generalis.

§. II.

An in loco COMAROMII steterit Commertium Lazii?

IN extremo *Csaló-Közze*, five *Schüttbie* Insulæ angulo, in confluentia Vagi, Danubiique pervetus stat oppidum; quarto abhinc anno liberis, Regiisque Civitatibus annumeratum, COMAROMIUM, arce munitissima, & quæ nulli adhuc patuerit hosti, defensum. Nomen, quod dat toti Provinciæ, teste Bonfinio, mutuatum est a *Comaris*, Scythiæ populis. Lazius, ut civitati huic famam adstruat, Libro XII. Sect. II. Cap. XIX. construit, ignotum aliis, Romanorum Municipium, *Commertii* nomine donatum; at, hercle, in arena; plusque operæ ponens in frangendis *Commertii* elementis, ut evadat COMAROMIUM, quam latomi exegerint in quadrandis ad regulam faxis, ejus muro aptandis. Alioqui nec ullus Geographorum, aut Historicorum *Commertium* usquam locat, nec eruti (quod ait Lazius) ad Labathlanum vicum lapidis ullum ipsemet Auctor ille vel fractum producit elementum. Id inficiari nec possumus, nec volumus, ad Strigoniensem Danubii ripam sæpius erui sepulchralia monumenta, præsertim ubi hodie stat vicus *Szinius*, adeoque illic magnam aliquando stetit civitatem non dissimulamus; quæ autem hæc, in veteri Hungaria diximus, nec ullum allatum adhuc est indicium, quo *Commertio* isthic dare locum teneamur. Hæc hæctenus. Nunc ad planiora.

§. III.

De ortu, situ, munitione Arcium COMAROMIENSIIUM, aliisque.

CASTRUM COMAROMIENSE exigui nominis erat usque ad Regnum Mathiæ Corvini. Certe Carolus I. Hungariæ Rex dono illud dedit Thomæ Archi-Episcopo anno MCCCXVII. a quo per commutationem aliorum bonorum rediit ad Regem anno MCCCXX. Rex rursus Judæis illud inscripserat; sed cum hi vectigalia (quorum erant exactores, contra statutum anni MCCLXII.) Regi Mariæ non dependissent, anno MCCCLXXXIII. iis eripitur, ac Valtero Comiti, Budensis Castri Rectori, venditur. Quo jure tertium in Regis jus redierit, non habeo dicere. Id

cer-

certum est, quod iterum venditum fuerit Metropolitæ Strigoniensi Dionysio, a Ladislao Rege anno MCCCCLVI. cui successit Corvinus anno vertente, suaque crebriore præsentia COMAROMIUM nobilitavit, hortis ornavit, populo auxit. Vallatur aquis, muris, propugnaculis; illas deduxit natura, muros validiores Corvinus, propugnacula Ferdinandus I. & Leopoldus M. Muro circumdari captum est hoc munimentum anno MCCLXXII. sed pro ætatis illius ratione, non satis ad reprimendum posteriorum temporum hostem idoneo; adjecit validiorem gloriosissimus Regum Mathias Corvinus duobus post sæculis; verum & hi magnis impendiis ad militaris Architectonicæ leges exactis duobus supra octoginta annis a Ferdinando I. conformandi erant. Accessit ad coronidem arx nova, veteri trigonæ, aut verius, testudinem referenti a M. Leopoldo adjecta, eique conjuncta, eo consistens loco, qui Corvino in deliciis erat, hortos Regios, vivariaque complexus. In parte mœniorum, quam vagi confluentis allambit, monstratur Virginis, sermo coronatæ, effigies, symbolum hostilis immunitatis. Superavit non solum rebellium, sed Sinanis quoque Basschæ conatus anno MDXCIV. Utraque arx suum habet facellum, in quo rem Divinam faciunt, & Sacramentis præsidium procurant Jesuitæ. Iidem Paræciam quoque civicam administrant, in Divi Chrysofostomi æde ad Germanicam, in Apostoli autem Andreæ ad Hungaricam Nationem verba salutis facientes. Adfita eorum Religiosorum Virorum malemateria to domicilio est quoque ædícula, Magnæ Hungarorum Dominæ consecrata, quam profectis diebus nobili, frequentique Gymnasio (de quo paulo post sinistrum quiddam) recludunt. Immigrabit propediem Religiosa illa Familia novas in ædes, firmas juxta, decorasque; constructura, si Superi vires dederint, & populo DEI Ecclesiam. Præter JESU Socios excolunt COMAROMIENSEM populum Franciscani quoque, ac Trinitarii; quin & Rasciani suos Schismaticos græca instituunt fide.

§. IV.

Illustrium Virorum Natales, & commoratio
COMAROMII.

ABundat Civitas hæc populo, piscatu, mercatu; cui ut commeatum expeditiorem faceret Quæstura Regia, illico, ut Regiis COMAROMIUM adscriptum est oppidis, pontem uti dicimus volentem, majori

brachio Danubii imposuit, & sublitio partem lutulentæ insulæ stravit. Ad illustre COMAROMIENSIUM decus facit, quod isthic & Innocentius Papa XI. dum adolescentior Castra sequeretur, longiorem commorationem delegerit, ac tam Cardinalis Leopoldus Kollonics, quam Ladislaus Posthumus, Rex Hungariæ, primam aspexerit lucem; Kollonicus quidem anno MDCXXXI. septimo Kal. Novembr. Patre Ernesto, acerrimo Belli-Duce, tum Prætor (Gubernatorem vocant) COMAROMIENSI, Matre Elifabetha a Kuffstein; de Posthumo autem super meridiano soli obversa Elifabethinæ Cassoviensium Basilicæ porta, sequens Gothicis literis inscripta legitur narratio: „ Anno Domini millesimo, quadringentesimo, „ quadagesimo in die Cathedræ Beati Petri Apostoli, circa Auroram, in „ Castro COMAROM, ex præclarissima Regum prosapia, videlicet, „ Domino Alberto Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croa- „ tiæ Rege, ac Domina Elifabetha vidua, eorundem Regnorum Regina, „ olim Filia invictissimi Principis, ac Domini Domini Sigismundi Roma- „ norum Imperatoris, natus est Princeps gloriosissimus, Dominus Ladis- „ laus, verus Rex, ac hæres in successionem horum Regnorum, & Du- „ catuum, hæreditarie possidendorum. Eodem etiam anno in festo Pen- „ tecostes sacra Regni Hungariæ Corona omni cum solennitate in Alba- „ Regali legitime coronatus. „ Sed jam data de Gymnasio fides liberanda est, ut castigata, Regia voluntate, inconsultæ Juventutis temeritas, secuturis ætatibus debitam erga Moderatores observantiam imprimat; nec ullus moratissimam Hungarorum Gentem eo ingrati animi probro contaminet, quo protervus in eos esse audeat, quorum in se studio, labori, vigiliis, paulo minus, ac progenitoribus debet. Rem, publicis expressam typis compendio damus, parcendo reorum nominibus.

§. V.

De Studiosis.

PUNCTA MANDATI,

Quo per Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale correctæ est quorundam Scholarium refractaria erga Moderatores temeritas.

CUM gravis, & seditionis speciem præferens tumultus per Studiosos in libera, Regiaque Civitate Comaromiensi temerario sane ausu excitatus nuper fuerit, facta ideo per mixtam ex Magistratu Comitatenfi, & Civili,

vili, nec non Statu Militari Commissionem inquisitione, relationeque ejusdem per consilium hoc Regium Locumtenentiale Sacræ Cæsareo-Regiæ Majestati submissa; fatentibus ipsis tumultuantibus, compertum est causam primam motus hujus fuisse &c. *Proferuntur hic reorum nomina, & singulis sua statuitur pœna; tum sic mandata sua prosequitur sanctius illud tribunal*: Si qui, præter hos, adhuc culpabiles inventi fuerint, eorum correctio Patri Superiori committitur; hæcque tandem executionis descriptio per omnia in Regno Hungariæ Gymnasia solemniter publicetur, ut Juventus Scholastica exemplum sibi fumat. Qui autem ex supra nominatis Comaromio jam discessissent seu cum, seu sine testimoniis, ubicunque studeant, prædictis pœnis in exemplum aliorum subjiciantur.

Quemadmodum porro consilium hoc Regium Locumtenentiale benignam hanc Sacræ Cæsareo-Regiæ Majestatis resolutionem Comaromiensi Comitatus & Civitati, nec non Patri Superiori Residentiæ pro executione hodie intimat; ita eandem Civitatis quoque hujus Magistratus intimandam esse duxit; ut, si in futurum scandalosi tales studioforum tumultus evenirent, eosdem antevertere, aut, si forte ex supra nominatis Studiosis in Civitate hac scholas frequentarent, ad pœnæ executionem moderatoribus assistentiam præbere noverit idem Magistratus &c.

Datum ex Consilio Regio Locumtenentiale Posonii die 28. Mensis Junii Anno 1747. celebrato.

§. VI.

De Tata, aliisque Comitatus COMAROMIENSIS memorabilibus locis.

CÆtera COMAROMIENSIS Provinciæ loca nec plurima, nec famosissima sunt. Intra Insulæ *Csaló-Köziæ* (quam aliqui *Cituorum*, alii COMORAM vocant) ambitum GUTA ad influxum Vagi jacet, de qua mentionem facit Istvanfius Rerum Hungaricarum Lib. XXVIII. Quæ hic olim fuerint Corvini vivaria, quæ præterea nominatiora sint vastæ illius Insulæ, fructibusque abundantissimæ oppida, commodius exponemus in descriptione Comitatus Posoniensis, ad quem spectant. De Pago Wiselburgo hic insinuare juverit, esse quosdam, qui eum existiment re-

spondere *Quadrato* Antonini; quod nos parte priore non procul Jaurino removendum censebamus, & nunc etiam censemus. Extra Insulam duobus milliariibus COMAROMIO disjungitur oppidum TATA sua cum arce. Utriusque Natales constans traditio reducit ad Theodatum Comitem Bohemum, qui D. Proto-Regem Hungariæ e sacro fonte levaverat ritu Christiano. Hunc Patrem lustricum Rex ille sanctissimus *Tatam*, id est: Patrem vocare consueverat. Honori tanto ut vicem redderet Theodatus, Castrum, & Oppidum construxit, TATÆque nomine insignivit, & ut erat vir pius, rei que Christianæ, ac Divini honoris studiosissimus, Abbatiam SS. Apostolorum Petri, & Pauli constituit, atque Sancti Benedicti Filiis transcripsit. Testatur hæc Bela IV. dum suo Diplomate Abbatiae illius jura confirmat. Obnoxia dudum est TATA Excelsæ Domui Eszterhâzianæ, quam hodie magnifice excolit supra laudatus ex vero Pater Patriæ Excellentissimus D. Judex Curiae Regiæ, gestientibus quodammodo ad sapientissima imperia duci viventibus aquis, multo e fonte scaturientibus. Eruitur & nitidum in vicinis TATÆ montibus marmor, cujus magnum fuisse quondam usum, complurium Palatiorum rudera testantur. TATENSIBUS deliciis adjungi possunt GYALLENSE, & MARCZALHAZENSE Castella. Illi cultus famam ex vero conciliat; huic ex vano vetustæ civitatis Limusæ decora affingas. Alibi eam quærere Geographi peritiores jubent.

CAPUT NONUM. COMITATUS STRIGONIENSIS.

§. I.

*Positus, Fines, Denominatio, & Supremus Comes
Comitatus STRIGONIENSIS.*



STRIGONIENSIS Comitatus non secus, atque Comariensis, partim cis - partim trans-Danubium excurrit in regionem Hungariæ interamniam, secundum factam a nobis partitionem; nihilominus adnumerandum merito trans-Danubialibus Provinciis censuimus, quod hac in plaga sita sit urbs
ejus

ejus princeps, a qua & nomen mutuatus est, nempe STRIGONIUM, Hungaris *Esztergam*, Germanis *Gran*, ab amne Grano, infra ipsa urbis pomeria in Danubium influente. Hic ipse confluxus latinæ nomenclaturæ dedisse creditur occasionem, ut STRIGONIUM idem sit, quod *Istro-Granium*. Terminatur Comitatus hic a Septentrione Barfensi; ab ortu Neogradensi, & Hontensi; a Meridie Pilifensi; ab occasu Comaromienfi, & Albenfi. Supremus, ac Perpetuus Comes idem est, qui Metropolita STRIGONIENSIS, cujus Primatialis sedes in tertium jam vacat annum.

§. II.

*An Brigantes condiderint STRIGONIUM,
& quis ejus situs?*

Divellitur STRIGONIUM Buda perinde, ac Comaromio quinque Germanicis milliaribus, subjacetque latitudinis gradui 47. cum minutis 51. longitudinis autem gradui 42. cum minutis 27. A quibusdam vetustatis scrutatoribus ponitur, in solo STRIGONIENSI conditum fuisse *Bregetium*, a *Brigantibus*, sive *Brigitiis* populis, qui, teste Tacito, cum sub Domitiano, & Vespasiano Imperatoribus a mari Germanico depulsi fuissent, in has postea terras, Romanis militibus immixti, immigravere. Nobis jam ante visum est, *Bregetium* respondisse Jaurino, quod id Ptolemæi, aliorumque probatorum Scriptorum rationibus magis congruat. Tacito autem nihil adversum loquitur, seu quis *Brigantibus* STRIGONII, seu Jaurini olim fuisse sedes dicat. Notitia Imperii hac in statione collocat Præfectum Legionis primæ, adjutricis cohortis quintæ. Verum non libet obsoletis immorari. Hodie magnam laudem sibi vindicat arx rotundæ, aut verius ovali insistens rupi, undique abruptæ; jam olim adversus Tartarorum irruptiones probe munita, tercentum circiter passus lata, despectans hinc Urbem Archi-Episcopalem, remotioremque Regiam, & Danubium, inde Granum, campum S. Georgii, montem S. Thomæ, utrumque multis habitatum, colles vitiferos, plagamque pulcherrimam, ut nec amœnorem, nec salubriorem locum desideres. Magnam partem veteri, at folido clauditur muro in orbem, suis locis distincto propugnaculis. Oppositus mons a D. Thoma dictus, quem ante occupatum per Turcas STRI-

GO-

GONIUM Cathedralis Ecclesiæ Canonici incolebant, in arcis defensionem conspirabat. His ad ipsius rupis appendicem accedit turris bene munita, quæ tepentes aquas, per subterraneum cuniculum admittas, includit, arci, parato ad id singulari artificio, si usus ferret, ministrandas, hodie Patrum Franciscanorum Pannificinæ famulantes.

§. III.

De Metropolitana Basilica, & Archi-Episcopi juribus in arcem STRIGONIENSEM.

PLurimis olim ornamentis arx ista gloriabatur, quorum rudera solum profant. Præcipuum erat Basilica B. M. V. & Sancto Adalberto Martyri sacra, multo marmore, & auro tam scite distincta, ut opus Angelicum diceretur. Jam inde a primordiis Regni Hungariæ habita est omnium reliquarum Ecclesiarum Mater; moto ad hanc institutionem, ut plerisque placet, Divo Stephano, ut gratam natali solo redderet vicem; quod argumento est, Regiam hic Geyzæ Ducis fuisse, Templumque ipsum, eo vivo, ut minus, minoris elegantia stetit, agente potissimum D. Adalberto, huc per vices etiam Praga digrediente, & Comite Theodato, Patre, uti dicebamus, Divi Stephani iustitico, ad DEI cultum, & Hungarorum conversionem consiliis, & hortatibus Geyzam, ac Stephanum animante. Ad ornamentum Basilicæ hujus adjuncta erant duo sacella; quorum alterum Joannes Kanisay, alterum Thomas Bakacz, uterque Metropolita Strigoniensis, quisque suum Mariano posuit honori; at Kanisayanum, asservandis pretiosissimis omnium bonarum artium libris, superiore sui parte destinatum, cum Basilica vitium fecit; Bakaczianum, in quo paries omnis marmor est, concameratio cuprum, auro solide illitum, etiamnum extat. Quot sæculis Stephanæum illud Templum steterit, nusquam distincte notatum legitur. Indicium quoddam est, collapsam magna sui parte fuisse, adeoque novam construi oportuisse, quod anno MCCCCLIII. Dionysius Cardinalis, præsentibus, & assistentibus sex Episcopis consecraverit Ecclesiam STRIGONIENSEM, B. V. MARIÆ & S. Adalberto dicatam. Sane quam Patrocinium hoc geminum nulli alteri STRIGONIENSI, præter Metropolitanam, congruit, tam incredibile videtur, ad ætatem usque

que Dionysii primam illam fabricam consecratione destitutam fuisse. Sacerriam illi ædi diu assidere libebat Regibus, atque idcirco Regia colebatur in arce STRIGONIENSI. Hanc Emericus Anno MCXCVIII. ea conditione donat Archi-Episcopo, ut ferente fors ita necessitate, redeat ad Regis jura, quod factum sub Sigismundo ad annum MCCCCIII. sed Regibus Bela IV. ac Andrea II. ad Metropolitam rediit dimidia, eo uno sub onere, ut civibus tempore belli sit liberum se in arcem recipere, in qua incolumitatem obtinuerant tempore Tartarorum. Acta sunt hæc ante annum MCCXLIX. quo reperitur commutasse Bela Palatium cum Curia Archi-Episcopali in Castro STRIGONIENSI, ex quo ejus ædis magnificentiam æstimes. Eandem per ætatem Bela Rex donarat civibus, aliisque nonnullis partem spatii in arce, cum Capella S. Stephani Proto-Martyris; at quia de condendis in arce civium domibus exoriebantur jurgia, quod unus præ altero ampliorem locum habuerit attributum, item quod noluerint cohabitare Sacerdotibus; idem Bela priorem donationem revocavit, sua jura Archi-Episcopo, Præposito, Capituloque restituit, sicque totius Castri jus ad Archi-Episcopum transiisse videtur; ex adverso cives jussit novum oppidum construere in loco antiquæ Civitatis, quam Tartari everterant.

§. IV.

*De ortu Regiæ Civitatis STRIGONIENSIS,
Religiosis Familiis, ac Mausoleo Belæ IV.
Regis.*

Superiore paragrapho dicta referuntur ad annum MCCLVI. a quo proinde Civitatis Regiæ primordia distingui non debere opinamur; nisi sentire quis malit solam Archi-Episcopalem, per Tartaros, non item Regiam everfam fuisse. Hoc autem vel ex eo creditu evadit arduum, quod servata arce facilius & contiguum Archi-Episcopale Oppidum servari potuisset, quam sepositum quadringentis circiter passibus alterum Regium. Utraque hæc Civitas cultas habet ædes, populoque frequens est, utraque sacris ornatur ædibus. Regiam incolit Curio Petrinus, ac S. Francisci Reformati; Archi-Episcopalem & hi, & ille, insuperque Socii JESU; bene-

ficio Georgii Széchénii huc inducti, ac dotati. Egit insigni hoc munere, Princeps, Patriæ amantissimus, ut per Turcicam barbariem everso bonarum artium Gymnasio novum sufficeret anno MDCLXXXVII. Pari zelo Templum S. Stephano Proto-Martyri sacrum in hoc ipso Archi-Episcopali oppido laxavit Christianus Augustus, e Saxoniz Ducibus oriundus; & iterum inexhaustus ille Széchéni Seraphicis Asceterium, Templumque erexit, ut essent sancti illius Patris Filii (ita agebat Præful sanctissimus) qui implerent vices Minorum, olim a Bela IV. STRIGONIUM illatorum, ac per Turcas excisorum. Occupabant illi Regiam Civitatem, sacra facientes in æde B. M. V. quam Auxiliatrici suæ posuerat, exactis Tartaris, alter hic Fundator Hungarici Regni anno MCCL. in qua etiam XXV. ab hinc anno humari voluit, cum jam ante eo loci & Filium Belam Ducem, & Reginam conjugem, Græci Imperatoris filiam, condidisset. Trium horum monumentis inscriptum vifebatur:

Aspice rem cbaram, tres cingunt Virginis aram:

Rex, Dux, Regina; quibus adsint gaudia trina!

Regis autem Belæ locus his insuper duobus versibus ornabatur:

Dum licuit, tua dum viguit, Rex Bela, potestas;

Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honestas.

Incefferat STRIGONIENSEM Metropolitam Philippum ea cogitatio, ut Regiis hisce corporibus Principem totius Regni Basilicam locupletaret. Nec intra desiderium stetit ea cogitatio. Nam reapse translata fuisse corpora illa in arcis Templum, exploratum est; nihilominus cum pretiosum pignus hoc repeteret sacra illa Familia, litemque intentaret Archi-Præfuli, maluit a proposito suo discedere, quam jurgari.

§. V.

Sacerdotia Strigoniensia, & singularis de Canonicis Montis Sancti Thomæ crifis.

ULtra hæc multo plura, amplioraque fuere felicibus illis Hungariz temporibus STRIGONII Sacerdotia. Et primo quidem, quantum e veteribus documentis literariis potest erui, complectebatur STRIGONIUM tres Paræcias, Sanctæ Crucis, Divi Petri, & D. Laurentii. Id affe-

affequi durum non fuerit, si unam earum statuas in arce, uti indubie fuit, alteram in Flumentana, sive Archi-Episcopali, tertiam in Regia Civitate. Tres pariter erant Præposituræ, quæ hodieum perseverant, at censu multum imminuto; nempe Divi Stephani Proto-Martyris annexa arcis Paræciæ; Divi Thomæ in monte cognomine, Divi Georgii de Viridi Campo, quæ subjicebatur itidem arci, obversa Civitati Archi-Episcopali, quam denominationem necdum exiit locus ille. Senos minimum singula hæc Sacerdotia habebant Presbyteros, qui Divina obirent munia. Istud quia nemo non asseverat, qui sacra STRIGONIENSIVM accuratius pertractat, nobis eam suggerit mentem, ut suspicemur, accolas, montis Divi Thomæ, Canonicos, non tam principis Basilicæ sacris muniis adstrictos fuisse, quam proprio suæ Præposituræ Templo. Ita commentari suadet, non modo quod vix credibile sit, tam remote positos fuisse a Templo suo sacros illos Ministros, cum in reliquis Episcopatibus pone Ecclesiam Cathedralē, a populo separata, suis cum Antistitibus primitus habuerint domicilia; sed etiam quod Bela IV. dum, salvis juribus Archi-Episcopalibus, civium ædificiis dimidiam arcem STRIGONIENSEM addiderat, eximat Palatium, curiam, claustrum; & Palatium quidem Archi-Episcopo, curiam vero Præposito permittit, at claustrum ad alios non pertinuisse, nisi ad Canonicos (qui quondam iisdem omnes, aut saltem conjunctis utebantur ædibus, & Præposito ad instar Religiosorum suberant) vel id argumento est, quod nullum vestigium sit, habitasse ullos unquam in arce hac Religiosos. Non ægre nostram hanc opinionem demutabimus, vulgoque receptæ deferemus, si quis amantior veritatis hunc nobis errorem eximere, & ardua duo juga pro commodiore comœatu (ne gravissimi viri illi, hyberno præsertim tempore cum vitæ periculo iter illud toties quot diebus emetiri debuisse dicantur) complanare, quantum admittit veritas, admissus fuerit. Præterire hic silentio non convenit illud, quod notant aliqui, nempe Præposituram hanc anno MCCCXCI. cum sex Canonicis fundatam esse a Joanne Kanisai, adnitente Sigismundo Imperatore. Ego dicere malim, veterem restitutam suis cum redditibus, iniquitate temporum ad Reges, ab his ad Archi-Episcopos devolutam.

§. VI.

*Vetera Religiosorum Ordinum STRIGONII
Domicilia.*

SÆcularibus Sacerdotiis succedant ea Religiosorum Domicilia, quorum hodie sola tenemus nomina. Et Prædicatores quidem ad D. Martini verbo vitæ populum pascebant; Augustiniani vero Eremitæ Templum Divæ Annæ sacris procurabant; Templarii deinde ad radicem arcis, quæ campum despectat viridem, quasi pro postibus Marianæ Basilicæ excubabant ad annum usque MCC. Leguntur & Virgines DEO sacræ suam in Insula STRIGONIENSI stationem habuisse, & Minores Divi Francisci tam in Regia Civitate Mariano, quam in Flumenta Ladislai, Regis sanctissimi, Templo adfita Asceteria habuisse; quorum illud in jus Reformatorum venisse jam ante innui, & istud, non abs re conjicio, liberalitate ejusdem Archi-Præfulis; quandoquidem memini sacro illi Ordini primum anno MDCLXXXVII. viginti; deinde decem & quinque MDCXC. florenorum millia, utramque summam pro Monasterio STRIGONII erigendo datam fuisse. Atque hæc intra STRIGONIENSIS duntaxat Civitatis pomeria; quibus si addere velis ea, quæ a STRIGONIENSIBUS Pontificibus pro DEO, Ecclesia, Rege, ac Patria sancte constructa sunt ædificia, & constituta sacra, Regnum universum peragrandum erit.

§. VII.

De Præpositura DÖMÖSIENSI gravis Regni Optimum cum Papa collisio.

DÖMÖSIENSIS Præposituræ, honori D. Margarethæ dicatæ, nefas sit non meminisse. Regia prorsus magnificentia pro Præposito, & XII. Canonicis excultum erat sacrum opus illud mille circiter passibus STRIGONIO remotum, inque sylvas retrusum, ab Almo Duce, Geyzæ secundi filio, Belæ vero, itidem secundi, Genitore. Multatum tota majestate sua est per Asiaticum Tyrannum, nec dubium, quin de censu quoque plurimum decefferit. Umbræ hujus titulum admisceri magnis suis patitur Excellentissimus D. Episcopus Nitriensis, de quo nobis infra sermo, quod

quod ab annis bene multis Nitriensi Episcopatu adjuncta sit Præpositura illa, uti post annum MD. sponderat Vladislaus Rex ob accisa nonnulla ejus Præfulatus bona. Gravissimam occasione vacantis hujus Præposituræ ortam fuisse controversiam inter Nicolaum Papam V. ac Regni Optimates, Corvino Governatore, ad annum Christi MCCCCXLIX. acerbior, ac tantum non egressa limites observantiæ, Hungaris, erga sedem Apostolicam propriæ, quam ea de re Pesthinsibus e Comitibus postero mox anno dederunt ad eundem summum sacrorum Patrem, declarat Epistola. Sumperitne hoc dissidium originem inde, quod Pontifex jus nominandi Prælatos Hungariæ, per Sylvestrinum Diploma ad sola coronata capita contractum, summæ sedi per inter-regnum, aut, dum pro pupillo Rege administrat alius rempublicam, competere contenderet? an vero, quod Sacerdotium hoc in jura Regularium, per Sigismundum Regem traductum, Procures pristino Præposituræ sæcularis gradui reddi, reclamante Nicolao, vellent? in ambiguo adhucdum est. Utrumlibet fuerit; non vidit exemplum Hungariae pariter Romana cum sede altercationis. Regio Patronatus jure Governator usus, spontaneo ab excessu Fratrum Montis Oliveti Abbatiae nomen detraxit DÖMÖSIO, ac redditum Præposituræ honoribus hocce beneficium, contulit Magistro Stephano, STRIGONIENSI Divi Thomæ Præposito, Regni Proto-Notario. Intercessit intempestiva, Valentini, Viri Religiosi, ac peregregii, unius e minoribus Papæ Pœnitentiariis, petitio, ut Sacerdotium illud in Prioratum redigeretur. Non gravate Pontifex annuit, utque juris potestatem firmaret validius, censuras adjecit, non oscitanter a Valentino evulgandas. Præfervidus hic nifus feriit Optimatum animos ultra, quam dici possit. Eo in æstu animi, Regni totius nomine prolixiores parantur literæ, exulcerati animi indices præduræ. Ultimum earum §. huc conjicimus, ut vel hinc horrorem concipiat ambitio; ne, dum privata captamus commoda singuli, ad unius cupiditatem universæ reipublicæ salus allidatur. Sic autem ad verbum ibi: „ Si Beatitude Vestra ante fatæ religioni, vel dicto Fratri Valentino adeo afficitur, „ ut ejus finem amplificare libeat; alia certe dote nova opus esset; in hac „ enim veteri commodius erit omnium nostrum libertatem, quam unius „ palam licentiam malle. Enimvero casu quo in re ipsa, & hac vice neglecti fuerimus, idemque Frater Valentinus ante dictus processibus, &

„ censuris inniti statuerit ; aperta facie dicimus : prosequi quidem poterit,
 „ sed, an assequi etiam, in dubio situm est; præsertim si libertate læsa juri
 „ Patronatus quoque Regio vulnus adjiciet. Verumtamen hoc unum, sal-
 „ va Apostolica Auctoritate, & reverentia, sine dubio noverit, ita indu-
 „ xisse in animum, ita denique generalem omnium voluntatem esse, ut
 „ in dicta Ecclesia hosti prius, quam tali hospiti licebit portas patefacere,
 „ quique libertati in Regno finis, idem Regno fiet. Proinde, Beatitudo
 „ Vestra, si devotam sibi fide, & officio, salvam cupit esse Hungariam,
 „ patiatur & liberam fore &c. „

§. VIII.

Quædam de Archi-Episcopis, & Archi-Episcopatus STRIGONIENSIS Prærogativis, nec non Metropolitanæ Canoniorum Collegio.

E Numeratis tot sacris Ordinibus, ac Sacerdotiis, restat, ut de principis quoque in Hungariæ Regno Archi-Episcopatus Prærogativis, ac Præfulibus aliquid dicamus. Amplissima horum legere est Privilegia apud Pazmanum in Appendice III. ad acta Synodi Tyrnaviæ anno MDCXXIX. celebratæ. Inter sedis hujus Antistites ponunt quidam S. Adalbertum Archi-Episcopum Pragensem, quod existiment, eam gratiam reddidisse S. Stephanum illi Divo, a quo Sacramentum baptismi susceperat; quæ opinio nullius veterum fulta suffragio, confutatur inde affatim, quod sanctissimus ille Regni Hungariæ Apostolus jam anno DCCCCXCV. aut certe DCCCCXCVII. corona Martyrii fuerit donatus. Communior eorum est sententia, qui primum locum attribuunt Divo Sebastiano, ex Ordine Sancti Benedicti. His refragatur P. Samuel Timon, in Epitome Chronologica præponens Dominicum; cui Viro, rerum Hungaricarum scientissimo, non assentiri non possumus. Utinam quo in Diplomate legerit Domini nomen, signatum reliquisset! longum esset omnium referre gloriosa pro cælo suscepta facinora. Tribus ævi sui posuit hoc sæculo monumentum Cellissimus S. R. I. Princeps, ac Hungariæ Pro-Rex Paulus Eszterházy sequentibus inscriptum:

TRI-

TRIBUS MAGNIS HUNGARIÆ COLUMNIS.

PETRO PAZMANO S. R. E. CARDINALI.

ET ARCHI-EPISCOPO STRIGONIENSI.

GEORGIO LIPPAL.

ETIAM ARCHI-EPISCOPO STRIGONIENSI.

GEORGIO SÉCHÉNI.

ITIDEM ARCHI-EPISCOPO STRIGONIENSI.

PATRIÆ PATRIBUS.

Quorum veneranda ossa hac requiescunt in fossa.

POSUIT HUNC LAPIDEM GRATITUDINIS ERGO

ILLUSTRISS. S. R. I. PRINCEPS PAULUS ESZTORASZ

REGNI HUNGARIÆ PALATINUS.

ANNO DOMINI MDCCX.

Redibit horum sæpius mentio Præfulum; nunc strictim de nonnullis quædam, qui ad opes, & dignitatem primæ in Hungarica Monarchia sedis præ cæteris contulerunt, genus, doctrinam, vitæ sanctitatem, dignitates, cæteraque hujusmodi, amplissima sane illa, ac posterorum memoria dignissima consulto prætereundo; quemadmodum & illa, quæ commodius alibi referri possunt. Paginæ hujus proprium est nomen Széchénii modo laudati, Szelepchéniique. Prior ad reparandum sacellum arcis STRIGONIENSIS Bakaczianum, implendosque murorum hiatus numeravit, quinquies, & decies mille Rhenanos; iste dimidium admodum millionem, reliquit pro construenda Basilica, reparandoque STRIGONIENSI Castro. Tertius ab his, Georgius Lippai, fundatam Ujvariensem Archi-Episcopalem arcem a Paulo Vardai, ingenti sumptu munivit; cui ne quid addere possent posteri, Leopoldus Kollonicus, omnibus nominibus jam nominatis, ac deinceps nominandis accensendus, effecit. Ladomerius, Joannes Vitezius, ac Martirius STRIGONIENSE Castrum Palatiis, Tempora elegantissimis picturis, artificii, ad prodigium usque illustrarunt; Stephanus de Vancsa, & Dionysius Szécsy temporum, & Tartarorum injurias ab arce, Stephanæ illa Basilica, & latifundiis depulerunt. Ne multa: nemo adhuc inventus est Archi-Episcoporum STRIGONIENSIVM, qui non laborasset, Regio quodam munere sponsam hanc suam demereri. Par in eandem Regum, Pontificumque Romanorum studium. Fundatoris

Ste-

Stephani otiosum est commemorare beneficia; nihil habet, quod Apostolo illi non deberet. Perierat triennali Tartarorum vastatione, restituit eam universa cum Hungaria, alter ille Regni hujus Pater, Bela IV. Adjecit anno MCCXCI. oppidum non ignobile Rosnaviam Andreas III. Cumularunt Austriaci, collata S. Crucis ad Granum Abbatia. Certavit cum Principibus beneficentia Joannes I. Archi-Præsul, pluribus prædiis, villis, latifundiis Capitulo suo transcriptis. Quæ tam munificos habuit Summates in se ditanda, in ornanda dignitatibus, ac titulis experta est ferme prodigos, ex vero profusos. Quasi precario inungebant STRIGONIENSES Metropolitæ, Reges Hungariæ ad annum usque MCLXXXVII. Prærogativa hæc, ut jure competeret deinceps Præsulibus illis, Bela III. postulavit, Gregorius Papa VIII. sanxit. Serius, anno videlicet sæculi XIV. octavo, & vicesimo, accessit iisdem dignitas supremorum STRIGONIENSIS Provinciæ Comitum, cum jam ante suos STRIGONII Cancellarios habuissent, de quorum numero fuit anno MCCCXIV. Henricus, Præpositus Budensis. Summi deinde per Hungariam Cancellarii munus Tyaræ illi perpetuum evasit anno MCCCXCIII. at ut a Rege Primas obtinerent, ac Sedis Apostolicæ per universas sacræ Coronæ Ditiones Legati nati potestate eminent, folisque illis præferri Crux possêt, Privilegium nonnisi Nicolaus V. sæculi V. supra decimum anno LII. dedit; denique ne Carolus VI. ulli Majorum suorum in ornanda STRIGONIENSI Metropoli concederet, amplissimo Diplomate illius Præsules in perpetuum S. R. I. Principum titulis auxit. Sic opibus, & honoribus excultis Hungariæ Primatibus, quam condigno provivum sit Canonicorum Collegio, justum cognoscendi desiderium incessat non neminem. Verum ne taciturnitati nostræ succenseat, quanti isthoc sit moliminis, quamque Topographorum instituta remote contingens, secum reputet ipse. Ne nihil dicamus: nullum Hungariæ propemodum stemma est, cujus in sacro hocce contubernio sacratiores ad dignitates pignora non adoleverint; nulla Infula, quæ non hinc capita legerit; rara virtus Præfulca, quæ non isthic tirocinium posuerit. Hoc nimirum a primis Hungariæ cunabulis sacratius est Seminarium, de quo ad gubernia Ecclesiarum transferuntur Antistites, in quo instituuntur principali spiritu Apostolici Regni Patres, hæc palæstra diviniior, in qua formantur Religiosorum Ordinum Instructores, exercentur Doctores, succrescunt Martyres,

tyres, vivunt Beati. Eusebii hoc nomine, Marcique Crisini memoriam revoco; quorum ille Religiosæ Paulinorum Eremitarum vitæ primus promotor, nisi institutorem dicere quis malit, eos in virtute fecit progressus, ut Beati honores meruerit; Crisinus ad Confessorum adoras, Martyrum purpuram sacro Collegio suo adjecit.

§. IX.

De Martyrio Marci Crisini.

IMperare mihimet nequeo, quin singulare hoc decus delibem. Gabriel Bethlenus Transylvanorum Princeps, cum innata prurigine, sus, deque vertendi omnia, tum Bohemorum, Hungarorumque, a Catholicis alienorum sacris, invitatione, infestis in Hungariam venit armis anno salutis MDCXIX. quo violatas (id prætexebat) quamlibet sequendi religionem libertates vindicaret. Inter complures, qui Principis illius animum incendebant, Alvincius, facile Rabularum primus, erat. Arcta huic cum Joanne Reineri, Cassoviensi in republica Senatorii ordinis viro, vel eo nomine necessitudo, quod orthodoxis esset perinensus. Quare ut Cassoviam deditioe accepit Rakoczius, Bethlenianarum copiarum ductor, & ipse Calvinianus, furiis omnibus implet Joannem, extorqueat ut a Senatu, nequis in ea, superioris Hungariæ præcipua, Civitate supersit factionis Papisticæ. Agebat pro virili Reinerus; nunquam tamen barbara consilia ultro provehere potuit in Curia, quamvis tota Acatholica, quam ut tres Sacerdotes, Marcum Crisinum, Canonicum Strigoniensem, & Archidiaconum Comaromiensem, a Venerabili Capitulo procurandæ Széplakienfi Abbatix, Cassoviensibus agris conterminæ, Præfectum, tum Stephanum Pongraczium, & Melchiorem Grodeczium, utrumque de Societate JESU, utrumque civibus, & præsidio Catholico navantem operam, de medio tollendi potestatem obtineret. Læti eo successu sanguinarii, Senatus placitum ad Rakoczium deferunt; qui priusquam impiæ sententiæ subscriberet, Crisinum per internuntios alloquendum putavit, si præmio, vel minis deduci de constantia, & ad Calvinum abstrahi posset. Sed enim virum aggressus est, spes inter, ac minas, blanditias, & tormenta sibi constare solitum. Verba Venerabilis Viri ad Legatum hæc erant: petitionem, inquit, Rakoczii, Magnatumque intelligo; nihil tamen pollicitationibus, ac minis

eorum moveor. Vitam ante ponam millies, quam Religionem Catholicam, extra quam non novi aliam, abjurem; nec patiar, ut & meo, & STRIGONIENSIVM Canonicorum Collegio (cujus ea laus, abundare viris, qui & agere ament fortia, & pati dura appetant) nomini tam infamem aspergam labem. Rakoczius, & suo pte ingenio ferox, & ab Alvincio, Reineroque inflammatus, diris viros innocentes devovet, tortoribus tradit, intra triduum de vita proturbandos. Quæ reliquo hoc vitæ tempore fuerint conjunctissimorum DEO hominum colloquia, commendavit posterorum memoriæ Stephanus Eperjessius, Regii Sacelli Curator: addebant, inquit, sibi animos, mortis obeundæ avidissimi, vitæ superioris errata pandebant invicem; ardentissimis Divini amoris ignibus colliquecebant, triduana licet, sine ullo profus obsonio, pressi inedia, semper affixi terræ genibus hærebant. Hæc inter pietatis exercitia evolvitur dies sextus Septembris. Sub noctis medium inchoabant feralem scenam missi ab Reinerio satellites, robusta (erant enim heterodoxi de numero peditum, quos Hajdones appellant) audacia, barbara impudentia. Hi viros castissimos raptant, nudant, & absceta (quod calamus horret scribere) natura, acerbius DEO dicorum hominum pudore animos, quam ferro corpora cruentant. Ad hunc, scilicet, verecundiæ apicem, ad hunc mansuetudinis Christi gradum evasit reformata per Calvinum Religio. Sed nos sacrum agonem veræ fidei pugilum prosequamur. Priusquam ultimam experirentur manum, tam acerbe jam vexati, in quæstionem vocantur. Crisinus primus est, qui, nata in cerebro Alvincii consilia Catholicorum adversus Bethlenum, prodere jubetur. Vitam, fortunas, omnia addicunt corpori, modo Calvino fidem det, Papam abjuret. Non minora intentata Pongraczio, paria Grodeczio; cumque nihil proficeret verbis, ac primis verberibus crudelitas, nova expedit; Crisinum, inditis vinculis, manibus e trabe suspensum, facibus dirissime excruciant, dum soluta igne caro, ossa laterum nudarentur, ipsa adeo propenderent viscera, nullum non ad commiserationem motura, qui non feram induisset. Enimvero ab humano sensu descivisse debuerant, qui in virum perquam venerandum adeo descæviebant, ut, cum vix esset reliquus vulnere locus, quo fors non pervasit edacior ignis, id sclopeto implexum, loco filicis, torquerent, cruentarent, laniarent, innocentem denique animam, absceto capite, de corpore proturbarent. Glorioso-

riofum pugilum fuorum agonem non est paffus diu latere absque laurea. DEUS, confequentibus tam luculentis Omnipotentiae portentis, ut ipfos Primates Hungariae adverterent, legitimisque inquisitionibus subjicerentur. Habes ea Lector amice, in opusculo, quod inscribitur : Caffovia vetus, ac nova, Parte altera. Cap. V. descripta ; quibus tamen, etsi ad omnem Canonicarum Sanctionum rigorem exactis, humanam duntaxat fidem haberi volumus, quemadmodum caeteris quoque in hac lucubratione sparsim incidentibus ; memores constitutionis S. Romanae, & universalis Inquisitionis, nec non sanctissimi Domini Nostri Urbani Papae VIII.

§. X.

Memorabilia, praesertim bellica de STRIGONIO.

Cætera jam de STRIGONIO memorabilia enarremus. Facit huc ortus Divi Stephani primi Regis ; diuturnior tot Divorum, Præsulorum, Regum commoratio ; occubitus Belæ IV. ejusque Conjugis, ac Ducis filii ; item Stephani hujus nominis Regis III. quorum hic in Basilica principe, Bela cum filio, Reginaque in sacra æde Minorum conditus est ; in quam illatus etiam est Nicolaus Wajvoda Transylvanicae, a Valachis caesus. An & morte Alberti II. Imperatoris, ac Regis funestata sit STRIGONIENSIS vicinia ? in medio relinquo. Nam Scriptores, cum de mortifero morbo consentiant, ventris profluvio extinctum passim notantes, mensè Octobri, dissident quoad locum, annum, & diem obitus ; aliis ad octavum & vicesimum dicti mensis anni MCCCC. aliis ad superioris anni XXVII. occasum Magni illius Principis referentibus ; quibusdam in pago Nefzmél, inter Comaromium, & STRIGONIUM sito, aliis in Insula Cfaló-Köziæ vico Megyero extinctum commemorantibus. Non minora de loco Albertinae sepulturae jurgia ; exteri enim in Auftriacorum Mausolæo depositum volunt ; domestici in Alba-Regalensi. Connivebit utrisque, qui adstruxerit : Albæ-Regalis hospitium, Viennæ sedem perpetuam a morte cadaveri Albertino obtigisse. Restant dicendi bellici labores, quos tulit STRIGONIUM, quibusque potissimum duobus postremis attritum est sæculis. Et quidem septies inter ea, qua a Christianis, quae per Turcas obsessa, persistit arx superior, quater succubuit victa. Vexata primum nequicquam est a Solymano sæculi XVI. anno XXVI. ac rursus a

Zapolianis copiis non exacto sexennio ; cessit deinceps instante alterum Solymanno, sæculi ejusdem anno XXXIV. quo in tractatu pacis servavit suum Ferdinandus præsidium, clavim tamen Castris juxta postulatam superbi victoris transmisit barbaro, cujus post decennium jugo plene subacta est. Excutere hoc Mathias Archi-Dux conatus est nequicquam anno MDXCIV. sed favere justis Rudolphi II. armis superi vix evolutis XII. mensibus ab inauspicato molimine Mathiæ. Sub exitum rursus decennii expugnata a Mahometanis est, nonnisi LXXXIII. sæculi supra decimum septimi Christianis reddenda, cæsis per Cæsareos, ac Polonos fœderatos Turcarum reliquiis, quæ Vienna profugerant, postque brevem dierum aliquot obsidionem.

Secundum STRIGONIUM, cognominis Regionis loca potiora sunt : BAINA olim Nobilissimæ Pothiorum, sive Both Familiæ grande oppidum, hodie Illustrissimi D. Michaël Sándor cum eleganti Castello pagus, duobus STRIGONIO milliaribus semotus; BATOR-KESZI deinde, & PARKANUM; illud solo fere nomine, hoc situ (jacet enim in adversa STRIGONIO ripa ad ostia Grani) vetustate, datis, & acceptis cladibus, obtinente Turcarum tyrannide, memorabile. Late quaqua versus Danubialem per ripam rudera amplissimarum unam, quamcunque tandem illam, nomenclatio vero PARCAM Urbem, PARKANI locum, viciniamque occupavisse, indicium præbent. Sæculo sexto, & decimo, in septimum declinante, vallum habebat, protegendo ponti peridoneum; quod insigni virtute Pálffiani Comititis, illius, inquam, Herois, cujus opera plurimum, semperque auspiciatissime usus est Mansfeldius, disjectum est horæ spatium, tametsi non ab iis duntaxat, qui intus erant, interneccione obstinationem luituris, sed e STRIGONIENSI quoque arce majorum tormentorum pilis acerrime defenderetur. Non perinde amico fidere jecimus belli aleam anno Domini MDCLXIII. proditione colonorum in parati hostis fauces, quem, nihil tale suspicantem, intempesta nocte obruendum autumabamus, inducti, numeroque barbarorum obruti. Cæsa, captave nostrorum e senis, tria admodum millia scribuntur; atque in his aliquot Præfecti, e promiscua Provincialium nobilitate facile bis mille, Comes Lipajus, Georgius Eszterházius, Danielis filius, & Lesseniensis Nagyius.

Vulgavit hæc pernitide R. P. Joan. Corneli e S. J. in suis Hungaricæ Historiæ fragmentis, lectu dignissimis.

CA-

CAPUT DECIMUM.

DE COMITATU PILISIENSI.

§. I.

Denominatio, situs, & Supremi Comitis dignitas Comitatus PILISIENSIS.



Nter plures quinquagenis, hodiernæ Hungariæ proprios Comitatus, non uno nomine principem sibi vindicat locum PILISIENSIS. Nam & Urbem, toto terrarum orbe percelebrem, duorum de quadraginta Regum sedem, ac Monarchiæ Hungariæ Metropolim pro capite nactus est, & rerum gestarum amplitudine, antiquitatum splendore, incolarum frequentia, soli cultura, cæterisque ornamentis plurimum omni ævo præstabat, præstatque. Nomen trahit vel ab oppidulo, cui nomen *Pilisso* fuerit; quando in gestis Caroli Magni in hac Pannoniarum regione geminarum *Pelesarum* fit mentio; aut verius a nudo arboribus monte, Hungaris *Pilis* etiamnum vocato, duobus infra Strigonium milliaribus, tribus supra BUDAM eminente, Mariana Religiosæ Cisterciensium Familiæ Abbatia quondam illustri. Decoratur in præsens ejus Sacerdotii titulo R. D. Joseph. Malli, sacri illius Ordinis, Regii Monasterii B. M. V. de Welehrad in Moravia, & PILIS, ac Páztó in Hungaria Abbas, idemque Regiæ Majestati a Consiliis. Adjacet hæc Provincia, Strigoniensi a Septentrione; ab ortu Pesthinenfi, a qua dirimitur Danubio; a Meridie Tolnensi; ab occasu Alba-Regalensi. Supremo Magistratu ejusdem, duarumque illi unitarum, puta Pesthinenfis, & Soldiensis (de quibus agemus in Hungaria Interamnia) semper ille fungitur, qui Pro-Regiis Fascibus ornatur. Is in annum jam octavum est Excell. ac Illustr. D. Comes Joannes Pálffy ab Erdöd, Perpetuus in Vöröskö, Bajmócz, Szent-György, & Bozin, Regni Hungariæ Palatinus, & Locumtenens Regius, Judex Cumanorum, Aurei Velleris Eques, Comitatum Pofoniensis Perpetuus, ac Hæreditarius, Pesth vero, Pilis, & Sold Supremus Comes, Arcisque Regiæ Pofoniensis Supremus æque, ac

Hæreditarius Capitaneus, S. C. R. M. Actualis Intimus Confiliarius, & Confilii Regii Locumtenentialis, nec non Tabulæ Septem-Viralis Præfes, Generalis Campi Mareſchallus, & unius Regiminis Militiæ Cataphractorum Colonellus, ac Supremus Regionum Armorum per Hungariam Præfectus. Merita Inclyti hujus Atlantis Hungariæ, Patris Patriæ, Fidei in-Principes Gemmæ, Summorum Heroum gloriæ, vel inde metiaris, quod ejus unius fidei Carolus VI. Romanorum Imperator Potentiſſimus, morti proximus, tot Coronarum Hæredem Filiam, hoc eſt Auguſtiſſimæ ſuæ Domus ſpem dulciſſimam, **MARIAM THERESIAM**, hodie Romanorum Imperatricem glorioſiſſimam, ac Hungariæ, Bohemiæ, cæterorumque Regnorum Matrem verius, quam Reginam, **JUSTAM, CLEMENTEM, PIAM**, credere non dubitarit. Sed nos adumbrandæ Metropoli noſtræ manum admoveamus.

§. II.

Unde natum ſit BUDÆ nomen?

BUDÆ nomen ipſum non levem præbuit altercandi occaſionem; majorem natales. Slavis ſemper dicta eſt *Budin*, Turcis *Budun*, *Bude* Gallis, **BUDA** Hungaris, Hiſpanis, Italis; *Eczelpurg* olim, jam *Offen* Germanis. Mutuantur **BUDÆ** nomen Strabo, Herodotus, atque ex his Bonfinius, a *Budinis*, Scythiæ populis; *Wernerus* a *Baden* Theutonico, aut *Woda* Slavonico vocabulo, quod aquis, potiſſimum calidis, abundet. Propius vero eſt, **BUDÆ** nomen ortum eſſe a *Buda*, Fratre Attilæ, quod Nicolaus Olahus in Attilæ vita Cap. XII. aſſeverat; Joannes autem de Thurocz in Chronic. Hungar. Part. I. Cap. XVII. ſic exequitur ad verbum: „ Cum Sicambriæ demoraretur *Buda* Frater ſuus (id eſt „ Attilæ;) terminos ſui Reſtoratus, ſibi per Attilam deputatos, trans- „ greſſiſſe, & illius in abſentia, Regnum ſibi uſurpare voluiſſe, erga il- „ lum accuſatus eſt. Et his rebus, id quod Rex Attila ſuo in reſſu Sicam- „ briam, *Urbem Attilæ* præceperat vocari; *Buda* vero illam vocabulo „ ſui nominis **BUDAVARA** denominaverat, apud Attilam magna „ comprobatione erat. Quare ipſe Rex Attila eundem fratrem ſuum, „ dolo circumventum, captivavit, & propriis ſuis manibus occidit, cada- „ verque illius in Danubium demergi fecit. Quo interfecto, licet ipſe Rex „ Atti-

„ Attila infiterit, & rursus novo sub edicto statuerit, quod ipsa Sicambriæ Civitas non aliter, sed *Urbs Attilæ* debeat appellari; Hunni tamen, sive Hungari, interdictum minus observantes, illam BUDAVÁRA vocaverunt, vocantque ó BUDA usque in hunc diem. Theutoni vero edictum Regis transgredi magis formidantes, Civitatem ipsam, sicut tunc ob metum illius *Eczelpurg*, id est *Urbs Attilæ*, vocavere, sic & modo illam eodem nomine vocant. Tandem Rex Attila, interfecto Fratre, Sicambriæ quinque annis quievit. „ Hæc Thuroczius, ex quocunque tandem Hungariæ Chronographo; cujus ætate, ut nullus dubio locus est, eam nomenclationem adhæsisse illi loco, cui pagus, VETUS BUDA dictus, respondet; ita Germanicam utrique BUDÆ, veteri, ajo, novæque, calcariis a fornacibus, isthic olim frequentissimis, fluxisse appellationem OFFEN, consentiunt omnes. A controversia de nomine ad rem ipsam veniamus; primum nunc memorati VETERIS BUDÆ Pagi, tum Regiæ urbis hodiernæ ortum, progressum, florem, ornamenta, vices, occasum, ac sæculi, quod vivimus, fortunam narraturi.

§. III.

De vici BUDÆ VETERIS, in solo Sicambriæ constructi, fortuna, antequam Christiana in eum sacra illata sunt.

CURtam Ptolomæi, Acincum item (aliis Aquincum) quondam intra Metropolis nostræ stetisse pomæria, Althamerus, Appianus, Irenicus, & plures antiquarii opinantur. Si, quod res est, edicere volumus ingenue, in tenebris palpitant. Multo verius illud, quia plurimorum testimoniis firmatum, quod e patrio Annalista produximus: In agro BUDÆ VETERIS Sicambriam Civitatem floruisse. Probat id lapis quoque, e vetustis eo loci ruinis erutus, dum pro Beatrice Regina jacerentur novi Palatii fundamenta, Rege Corvino. Lapis ille hac notatur inscriptione:

LEGIO. SICAMBRORUM.
HIC. PRAESIDIO. COLLOCATO.
CIVITATEM. CONDIDIT.
QUAM. EX. SUO. NOMINE.
SICAMBIAM. DIXIT.

Eruun-

Eruuntur hac etiam ætate per agros prædicti pagi non raro cæmenta, quæ suis in ruinis, ac fundamentis magnificentiam Germanicæ illius Legionis loquuntur affatim. In hoc eodem terræ tractu habuere stativa præsidia Legiones, præter jam dictam V. Sicambricam, prima, & secunda Adjutrices, decima Augusta, & decima Gemina, dum contra Metanastas, Quados, & Sarmatas, aliosque finitimos populos ditiones Romanæ Reipublicæ tutarentur; quod deducitur e lib. XII. de Repub. Cap. XIII. §. II. Lazii, Appianique monumentis. Ita omni ætate opportunus humano incolatui vifus est BUDÆ fitus.

Amplius excultus est idem locus quinquennio, quo post cladem (datamne, an acceptam? quis definiat?) Catalaunicis in campis diversatus isthic est Attila, dum e vivis ereptus, metu mundum liberasset; sepultus cum Kewe, Cadicha, & Bela commilitonibus suis; quorum primus commisso ad Urbem Potentianam, (1.) duo reliqui ad Zeiselmaur, inferioris Austriæ oppidum, Tulnensi Civitati vicinum, Matrino, (2.) & Detricho (3.) Romanis Ducibus, prælio, occubuerant, terræ mandati in Keweházensi agro intra Ertsi, & Bata, sive Száz-Halom, vicis Comitatus Alba-Regalensis; ubi reperta est grandis columna lapidea anno sæculi hujus supra tricesimum secundo. Dignam, pro more temporis illius, fuisse VETERIS BUDÆ Regiam, argumento mihi est inter alia, quod cum meliore Scriptorum calculo diem ultimum obierit Attila anno Christiano CCCLIV. exactis inde sæculis admodum quatuor, ac XI. lustris repererint ejus Palatia, illi Scytharum populi, qui Almo Duce, tertium suis, effusi sedibus, Panoniam inundarunt, qua hodieque potiuntur. Equidem egressus eorum incidit in annum Æræ Christianæ DCCCLXXXIV. aut DCCCLXXXIII. quia tamen expeditio per eos ad subigendam regionem, Tibisco, ac Bodrogo clausam, ante annum DCCCCIII. suscepta non est, atque insuper BUDENSES ad oras sub finem omnium ferme laborum suorum delati sunt; tribus supra nongentos addendi videntur tres alii anni, ne majora humanis viribus gessisse gentem illam fateri debeamus. Porro Csepelia ex Insula egressos Scythas illos, ad amniculum *Rákos* castra metatos fuisse, ac vadando transmississe Danubium, posteroque die *Urbem Attilæ* ingressos, Attilina quædam

1. Mogentianum, Adonio, Albenfis Comitatus oppido respondentem, melius legunt alii.
 2. Macrino, Panoniæ Præside.
 3. Dietrico, seu Theodorico.

dam reperisse Palatia, auctor est Anonymus, Belæ Regis Notarius in Hist. Ducum Hungar. Cap. XLVI. ita scribens : „ Transactis quibusdam
 „ diebus, Dux Arpad, & omnes sui Primates, communi consilio - -
 „ egredientes de Insula, castra metati sunt ultra *Surcusar*, usque ad fluvium
 „ *Rakus*, & - - tranfierunt *Danubium*, & portum, ubi transitum fecerunt,
 „ *portum Moger* (1.) nominaverunt. - - Transito Danubio, castra
 „ metati sunt juxta Danubium usque ad aquas calidas superiores. (2.) - -
 „ Secunda autem die Dux Arpad, & omnes sui Primates, cum omnibus
 „ militibus Hungariæ intraverunt in *Civitatem Attilæ* Regis, & viderunt
 „ omnia Palatia Regalia, quædam destructa usque ad fundamentum, quædam
 „ non ; & admirabantur ultra modum omnia illa ædificia lapidea, &
 „ facti sunt læti, ultra, quam dici potest, eo quod capere meruerunt sine
 „ bello *Civitatem Attilæ* Regis, ex cujus progenie Dux Arpad descenderat.
 „ - - Qui valde lætus factus est, & omnibus militibus suis diversa donaria
 „ tam in auro, quam in argento, cum cæteris possessionibus donavit, & in eodem
 „ loco, *Cadunec*, Patri *Curzan* dedit terram a *Civitate Attilæ* Regis usque
 „ ad centum Montes, (3.) & usque ad *Gyoyg*, (4.) & filio suo dedit unum
 „ castrum ad custodiam populi sui. Tunc *Curzan* castrum illud sub suo proprio
 „ nomine jussit appellari. (5.) „ Verum hæc de gentili BUDA factis.

§. IV.

Qua ætate BUDAM Christiana Religio sit inuenta?

CHRISTIANA in eam sacra primus intulisse vulgo creditur Carolus Magnus, posteaquam Hunnos, cladibus attritos, e ceterioribus hisce Danubii ripis profligasset. At enim nisi hæc opinio contrahatur ad solos Hungaros, *Budalia* (ita non nemo (6.) BUDÆ latifundia nominavit) habitantes; multum a vero desciscemus. Quam enim certum est, oram hanc ad Pro-

PARS I.

Z

vin-

1. Ferunt, hunc respondere loco, ubi mobili ponte navali hac ætate transmittunt Danubium, qui Pesthino Budam petunt.
2. Neüstiftenses, sive Regias.
3. SZÁZ-HALOM. Nam ætate illa sæpe montis nomine colles significabantur.
4. GYON, extremum Comitatus Alba-Regalensis ad Occidentem prædium.
5. Fors UJTAN arx Comitatus Vespriemensis, Alba-Regalensi vicina.
6. Archi-Diaconus.

vinciam Romanorum Pannoniam, pertinuisse; tam in dubium vocari nequit, jam tempore Romanorum, Gepidarumque Christi fidem his in plagis disseminatam fuisse. Accipe majus omni exceptione testimonium Patris Ludov. Du-Mefnil e S. J. Tom. IV. doctrinæ, & disciplinæ Eccles. pag. 18. ad annum DCCCCLXXVIII. e Concilior. Edition. Harduin. Tom. VI. L'Ab. Tom. IX. partem Epistolæ S. Piligrini, Lauriacens. Episc. ad Benedict. Papam VI. datæ, referentis in hæc verba: „ Unde quoque visum „ est, jam necessarium esse, ut Sanctitas Vestra illic aliquot jubeat ordinari „ Episcopos; quia & quondam Romanorum, Gepidarumque tempore „ proprios septem Episcopos eadem Orientalis Pannonia (I.) habuit, & „ Moesia, meæ Lauriacensi Ecclesiæ subjecta. „ Jam vero nullus adeo peregrinus est Ecclesiastica in Historia, qui nesciat, aut Attila orbem vastationibus desolante, Ardaricum, Gepidarum Regem, floruisse, aut Attilam CCCCLIV. humanæ salutis anno, vivere desiisse. Quocirca si Gepidis, rerum in Pannonia potiuntibus, septenos hæc Provincia habebat Episcopos, uti reapse habebat, ante ipsa Attilæ tempora vera Religio per plagas Pannoniarum late fuit dispersa; ne cogamur dicere: vel nullam fuisse ovem, aut Ecclesiam Pannoniæ Orientalis in ovili, quam septeni regerent Pastores; aut natam una, extinctamque tam amplam Domini sementem esse. Ab obitu Attilæ novis augeri capit res Christiana per Pannonias incrementis; cujus etsi partem potissimam oppresserit Scythica, quam supra ex Anonymo retulimus, Arpadi, ac sociorum superstitio; non tamen penitus extinxit. Nam haud procul BUDA VETERE constructa a Religiosissimo Imperatore Carolo Magno sub initia sæculi IX. nempe anno DCCCIII. Divinæ Matris ædícula, a candore, quo emicabat, ALBAMARIA dicta, perstitit ad annum usque MCCCCLXXXIV. quo Mathia Corvino, Divi Pauli I. Eremitæ Religiosis Fratribus, cum ampla eremo fuit collata. Faciebant isthic rem Divinam Sacerdotes, nulli Religioso Ordini adstricti; sed, quæ humanarum rerum est conditio, animo remissiore, postquam deserbuit illa Ethnicæ superstitionis rabies. Deplo- rat id Sixtus IV. datis ad Corvinum anno MCCCCLXXIX. literis, faciens Regi potestatem, ut noxios pietati populi, sacerrimæ ædis illius administratione summoveat, eamque Sanctioribus Ministris curam committat. Ita candida illa Familia venit in possessionem ALBÆ-MARIÆ.

S. V.

†. L. I. C. 1. §. 1. diximus hanc Pannoniam ad Danubium fuisse protensam.

§. V.

*Nicolai Dianesevich de Caroli M. in Pannonia
gestis opinio; quo item loco steterit ædicula
ALBÆ-MARIÆ?*

Quo hæc, & Libro I. sparsim dicta, testatiora fiant, nihilo immutata Nicolai Dianesevich, Ecclesiæ Zagrabienfis Præpositi Majoris, verba e libello MS. qui inscribitur: ARCA PATRONORUM ILLYRII, huc transcribo: „ Carolus M. inquit ille, Divina dispositione ex Regno „ Franciæ ad Imperium Occidentale vocatus, id imprimis curæ habuit, ut „ Ecclesiam, & Christianam Rempublicam pacatam servaret, omnesque „ ab ea hostes, præsertim infidelium incurfus, vel Religionem cum iis pa- „ ciscendo, si Christiana sacra suscipere voluissent, vel, si recusassent, „ prælio, & sanguine decertando, averteret. Quamobrem Hunnos, ad „ castiganda mortalium scelera divinitus se factos existimantes, & ob hoc „ vicinas Nationes vexare non cessantes, ac Marchiam Foro-Juliensem, & „ Bojoariam aggressos, fudit, fugavitque. Ut Christianitati parcerent, „ cum iisdem de confinibus Regnorum, quibus limitibus discerni deberent, „ quosque ipsis transire non liceret, egit quidem; at postquam nihil certi „ statuere potuit, bipartito exercitu Pannoniam ingressus, ac usque ad „ Arabonis, sive Rabæ fluenta progressus, magnam ipsorum stragem edi- „ dit. Theodo, unus ex Ducibus Hungarorum, suæ gentis afflictione per- „ motus, quæ a Christiano Rege fracta, superstitionem suam, virtute de- „ stitutam rebatur, Legatos ad Carolum mittens, & adventum suum si- „ gnificavit, & se cum suis Fidem Christianam suscepturum spondit. „ Contra aliam nihilominus Pannoniæ, Chagani, alterius Ducis Hungaro- „ rum, Regni partem, Pipinus, filius Caroli, ire iussus trans-Tibiscum; „ & is Hunnos fudit, eamque regionem, & campum, qui *Rigó*, sive „ Merulæ dicitur, vastavit. Interim Theodo, his Pannoniæ turbis non „ obstantibus, ad Carolum Aquisgranum venit, ibique cum omnibus, „ qui secum advenerant, baptizatus, & remuneratus, post datum fidei „ servandæ Sacramentum, domum rediit; sed in promissa fide non diu „ permanfit, ab eadem una cum sua gente deficiens. Ad quam ut eosdem „ revocaret Carolus, in Pannoniam magno apparatu profectus, Hunnos,

„ Chaba Rege, omnium votis ad hoc bellum gerendum electo, in campo
 „ Sicambriæ, seu VETERIS-BUDÆ occurrentes, ingenti prælio fu-
 „ dit, expugnataque Sicambria, per omnem victricia signa circumtulit
 „ Pannoniam; ea victis data optione, ut, qui Christo nomen ultro da-
 „ rent, liberi essent. Unde & sponte se Christo asserentes, honoribus, &
 „ immunitatibus donati, quibus placebat, stipendiarii effecti, ac, ut dis-
 „ cernerentur, cruce signati sunt; qui vero renuissent, adempta cum
 „ fortunis libertate, vita duntaxat illis relicta est; Templis nihilominus
 „ idolorum, præcepto Caroli demolitis; ex quibus unum Sicambriæ Mar-
 „ tis, & Jovis, quemadmodum præ cæteris religiosum, ita sumptuosum
 „ imprimis dirui iussit, & Christiano ritu operari cupientibus in extrema
 „ parte Urbis, sub Divæ Genitricis MARIÆ nomine, Templum sta-
 „ tuit. „ Hactenus ille, multa quidem prisca Scriptoribus ignota conge-
 „ rens; sed, opinione mea paucos, qui omnibus adhærescant, Lectores ha-
 „ biturus. Cæterum Sicambriam tam late fuisse protensam, quam notat
 „ hic Scriptor, nemo mirabitur, qui Legionum Romanarum, aut Municipi-
 „ orum amplitudinem curiosius exploravit. Habet id quoque memorabile,
 „ de qua sermo est, Ecclesia, quod assurrexerit in loco sepulturæ Arpadi Du-
 „ cis, seu, quod veritati magis consonum est, pone eam, ejusve fors deva-
 „ statæ ad rudera Dux ille fuerit humatus. Transmisit hoc ad posteros antea
 „ laudatus Belæ (nisi fallor IV.) Anonymus Notarius, Historiæ suæ Cap.
 „ LII. scribens: „ Post hæc anno Dominicæ Incarnationis DCCCCVII.
 „ Dux Arpad migravit de hoc sæculo, qui honorifice sepultus est supra ca-
 „ put unius parvi fluminis, qui descendit per alveum lapideum in *Civita-*
 „ „ *tem Attilæ* Regis; ubi etiam post conversionem Hungarorum ædificata
 „ est Ecclesia, quæ vocatur ALBA, sub honore Beatæ MARIÆ Vir-
 „ „ ginis. „ Qui Budam habitant, his lectis, ambigere desinent, quibus
 „ in ruderibus quærenda sit famosissima illa ALBÆ-MARIÆ ædicula.

§. VI.

Sacræ BUDÆ VETERIS ædes.

ELucubrat utcunque Fidei Divinæ (quæ plurimum confert ad veram
 „ cujuslibet urbis, ac Provinciæ felicitatem) BUDAM investæ, pri-
 „ mordis; ejus incrementa percurramus, quæ cæpit jam inde ab Apostolico,

ac

ac Mariano Rege Stephano. Illustrem is, anno MXXII. erexit Basilicam, ac Apostolorum Principibus dedicavit, addito insigni Sacerdotio (Præposituram dicimus) cum numerofo Canoniorum Collegio, magnisque Privilegiis tam ipse, quam Andreas, & Ludovicus, uterque suo nomine Regum nostrorum Primus ditavit. Adjecit Geyfa & ipse I. alteram, Deiparæ Virgini sacram, anno MLXXVI. Ampliavit utramque cultu, divitiis, sacro apparatu Ladislaus iterum I. sanctitate clarissimus, promovente potissimum pia sancti Regis vota Divo Gunthero, ejus cognato, cui a fundamentis isthic Monasterium construxit. Æmulus Primi, Geyfa II. alterum eidem Matri Divinissimæ anno MCLI. construxit Templum; laudatus autem Ludovicus I. suscitatur a S. Stephano Ecclesiæ Apostolicæ magnificentius sacrarium adjecit, vel, quod vero propius est, minitanti ruinam Stephanæo, novum suffecit; amplissimum præterea idem VETERI BUDÆ natus Princeps, Sanctimonialibus Divæ Claræ cum eleganti, labis nesciæ Parentis Fano, anno MCCCXLVI. condidit Monasterium, conferente in opus undique Regium impendia Elifabetha Matre, quæ illic in Capella sacratissimi Corporis Christi suas deponi voluit exuvias; id quod nonnisi post annum MCCCLXXX. accidit, cum tunc adhuc Elifabetham illam in vivis fuisse constet. Illud in medio relinquere cogor: cujusnam pietate assurrexerit Templum Parochiale? quod a Diva Margaretha nominatum fuisse invenio. In eadem VETERIS-BUDÆ plaga paulo supra oppidum, erat S. SPIRITUS XENODOCHIUM, & propinquius alterum, DE SUPERIORIBUS AQUIS appellatum, quod incolebant Rhodii Crucigeri. Superior illorum Rectoris nomine gaudebat; legitur nihilominus solo Literati titulo insignitus fuisse, qui prædictæ hospitali domui, delubroque Præcursori Domini Sacro, præfuit anno MCCCCLXXXIII. Jacobus. Existimat Ladislaus Turoczy e S. J. Hospitalarium ædem stetisse in loco Præposituræ *Felbeviensis*, ubi Canoniorum quoque fuit Collegium; quod Sacerdotium attributum est Tyrnaviensi S. Stephani Regis Seminario anno MDCXXXI. per Pazmanum Cardinalem. Joci loco sit, quod de VETERI BUDA commentatur Nicephorus, dum Hungaricum Ó-BUDA, id est, VETUS-BUDA derivat a gemitu Germanorum, Gothorum, & Herulorum, quod dum eos in Pannoniis duro dominatu præmeret Attila, illi deplorantes interitum Budæ, domini haud paulo mitioris, vociferari consueverint: *O-Ben!* sive *Beda!* aut *Bleda!*

§. VII.

De Academia Budensi.

DOMOS DEI, domicilium excipiat sapientiæ; quod Sigismundus Imperator, & Rex anno MCCCLXXXIX. sane quam regie condidit; Bonifacius vero Papa IX. primo sui Pontificatus anno inductum generale scientiarum Athenæum approbavit, omnibus Privilegiis, ac immunitatibus excoluit, utque hujus Academiæ Cancellarius esset idem, qui Præpositus Ecclesiæ Sanctorum Petri & Pauli, atque ad hanc dignitatem, & Canoniorum subsellia e Doctoribus assummerentur, sanxit; Corvinus denique suoapte genio literatorum fautor maximus, illustribus sapientia viris, undique collectis, ornavit, gratiis cumulavit, libris in immensum auxit. E moderatoribus amplissimi hujus Gymnasii unius duntaxat nomen tenemus, scilicet P. F. Aurelii Brandoletii, Ordinis Eremit. S. Augustini, qui oratoriam facultatem profitebatur anno MCCCCXCIV. Quos alii seu e Præpositis Sanctorum Petri & Pauli, seu e modo laudato S. Augustini Ordine Cancellariorum munere functos esse notant, intelligendi sunt, non tam de Lycæi, quam Archi-Episcopi Strigonienfis Cancellariis scripsisse. Qui enim Henricus Præpositus, Academiæ Cancellis potuit præfici, cum ante illius erectionem facile annis XL. supremum vixerit? Frater deinde Infelarius Brodiz, qui Episcopus quoque fuisse BUDÆ fertur, ac Anselmus Baro de Nolitz, ex eodem Eremitarum Ordine, qui post Infelarium prædictæ Ecclesiæ præfuit annis omnino triginta, minus inter Proceres generalis illius studii censeri possunt; cum Infelarius ducentis propemodum annis ante floruerit (puta nondum exeunte sæculo XIII.) quam illud scientiarum emporium fuerit constitutum. Pronius assentior, opera præstantium horum virorum, Eremiticum S. Augustini Ordinem plurimum per Hungariam fuisse dilatatum. Meminisse Academiæ BUDENSIS hoc loco volui, ne quorundam de ejus loco sententiam penitus respuerem.

§. VIII.

De profanis BUDÆ VETERIS domiciliis.

Splendidissimis ad hæc VETUS-BUDA fulgebat ædibus, Quæstorum e Germania, Polonia, Italia, totoque Oriente confluentium officinis, Procerum Curiis, Regum Palatiis; quorum non paucos isthic habitasse,

aut

aut per vices diversatos fuisse, constat. Certe ipse Regum nostrorum primus, D. Stephanus, dum sacrum Apostolicæ, quam fundavit, Præposituræ fervebat opus, stationem non alibi fixisse; & Geysæ bini cum S. Ladislao, Ludovico I. Sigismundo, & Corvino, Budam, de qua loquimur, in deliciis habuisse, Corvinus insuper Beatrici suæ palatium excitasse leguntur. Postremum istud affirmate dicere non aulam, cum eo duntaxat nitatur argumento, quod antea descriptus Sicambriæ Legionis index lapis erutus sit ex eminentibus pervetustis illius Civitatis rudibus, dum Conjugi construeret ædem ad delicias Corvinus; id quod fieri perinde potuit, & si fors Regiam in hodiernæ Budæ jugo molitus fuisset. Eandem complures litem intentant Lyceo, cujus sedem non oppido Regio VETERIS-BUDÆ, sed in Flumentana Civitate, ubi Promptuarium Regium, five Domus Annonaria visitur, fuisse volunt. Facit ab his tum communis traditio, tum, ne tanto spatio domicilium sapientiæ a celeberrima illa Corvini Bibliotheca sejungamus; tum denique, quod caput est, quia BUDA-VETUS jam inde a Belæ IV. ætate cæpit a Regibus negligi, nova coli.

§. IX.

VETERIS BUDÆ *antiqui Heri, & hodiernus status.*

Quod attinet dominatum BUDÆ-VETERIS, Divus Proto-Rex jus omne illius transfulerat in fundatum ab sese Principum Apostolorum Sacerdotium. At Ludovicus I. anno MCCCLV. majorem ejus partem (decimis, & jure Montano demptis, quæ deinceps quoque integra mansere Capitulo) ademit, plateis aliquot Monasterio Sororum Divæ Claræ attributis, quarum loco æquivalentia in Comitatu Simeghienfi bona Canonicis transcripsit; ut castrum quoque NOVÆ-BUDÆ immune redderet a tributo Marcæ auri, quam annue debebat appendere Regius Castellanus Capitulo, quod in ejus territorio castrum illud fuerit constructum. Reliquam, a juribus Capituli vindicatam VETERIS-BUDÆ portionem, obtinebat Ludovici Mater Elifabetha, dum eam anno MCCCLXXX. ultimis tabulis transfulisset in Nurum, itidem Elifabetham, filii sui Ludovici Conjugem Reginam. Nec officit, quod illo Elifabethæ testamento transcri-

scribatur Nurui: DITIO CASTRI BUDENSIS; nam & VETEREM-BUDAM in modum castri fuisse conformatam, atque adeo primam, quæ inter Civitates Hungariæ libera nuncupata sit, immunitates, ac privilegia obtinuerit, testis est in MS. Historicis Fragmentis summæ vir eruditionis, ac fidei P. Samuel Timon e S. J. Detraxe omnem illam veterem magnificentiam Tartari, ac prædo Asiaticus BUDÆ nostræ; in qua excolenda plurimum ponit operæ hodiernus loci Dominus, Comes Nicolaus Zichy de Vasankö, jamque educito ad omnem elegantiam Castello, præter apparatus reliquum, auro, argenteo cælatis ingentis pretii armis, ac locuplete Bibliotheca (ut est vir eruditionis amantissimus,) instructo, exhibet non pauca, florentissimis Hungariæ sæculis in pretio ponenda. Suppar zelus Paræci in adornanda æde sacra, quam ultra spem omnium triennio non integro ab imo ad fastigium magnifice perduxit. Urgent quoque suum Cænobium, & a minoribus Cellis Marianis nuncupatum Divinæ Matris Templum Trinitarii, ad vitiferorum VETERIS-BUDÆ collium crepidinem; beneficio potissimum laudati Comitum Zichy, aliquot ab hinc annis erigi cœptum.

§. X.

De BUDÆ Regione, quam Neüstiftum dicimus.

Altera BUDÆ Regio, quam Germani *Neüstiftum* vocant, longiore olim intervallo disjungebatur VETERI-BUDA, ac interdum *oppidum SS. Trinitatis*, alias *Felső-beviz*, aut *Felbevez* appellabatur, nunc eidem contiguum est. Præcipua semper illi accedebat laus a multa scaturigine calidarum aquarum, tota Europa celebrium. Pars earum derivatur in conclavia, lavandis hominum corporibus accomodata; pars adfringitur secto de viva petra agere; sub cœlo patente, ac molares impellit rotas. Abundat caldaria, hæc grandis concha, instar vivarii, piscibus, facile Geometricum pedem, postquam adoleverunt, longis, at palato ingratis. Ubi ævo nostro unum stat molendinum, antea stetisse tria perhibentur; quamquam hoc unum tribus illis anteire censu vix dubitem. Visèbatur quondam hoc in oppido Delubrum, Increatæ Triadi dedicatum, præ sua amplitudine

tudine commendabile a fodalitio, DEO trino, ac uni devoto. Corruerat hæc cum BUDA pietas, sed surrexit felicius, in principem Urbis Basilicam, veluti postliminio reducta, per P. Joannem Barna, S. J. Sacerdotem. Humile Odæum potius, quam Templum in BUDÆ Neüstiffensi platea degentem frequentem populum adhuc capiebat; cui sua amplitudine dignam ædem sacram sufficit industria Urbici Magistratus, in DEUM, cœlitesque Religio, provifura, haud dubie, de necessariis & Paræco.

§. XI.

*De sacris ædibus in S. MARGARETHÆ, seu
LEPORUM Insula olim florentibus.*

Objicitur ad folis ortum *Neüstiffensi* BUDENSIUM regioni famigeratissima *Divæ Margarethæ Insula*, *Leporum* etiam nuncupata, Regni Optimatibus, Regibus, ac Divis, per feliciora Hungariæ sæcula, diu habitata; ut non immerito *Dominorum Insula* ab incolis, quemadmodum a magnifico Fano, Divinissimæ Genitrici dicato, *Mariana* vocaretur. Extant etiamnum grandes Basilici operis parietinæ; quibus annexum sacellum *Divæ Margarethæ*, Belæ Regis IV. filiæ nitet infra luxum. Dicaverat se se Margaretha DEO Vesprimii, in Divi Dominici Parthenone, pluresque illic exegerat annos; donec exeunte undecimo sæculi, supra decimum tertii, lustro, pius Genitor, seu a Tartarorum irruptione metuens proli dulcissimæ, sive tam sancti pignoris (jam tunc enim inclarescebat miraculis) diuturniorem absentiam non ferens, Mariana hac in Insula Dominicanis Virginibus Asceterium cum sacra æde posuit, filiæque *Margarethæ* donavit. Cultissima hæc BUDENSIS agri portio distincta erat Palatiis, Regio potissimum, & Archi-Episcopali, primæque, & minoris nobilitatis, ad delicias instructis; cui, pro genio sanctorum illorum temporum, ne deforent viri, DEO devoti, magnis Regum impendiis stetit. Quinque Cænobia in Scriptoribus reperio, quibus *Margarethanam Insulam* ornatam, fuisse testantur, nec obscure rudera produnt. Erant in his duo Dominicanæ Familiæ, virorum alterum, alterum Sanctimonialium, tum Seraphici Patris Minorum, a Bela IV. & ejusdem filio Stephano constructum; Cisterciensium deinceps; demum Præmonstratensium, a Divo Michaële

Arch-Angelo appellata Præpositura ; cujus in Fastis quorundam fit mentio ad annum MCCXLIX. Insignitur ejus titulo R. D. Joan. Spacz, Collegiatae Pofoniensis Ecclesiæ Canonicus.

§. XII.

De Amplitudine, cultu, vico Divi Pauli &c.
INSULÆ MARGARETHANÆ.

Sunt, qui asseverent, Insulam hanc olim multo fuisse amplio-rem, & non modo viciniore Orientem, & Occidentem versus, sed remotiorem quoque illam, multa falice densam, itidem, qua Orientem solem respectat, conjunctam *Margarethæ* fuisse. Quid his reponam de ævo, Æræ Christianæ sæculum XII. antevertente, non invenio ; posteriore autem ætate non multum ultra hodiernam continentem protendi potuisse, argumento est, quod illico, ac cæpit coli deliciosissimus iste locus, coërcitus ab eo sit impetus Danubii vallis juxta, muroque, cujus reliquias ante biennium calcavimus ipsi, dum flumen illud solito amplius detumisset. Porro prævalidi, de quo loquor, muri, superiore sui limite in acutum angulum desinentis fundamenta indicio sunt, Pesthanam duntaxat ripam versus procurrisset aliquando Insulam orgiis facile decem, neutiquam autem attigisset illud aquis interceptum orientale frustum. Quocirca si pagus Divi Pauli, cognomine Paræcia insignis, in *Margarethana* stabat *Insula*, intra eundem ferme, quem nunc videmus, terræ ambitum continebatur. Credi-derim ego, Paulinum vicum stetisse in superiore illa Insula majore, pago *Veteris Bude* vicina, fertili agro etiamnum pollente ; cum ex adverso illa, *Dominorum* comodo duarum horarum circuitu definita, tot Religiosorum Asceteriis, Regia, Palatiis, hortis, ac areis vix aliquid ruris pago reliquum facere potuerit ; glebaque ipsa, potissima sui parte cæmentis confusa, non lutea rusticorum gurgustia, sed Basilicas Procerum ædes dispersas prodat. Occumbente Buda, Ottomanicus furor huc quoque pertinuit ; ut jam aggeribus, Divorum delubris, Asceteriis, Palatiisque dirutis, ruinæ solæ proluciant lacrymas visentium. Nihilominus non ita rudibus, hinc translatorum in cælos hominum venerandæ exuviz obrutæ sunt, quin eis interdum, signis, naturæ vires excedentibus, parentaverit DEUS. Pro-

ditur

ditur namque inter alia, & pia fide creditur, in ruinis Marianæ, quam hoc loco descripsimus, Basilicæ, calentissimis Sanctæ Virginis *Margarethæ* votis sæpius repletæ, multum a Bela, Divæ Patre, frequentatæ, a Fratre autem Stephano V. ac Nepote Ladislao IV. Regibus, ditatæ, anno MDCCX. ipsa Nati Servatoris nocte Angelicum concentum auditum fuisse a Supremi Budæ per id tempus militaris Præfecti pastore. Opulentum hunc fuisse Parthenonem, at subinde attenuatum inde conjicio, quod forense tributum, præter alia, BUDENSIS CASTRI, post incurfiones Tartaricas ei contulerit Bela IV. cujus in idem Asceterium luculentus favor enituit, dum jus Patronatus Ecclesiæ gloriosæ Virginis MARIÆ, in CASTRO BUDENSI constructæ e voto, anno MCCLXIX. concepto, eidem contulit. Charitum hæc sacra sedes (*Insulam* intelligo *Margarethæ*) in villæ redacta formam obnoxia est juribus Divæ Claræ Sororum, Budensi in Cænobio velatarum, ut infra memorabo.

§. XIII.

De REGIONARIA VIA, BUDÆ Platea.

Quarta Metropolis nostræ Regio a Danubio Occidentem versus porrecta, VIA REGIONARIA, sive PUBLICA, Germanis *Land-Strasse* dicitur. Orientali suo limite subjicitur Josephæo Monti; cui communis populi pietas, cum primis vero fodalitii, morienti Servatori devoti, ac Societatis JESU in eundem Ducem suum amor, aliquot facella construi fecit; quorum præcipuus usus est in publicis comprecationibus, ac sextis verni jejunii feriis. Dervisio cuidam (suos hoc nomine Monachos Turcæ indignant) isthic, barbaris rerum potiuntibus, sepulto, mons Josephæus consecratus erat; hinc structura sua Turcam architectum hodieque prodit princeps fanum, jam Divi Christi Nutritii honoribus transcriptum. Duo præterea, in hac, qua planior est, Urbis nostræ platea visuntur Tempa: alterum Hospitali adjunctum, alterum a Cænobitis S. Augustini, a Larga Manica cognominatis, ædificatum. An positus modernus Religiosæ Domus Augustinianæ, respondeat claustro Sancti Stephani Proto-Martyris, quod Eremitæ S. Augustini anno MDV. & prioribus obtinebant? arduum est definire, divinare non libet. Dirimitur hæc Urbis Regio a Civitate

Flumentana muro, a pede BUDENSIS Montis ad alveum Danubii protenso, vetustiore illo, quam ad morandum hostem comparato.

§. XIV.

De sacris ædibus FLUMENTANÆ Civitatis BUDENSIS.

Civitas, quam paulo ante attigi, a præterlabente Europæorum præcipuo flumine, Danubio *Aquatica*, sive *Flumentana* nuncupatur, ædificiis non inelegantibus, balneis, mercatu, bene morato populo, eoque duntaxat veræ Religioni addicto frequens. Continetur ejus ambitu numerosus Franciscanorum Regularis Observantiæ Conventus, generali studio memorabilis, & spatiosum a Capucio dictorum ejusdem Seraphici Patriarchæ Filiorum cænobium; ædicula item trium e S. J. Sacerdotum, qui populum sacris functionibus, vicaria Academici Rectoris potestate procurant. Surgit ab an- nis aliquot pone Religiosam hanc domum Templum Paræciale, BUDENSI majestate dignum, sub patrocinio Divæ Annæ, quam hæredem scripsit, qui Budenses Divinis mysteriis initio sæculi hujus Curionis vice imbuebat R. D. Thomas Raspaány. Translata sunt alterius retro anni mense Julio, ipsa adeo Annæis honoribus sacra luce in sacrarium hujus, grandis olim futuri, templi, divina. Ingressi stationem suam sunt Capucini anno sæculi superioris LXXXVII. Monasterio, Templo, hortisque donati a Georg. Széchénio; Observantes autem anno potissimum MDCXCIX. beneficentia Leopoldi Imperatoris; Jesuitæ demum, nonnisi postquam populus SUB-CASTRO BUDENSI (hoc enim FLUMENTANÆ BUDENSIS Civitatis vetustius nomen est) multiplicari occæpisset, puta primum anno MDCCXXIII. Priores his omnibus SUB-CASTRUM BUDENSE incolebant recens tunc collecti, anno nimirum MCCCLXXIII. Carmeli Fratres, quos calceatus pes ab aliis distinguit; quanquam de vico, quem occuparint, controvertatur. In medio perinde manet, ubi steterit Ecclesia NOVÆ PRÆPOSITURÆ, cum aliquot Canonorum ædibus, a Felhevi- zienli diversa? Nam etsi vicinam fuisse CASTRO BUDENSI, fatis explo- ratum sit; nihilominus ejus positum alii supra Regias Balneas, alii paulo in- fra collocant. P. Timon in MS. existimat, congruisse amplæ illi solitariæ

Do-

Domui, quæ obijcitur Jofophinæ Jefuitarum villæ; quo nonnulli rejiciunt celebre illud, de quo in VETERI BUDA mentionem fecimus, Rhodiorum S. Spiritus Hospitale. Ita defloruere grandia Regiæ Magnificentiæ monumenta, ad quæ videnda remotiorum etiam Regionum populi confluebant.

§. XV.

Reliqua AQUATICÆ CIVITATIS
memorabilia.

Divorum Fanis duo profana jungantur domicilia; alterum Promptuarii Regii sane ampliffimi, & condendæ annonæ, integris exercitibus fufecturæ, paris, in quod converfam effe Academicam Aulam, opinio est. Adhæret amplæ huic ædi turris aquaria, infigni artificio aquam superiori Urbi ministrans. Altera domus, memoratu digna, est officinæ fuforiæ ad dicta. Facile primas hæc obtinet in univerfis Auftriacorum ditionibus; cupræft ab annis bene multis vir humaniffimus, in quo parandi cujuslibet formæ machinas bellicas certat felicitas cum peritia. Pone hanc officinam prætenditur vastus, ac præaltus murus operis antiqui ab Arcis mœniis per declivem montem ad ipfum Danubii alveum pertingens, Auftralis limes-*Aquaticæ Civitatis*; quam erronee quidam fcribunt cinctam mœniis, cum nec ex parte montis, nec, qua Danubio alluitur, ulla munitione firmetur. Centum inde ferme paffibus, fecundo anne, divellitur rotundum propugnaculum, a magnanimo Imperatore, ac Rege Sigismundo pro defenfione Pontis lapidei conftructum. Objiciuntur illi rudera, Pefthanæ ripæ, impofitum auguftæ molis principium, testantia; mors interceffit, ne fupparem Trajano Regem haberet Hungaria, & ponte jungeretur Peftho Buda. Ex eodem propugnaculo fecretiorem fuiffe afcenfum ad celebratiffimam illam Corvini Bibliothecam (de qua redibit mentio, dum in BUDENSE jugum eluctabimur) non ambigo; hodie dum enim ejus veftigia leguntur.

§. XVI.

De TABANO, *Balneis, ac longitudine* BUDÆ.

SExtam BUDÆ Regionem abfolvunt fat numerosa, fed ordine fere neglecto, Rafcianorum tuguria, ad radicem, ac per latus Gerardini montis fparfa. Mifcentur Rafciis (quorum nonnulli Romana colunt facra, alii

Græcæ adhærent fidei, & utrique suos habent Curiones, ac Templum) aliarum quoque nationum incolæ; plurimam partem mercenarii. Ad loci hujus commendationem faciunt duplices thermæ, purulentis præsertim pustulis medentes; multa stupenda legere passim est de Balneis BUDENSIBUS apud Scriptores; quorum ætate, ut non diffitear, ea obtinuisse; at nostra non item. Subjectas Arci BUDENSI Regias non novimus, & illæ, quæ tertiam Regionem hujus nostræ partitionis, a quarta dirimunt, Regiæque vocantur, prope dimidiæ horæ spatio a castro semotæ, non ita calent, ut usui esse nequeant, nisi temperentur. Ova quibusdam Scaturiginibus immissa, brevi moræ spatio elixari, deplumari altilia, boum pedes, ac sues depilari, asseverant experti. Ad inferiorum TABANI (venit hoc nomine præfens pars BUDÆ) limitem erumpentes, lutulentæ sunt, maximamque limus earum, etiam alio translatus, vim medendi habet. Claudunt illæ BUDENSEM Civitatem; quam si, ut longa est, percurrere quis nitatur via rectissima, expeditos ad cursum equos identidem ad accelerandum cursum urgere debet, ut horæ spatio ad extimum VETERIS BUDÆ marginem pertingat.

§. XVII.

De Monte GERARDI & occasione Martyrii, quo Sanctus ille isthic affectus est.

MONS, cujus per arduo lateri, qua a meridie Arx despicitur, luteas Rafcianorum ædes adhærere ajebam, a sancto GERARDO, Claudiensi Antistite, isthic Martyrio sanctissimam vitam claudente, nomen accepit. Præbuit occasionem nefario plebis, quin Optimatum quoque ausui Andreæ hoc nomine I. Hungariæ Regis indulgentia admodum præpostera. Narrat hæc Ludovic. Du-Mefnil Tomo IV. Doctrinæ, & Disciplinæ Eccles. lib. XLIV. culpam nec in unum Andream, nec duntaxat in plebem conferens, in hunc modum: „ Proceres Petrum Regem suum, quia „ Germanos ad primas dignitates promovebat, expellunt, & Ovonem „ (*nostrî Scriptores Abam vocant,*) qui S. Henricum Affinitate continge- „ bat (*babebat enim in matrimonio Saroltbam, Divi Stephani Proto-Regis* „ *Sororem,*) Regem sibi constituunt. Sed brevi perfidiæ pœnas dedere.

„ Ovo

„ Ovo Consilii sui primarios interfecit ; deinde ad Moriffenam (*Csanadiensem, Morisso, seu Marusio anni adsitam*) sedem, cui præerat S. Gerardus Episcopus, Paschalia festa celebraturus, advenit. Usus tunc obtinebat, ut Reges in præcipuis solennitatibus Diadema Regium ab Episcopis acciperent. GERARDUS Ovonis capiti illud imponere noluit. Itaque ab aliis Episcopis coronatus, die Paschatis Ecclesiam ingreditur. Tunc GERARDUS stola candida indutus, pulpitem ascendit, & Regem latine per interpretem sic alloquitur : Quadragesimam, Rex, cum cædibus pollueris, mihique nomen Patris eripueris, nullam hodie veniam mereris. Et quia pro Christo mori paratus sum, quæ tibi sunt eventura, pronuntiabo. Anno tertio Regni tui, in te gladius ultionis excitabitur, qui tibi Regnum, improba fraude acquisitum, & vitam pariter auferet. Prædictionis veritatem comprobavit eventus. Henricus Germaniæ Rex, Petrum restituit, qui Ovonem captum capite mulctavit. Pergit post multa interjecta citatus auctor : „ Populus a Regni Proceribus concitatus, a Petro Rege deficit, Andreamque, ab Henrico Imperatore ejectum, revocat, eique Regnum, & auxilium adversus Petrum ea conditione promittit, ut a Christiana Religione, deficeret, Diisque gentiliū immolare concederet. Populi voluntati obsequens ad gentiliū ritus redire permisit. Isti statim Petrum captum excæcant, in Ecclesias irruunt, usque spoliatis, & incensis, Clericos, & Monachos diris supplicii afficiunt, & necant. In eadem seditione anno MXLVII. Martyrio coronatus est S. GERARDUS Episcop. cum aliis pluribus Episcopis. Tres duntaxat Episcopi furori huic subducti esse scribuntur. S. GERARDUS futurorum, Divina revelatione, præcius, ipso gloriosi sui obitus die Missam fecit, adhærentemque sibi Christianorum multitudinem pane fortium in Ecclesia S. Sabinæ, in plaga Albenfi sita, ad agonem communit. Ut propius BUDAM constitit, a circumfusa gentiliū multitudine lapidibus appetitus, solo se signo Crucis muniebat, ac pro lapidantibus DEUM exorans, una cum curru subvertitur, aut verius per abruptos montis, de suo vocandi nomine, scopulos agitur in præceps. „ Fructus GERARDIANARUM precum fuerit, feria Andree Regis ad DEUM conversio. Is enim, rebus, ex animi sententia compositis, cavit edicto, nequid deinceps per Hungariam possent profani ritus.

§. XVIII.

§. XVIII.

Rara quædam de Templo S. GERARDI.

IN Laureati Præfulis memoriam erectum quondam Templum erat, sancto ejus nomini, eo loco in montis apice dicatum, ex quo præcipitatus est. Quis ejus fabricæ auctor fuerit? nusquam reperio. Sæpe mihi laudatus Ladislaus Turoczius opinatur: Fanum illud, Andreæ Regis pœnitentiæ monumentum esse. Qui secus sentiunt, non prodi ruderibus opus Regium, contendunt. Id equidem verum esse, nec ego diffiteor; at una novi, non omnem, quam Reges educunt, molem Basilicam esse. Floruit hæc sacra ædes, sententia mea, ad fatalem usque toti Hungariæ Mohacsiensem cladem, cum Ecclesiæ S. GERARDI Martyris, & Episcopi, in BUDÆ suburbiis celebratæ, non solum Pius Papa II. faciat mentionem in sua Bulla anno MCCCCLXIV. edita, sed etiam Istvanfius Lib. VIII. Histor. ubi occasum Corogianæ Gentis in Petro juvene, ad Mohacsiem cæso, sic exponit: „ Præter alios e peculiari Regis famulatio juvenes - - occubuit - - „ Petrus ille Corogius, admirabili, & stupendo, planeque ferreo, natu- „ ræ, ac omnia conficientis stomachi robore memorabilis; qui poscente „ Rege juvene, mures vivos, præcisas felium caudas, & abjecta in plateis „ canum cadavera, tetra sanie, & tabo, vermibusque scatentia, absque „ horrore, atque ulla gulæ contumelia mandere, ac conficere erat solitus. „ Et hæc barbaries effera primum esto Divinæ Justitiæ, sanguinem innocuum, in sexti admodum sæculi nepote, vindicantis argumentum. Alterum ita describit citatus Historiographus: „ In eo (Petro) vetusta Nobilium „ Corogiorum progenies defecit; qui olim Andreæ Regis, ejus nominis „ primi, tempore, dum Pannonii Religionem Christianam posthabuissent, „ Divo GERARDO ut crudelem, sic impiam necem intulisse memora- „ bantur, ejusque rei argumento fuisse, posteros illorum, in sacellum „ ejusdem Divi memoriæ, in colle, Urbi BUDENSI opposito, ædifica- „ tum, sponte, aut secus ingressos, continere se nequaquam potuisse, „ quin, soluta repente alvo, fœde contaminarentur; Regemque juvenem „ non sine multorum risu, simul & admiratione in hoc Petro ejus rei ex- „ perimentum, factò sæpius periculo, sumpsisse. „ Nempe nec in posteris inultum abire finit sanguinem Sanctorum DEUS. GERARDINA

hæc

hæc Ecclesia, quemadmodum & alia Principis Apostolorum (sed cujus ve-
rudera nequicquam quæras) sub Bonifacio Papa IX. exempta Parochialis,
atque adeo in ipsis BUDÆ suburbiis scribitur stetisse. Qui nam istud?
assequi non est arduum. Si enim ætate nostra, post tot barbarorum vasta-
tiones, semper absente Principe, ad dimidium fere GERARDINI montis
assurrexere domicilia; non est, qui eat inficias, stante prima BUDEN-
SIUM fortuna, hunc ipsum montem, quam late patet, nitidis ædificiis
refertum fuisse. Sed jam ad ipsum Metropolis nostræ caput, superiorem,
inquam, Urbem, eique contiguam arcem, utramque edito impositam jugo,
accedamus.

§. XIX.

Descriptio florentis BUDÆ superioris, sive NOVÆ.

Illustre illud, de quo in VETERIS BUDÆ descriptione differuimus,
Sanctis Petro, & Paulo Apostolis, a sancto Rege Stephano dicatum
honestissimorum Sacerdotum Collegium, suo cum Præposito, annum cir-
citer MC. privatis suis potius, quam communibus populi usibus constru-
xerat ædem, & in morem castri, ut ea ferebat ætas, probe communivit,
BUDENSI, quem describere aggredimur, in MONTE. Itasse huc vi-
ros illos honoratissimos, animi causa, suas hic abdidiße, quas habebant
amplissimas, opes, lego. Tartaricis ab irruptionibus summa loco accre-
vit fama. Nam cum populatores illi ad vim inferendam castellis, in eubo-
sitis, imparati, congestis isthuc plurimorum gazis rapaces inferre manus
nequivissent; Regem ipsum Belam IV. incessit desiderium, inter alia, quæ
tam ipse montibus imposuit, quam ab optimatibus bona sua gratia construi
passus est munimenta, BUDENSE quoque CASTRUM, pro publi-
ca Regni salute, amplius firmandi. Quia vero MONS hic, cum adja-
cente circum agro, jam inde a temporibus Divi Stephani in ditionem magni
illius Sacerdotii concesserat; etiam postquam increvit ædificiis, ac populis
(qui CIVES DE NOVO MONTE PESTHIENSI dicebantur, seque
scribebant) præpositus Civitati huic NOVI MONTIS PESTHINENSIS
Castellanus Regius, primis Castri conditoribus pendebat nomine Regis
quotannis puri auri marcam, id est, pondus æquans aureos sex & triginta;
donec anno MCCCLV. per Ludovicum Regem I. positus est limes BUDÆ

VETERI; ejus autem Præposito, & Canonicorum Collegio assignata est æquivalens ditio in Provincia Simeghienfi. Tenuibus a principiis eo processit gloriæ, ut princeps esset urbium, montibus impostarum, necquidquam addi possêt, seu ad positum, naturæ artificio scitissime efformatum, seu ad salubritatem aëris, seu ad majestatem ædium, opum amplitudinem, & quamlibet felicitatem. Spectabantur hic rariora artium Mágisteria, naturæ miracula, ingeniorum portenta; opes Hispaniæ, artificia Galliæ, majestas Germaniæ, cultus Italiæ, sapientia Græciæ, pietas Hungariæ. Tesfelata calcabantur pavimenta; quies in subselliis, somnus in spondis capiebatur argenteis; nihil Pygmalion atriis, nihil hortis Dædalus, nihil conclavibus Apelles addidisset. Palatia quædam gazophylaciis, alia spectaculis, nonnulla Plasticis, Encausticis, Latomicisque elegantissimis eminebant. Quid? quod cælum ipsum BUDAM detractum videri poterat, intra cujus mœnia, Lunæ labores, deliquia Solis, errores Planetarum, animalia Zodiaci, firmarum sedes stellarum in unius conclavis tabulato, quodam velut firmamento, visabantur. Arx tota tam apte digesta, tam ad omnem concinnitatem exculta erat, ut Olaho insignis pictura universum opus apparet; nisi quod tam Pictoriæ, quam Plasticæ, & Latomiæ artificia quadantenus vitam spirarent. Singula distinctius juverit attigisse. Mons petrosus (nisi dicere malis scopulum, triplicibus, invicem imminentibus, scrobibus suffosum) cui BUDA infidet, arduo undique clivo surrigitur, quibusdam locis etiam abruptus, vertice sat plano, præterquam, quod ubi veluti cor urbis est, lenius affurgat, arx contra paulisper deprimatur. Protenditur a Septentrionali plaga meridiem versus longitudine Geometricorum pedum facile mille, ac centum; latus eisdem, nonnullis locis centum & viginti, aliis pauciores; subjacet latitudinis gradui 47. cum min. 25. longitudinis 43. cum minutis 23. Roma divellitur Germanicis milliariis 137. Vienna Austriæ 35. Constantinopoli 133.

§. XX.

*Status Civitatis BUDENSIS, Bela IV. Rege,
& ab ejus obitu.*

IN muniendo, ac ædificiis implendo opportunissimo hoc jugo ortum versus, amplius CCC. Geometricos pedes alto, ad meridiem paulo pauciores, Bela Rex IV. alter ille Fundator, ac Pater Hungariæ, triennali Tartaro-

tarorum vastatione everſæ, per ipſum priſtino decori reſtitutæ, poſtremos aliquot vitæ annos impendit. Hæſit ſubinde ſopuſ Regium, ſolique cives fere ſæculo Belæ cæpta provehebant. Inclareſcebat tamen haud modice locus, magnique fiebat non ab exteris modo gentibus, iſthuc concurrentibus, ſed domeſticis quoque Regibus, etſi alibi ſedem figentibus; quando novis in dies, potiſſimum e Germania deductis coloniis, jamque tunc quandam urbis ſpeciem præferentibus, Gubernatorem præficiabant, Comitibus prærogativa illuſtrem. Præerat hoc nomine CASTRO BUDENſI Walterus anno MCCLXVIII. Vernerius autem ejuſdem ſæculi anno quinto ſupra nonageſimum. Optimates tamen Hungari veterem præ nova colebant BUDAM, donec in hanc Regia transferretur. At plebs Hungara, minorque Nobilitas, peregrinarum gentium contubernium adeo non abhorrebat, ut connubia mutuo jungerent, alternum Reipublicæ gubernium tenerent, etſi jus ſemper diceretur populo lege Patria, & auctoritate Judex Conſuli præſtaret. Indicium hujus rei faciunt editæ communi Senatus nomine literæ, in quarum fronte legebatur: *Nos Judex, Magiſter Civium, Juratique Novi Montis Peſthinenſis*; quin imo interdum nec fiebat mentio Magiſtri Civium. Ultimus, aut certe penultimus judicum, hac prærogativa gaudentium, erat Petrus Nagy, qui dignitatem hanc ſuſtinebat circa annum MDXXIV. Excidium enim BUDÆ, Mohacienſem cladem conſecutum, & diuturnum barbari jugum, quo preſſa eſt, inter majores, hanc etiam modicam converſionem fecit. Idcirco non eſt, cur his porro immoremur, præſertim dum amicior fortuna BUDÆ nos ad ſe vocat.

§. XXI.

BUDÆ fortuna Ludovico I. & Alberto Regibus.

Ludovicus I. Caroli Genitoris, tota cum ſtirpe Regia, in ſuburbiiſ Viſſegradenſibus, a Feliciano ad necem quæſiti anno MCCCXXVII. ac exactis inde tribus luſtris naturæ quoque concedentis, caſibus motus, Regiam Viſſegradenſem odiſſe cæpit, BUDAM præhabuit, arcem Palatiiſ inſtruxit, primus Regum incolatu ſuo nobilitavit. Exemplum Ludovici ſecuti ſunt Succellores, ad Auſtriacos uſque, quorum & Ferdinãndus I. tam anno MDXXVIII., quam ſequente (quemadmodum ſubſcripta Diplomata fidem faciunt) & Albertus iſthic diverſabantur. Habet id de Alberto

Laurentius Beyerlinck, Archi-Presbyter Antverpiensis, in Theatro vitæ humanæ Tom. I. lit. B. editionis Lugdunensis anni MDCLVI. pag. 106. sed nescio, quo jure, e præpostero, quod refertur, facinore cordatus aliquis seu cultissimam Germanorum Nationem criminandi occasionem arripere, queat, seu feritatem, a placidissimo Hungariæ climate ingenerari hominibus, perperam suspicetur, quasi vel paucorum facinus ad universæ gentis mores pertineat, vel sævities, aut lenitas elementa, non animos afficiat. Porro sic ad verbum Laurentius ille : „ Mortuo Sigismundo Imperatore, „ Hungariæ Rege, secundum Alberti Austriaci coronationem (quæ incidit in ipsas Kal. Januarias anni MCCCCXXXVIII.) sæva BUDÆ seditio orta est. Nam quum Civitas ex Hungaricâ, Alemannicaque gente constaret, ob morum dissimilitudinem, contrariaque studia, gravibus inter se factionibus laborabat. Hinc inter eos antiqua conditio fuit, ut uno ex Alemannia, & Hungaria Prætorem Urbanum altero anno crearent, quem judicem appellant. Rata ac firma inter eos fuit ista consuetudo, quæ sacræ Sanctionis loco habebatur. Alemanni, quando arte, urbanitate, opibus, & calliditate plus poterant, sæpe infensam sibi gentem Prætura privare studuerant. Nacti itaque Alemannum Regem de abroganda gentis Prætura consilia ineunt. Erat in Urbe Civis, Hungarorum Princeps, Joannes Euthves (*Ötves*) dictus, Vir gravissimus, qui nec publice, nec privatim suæ nationis dignitatem quoquo modo lædi patiebatur. Hunc igitur sub prætextu criminis Germani cæperunt, & in suis ædibus variis cruciatibus enectum, culeoque infutum, alligato gutturi lapide, in Danubium clam demerferunt. Octo circiter dies facinus tale delituit; mox cadaver emerfit, ac ripis ab undis expositum, clandestinum scelus indicavit, cum plurima vulnera, & stigmata circumferret. Id ab Alemannis vulgus factum esse, repente conjecit, cum his olim infensum nimis esse, cognoverat. Eo tempore novi Regis gratia multum Nobilitatis Hungariæ BUDAM forte confluxerat. Deprehenso facinore, tumultus in Urbe ab Hungaris excitatur, atque ingens mox oborta seditio. Hungari Teutones in domibus obsident, expugnant, nulli sexui, nulli ætati parcunt. Albertus Rex, uti populum sedaret, Jacobum Marchianum Minoritam (inquit Æneas Sylv. at Fulg. Lib. IX. Cap. VII. Joannem Capistranum habet) ablegat, cum ipse furori populi

„ sc

„ se credere non auderet. Jacobus Simulacrum Servatoris crucifixi manu
 „ gestans, furenti, armatoque populo obviam factus, ut cædi parcant,
 „ supplex orat. Illi verba ejus minime intelligentes (neque enim tempus
 „ ferebat interpretem) boni ominis loco Christum suis cæptis Ducem ha-
 „ bituri, sublimem Jacobum, simulque crucifixum in ulnis attollunt, ac
 „ bacchati per Urbem, nunc istam, nunc illam domum compilant. Fiunt
 „ tamen aliquanto minora spolia, & a cædibus temperatum est ob præsen-
 „ tiam Jacobi, modo precibus, modo lacrymis furorem incensæ plebis le-
 „ nire conantis. Æneas Sylvius Cap. I. Europæ. Bonfin. L. IV. Decad. III.
 „ Fulg. LIX. Cap. VII. „ Non absimilia cum in omni gente, vel inter
 Germanos, patrata esse nemo non norit; quantum hinc ad sugillandum
 accedat momenti, satis apparet. Pacem amicam colunt, quotquot BU-
 DAM nationes infident; ut unam diceres, nisi vestis, & lingua plures esse
 proderet. Sed nos ad lætiora.

§. XXII.

*Quædam BUDÆ digna memoratu, rerum potien-
 bus Sigismundo, Ladislao posthumo, ac
 Wladislao I.*

Ludovicum legitime in throno, ac ornanda BUDA excepit Sigismun-
 dus. Is, præter dignum Imperatoria Majestæte arcis cultum, ac hor-
 torum delicias, insignem in Foro S. Georgii, Divo cognomini suo Basili-
 cam ædificavit, ac pingui Sacerdotio ditavit; cujus titulo decoratur R. D.
 Antonius Mader Militaris Ordinis Crucigerorum de Rubea Stella, Hospi-
 talis Posoniensis ad S. Martinum, & S. Leopoldum Commendator, Præpo-
 situs S. Sigismundi BUDÆ, & beneficiatus Soproniensis. Eminent pul-
 cherrimæ quondam molis ingentia rudera, quibus male materiata adhæret
 ædicula sacra, nec merito respondens sancti Regis Martyris, nec dignitat
 tanti Fundatoris. Augustum fuisse hoc Sigismundi opus adhuc anno XIV.
 sæculi supra decimum sexti, inde conjicio, quod Thomas Cardinalis, Ar-
 chi-Episcop. Strigoniensis, ex omnibus Templis BUDENSIBUS unum hoc
 delegerit, in quo facta re divina, Georgio Dosæ, famoso illi Siculo, vexil-
 lum album, cum prægrandi purpurea Cruce, ad hoc Romæ præparata,

ut signum esset indicti pro recuperanda Palestina belli facri, tradidit, alteramque Crucem, perinde purpuream, sed minorem, Siculi paludamento afflui fecit, atque hoc indicio Cruce signatorum copiis, in immensum crescentibus, Præfectum declaravit. Abusus est dignitate sua Georgius, armaque in Patriam vertit, ut suo loco annotabitur. Memorabile Forum hoc S. Georgii est indigna cæde præstantissimi Juvenis Ladislai Corvini, Mathiæ germani; qui cum provocatus, antiquum hostem, ac æmulum Corviniæ domus, Ulricum Ciliæ Comitem, peremisset, oblitterata per vindictæ cupiditatem immortalium Joannis Corvini, Ladislai Genitoris, meritorum memoria, violatis adeo promissis, quæ Rex firmarat Sacramento, quinto carnificis ictu peremptus est; postquam accepto tertio assurrexisset, & Superum, hominumque fidem contestatus fuisset. Sed implacabilior erat æmulum, Garæ Palatini præsertim, fitis Corviniæ sanguinis, quam ut restingi vel inaudita illa feritate posset. Mitiora edidit BUDÆ spectacula Wladislaus, e Polonia ad Hungariæ gubernia accitus. Ferarum is vivaria, cæteraque id genus Regum oblectamenta instruxit; utque pietatis suæ nobile relinqueret exemplum, posteaquam de Turca, e Bulgaria profligato, egit triumphum anno MCCCCXLIII. cui potissimum insignem illam victoriam in acceptis referret, factò prodidit, nudis pedibus e Regia ad Ecclesiam gloriosæ Matris Virginis concedens, ut ibi propitio Numini grates referret. Ejusdem Regis largitate erecta erat Alba-Regalensis Porta, cui, Turca rerum potiunte, coacti sunt propugnaculum adjicere Judæi, ob notam infidelitatis. Perstitit hujus rei memoria, Turcicis literis signata, ad annum usque sæculi nostri XXIII. quo porta illa vitium fecit, ob turrim pulverariam tanta vi, Resurgentis Domini die, incenso nitrato pulvere succussam, vix ut persisteret integra Pesthini fornax, aut fenestra, vix ulla portæ valva, quæ non fuisset reclusa. Non remissiores cæteri Reges Hungariæ, ad suos quisque amores, BUDÆ testandos, sive munienda esset a Zapolyio, sive de barbara servitute vindicanda a M. Leopoldo, sive armamentariis, ac novi operis instruenda propugnaculis a Carolo, sub annum sæculi nostri XV. sive abiret in orbis compendium, Rege Corvino.

§. XXIII.

§. XXIII.

*Quatuor magnificentiæ monumenta a Corvino
Rege BUDÆ illata.*

GLoriosissimus iste Regum nostrorum quatuor potissimum sua magnitudine dignis charissimam sibi sedem, BUDAM, illustravit monumentis: Palatio longe splendidissimo; Librorum conditorio nulli in orbe terrarum secundo; Templo Mariano; ac marmoreo Præcurforis Domini Odæo. Domus Regia vulgatiores est, quam ut verbum addi debeat. Basilicam Marianam, in Castro BUDENSI primam, quamque unam fecit reliquam furor Ottomanicus, non immerito referre mihi videor ad Mathiam Fundatorem. Nam etsi jam anno MCCLXIX. sub Bela IV. cæptam constructui non dubitem; quia tamen potentissimus Rex Corvinus ædis hujus turri, tornatis ad sæculi sui genium, faxis decoræ (quanquam hoc cultu jam mulctata est) meridiem versus anno MCCCLXXV. gentilitia sua arma inferi passus est, laborque totus artificem ævo Belæ posteriorem prodit; novum opus Belano suffectum autumo. Si formam, & amplitudinem e sæcto ad regulam faxo constructæ molis spectes, paucæ Hungaricarum illi præstant. Duodenis majestatem spirat columnis, quarum singulæ diversam ab aliis exhibent figuram, totidem (ut est credibile) Apostolorum honoribus consecratæ. Basibus his, a summo ad ima fundamenta cavis, sic incumbunt laquearia, ut deflui imbres, per eos veluti canales, citra fabricæ vitium, decurrere possent. Regium undique opus a NOVÆ BUDÆ, & suis cunabulis, exemptis subditur Curionibus. Obtulit hac in æde sacra, Mahometana superstitione, DEO maximo sacrificium Solymanus anno MDXXVI. ac subinde eandem in præcipuum bellicæ supellectilis conditorium commutavit. Redibit adhuc augustæ illius molis mentio, dum ereptam Turcæ BUDAM describemus.

§. XXIV.

De Corviniana Bibliotheca.

Tertium Corvinianæ magnificentiæ monumentum fuit bipartita Bibliotheca, omnium Scriptorum calamis laudata. Medium ejus occupabat dives pretio, arte mirabilis ædicula, Dominico Præcurfori dedicata.

Quod

Quod in hac visebatur vilissimum, nec illud Patrium marmor erat. Hydralica organa, & sacer fons duplex; alter argento, conchas imitante nitidus, arte pretiosior alter, marmore vario cælatus. Obibat Regio hoc in Odæo Divina, illustrium aliquot Sacerdotum Collegium, suo cum Præposito; cujus unius vacuum (uti arbitror) redditibus dignitatem gerit R. D. Aloysius Ferdinand. Matz de Spiegelfeldt, Metropolitanæ Viennensis Ecclesiæ Canonicus. Qua patebat sacram hanc in ædem aditus, teste in MS. Nicolao Olaho, Strigonienfi Metropolita, stabant concamerata duo domicilia, exterius Græcis, aliisque per Orientem conquisitis voluminibus referta; interius Latinis, omnes humanas, Divinasque scientias complexis. Nihil isto thesauro præstantius, nihil eruditis optabilius, nihil magnificentia Regia dignius. Sui erant singulis libris foruli, sua vela serica, auro, argenteove distincta, suæ thecæ, ac involucra, non pretiosis duntaxat metallis, sed rarioribus etiam lapillis ornata. Numerum nullusdum iniit; tantum autem fuisse, ut nusquam alibi, versatus in omnibus Italiæ Bibliothecis refert Alexander Braccianus. Plurimum huc Regum se se exhausit cura; at palmam tulit ex omnibus Mathias ille; qui dum viveret, ingenti sumptu quaternos alebat Florentiæ librarios, tricenos alibi dispersos, scribendi peritos; quorum manu exararentur, quot quot Græci, Latini, aliarumque gentium libri haberentur. Mohaciensis ille occasus Hungariæ istam quoque incomparabilem artium Officinam in ruinam traxit; pro cujus reliquiis, Byzantium prima deprædatione non translatis, auctor est P. Timon, Cardinalem Pazmanum obtulisse ducenta Imperialium Nummum millia; quam luculentam summam dum alii ad tricena millia florenorum contrahunt, de posteriore licitatione loquuntur. Neutra oblatione Vir literatissimus quicquam profecit; direptus ille thesaurus est, & quod non perdit barbarus, pessumdedit miles Christianus, abrafisque externis ornamentis, auro, argento, gemmis, pretium, quod ignoravit, pervarias Provincias dispersit. Lambecius Augustalis Bibliothecæ Viennensis Præfectus Lib. II. Cap. IX. queritur, non sine merito animi sensu, se, dum voluntate Leopoldi Cæsaris BU-DAM anno MDCLXVI. ad redimendas Corviniani hujus gazophylacii reliquias venisset, in crypta quadam, tanquam Cyclopico in antro nonnifiter, summum quater centum libros e tanto thesauro reperisse, sparsim in terra jacentes, situ pulverulento, & squallore coopertos, ad ipsum Tur-

carum

carum ruborem; ex quibus tria duntaxat MS. volumina, Viennam transferenda existimarit, puta: Sermones Apologeticos S. Gregorii Nazianzeni; sermones S. Augustini de verbis Domini; & Miscellanea Jani Pannonii, sive Joannis Vitézii, Quinque-Ecclesiensis Episcopi, Poëmata. Percommode inæstimabili huic damno accinit illud Virgilianum supra laudatus Basificanus: *Quis, talia fando, temperet a lacrymis?* Reapse enim hac in jactura insanabilior accessit plaga rei literariæ, quam e direptis per eam occasionem totius Regni gazis, rei nummariæ. Sed nos a non profecturis questibus calamum avocemus ad reliqua BUDÆ ornamenta.

§. XXV.

De sacris ædibus, quibus BUDENSE CASTRUM prioribus sæculis ornabatur.

PRæter jam adumbratam gloriosæ Virginis Matris Basilicam, erat altera, Divæ Magdalenæ Patrocinio insignita. Locus ejus maximum efficit BUDÆ forum. Exemptum & illa habebat Paræcum, videturque Hungaricæ Nationis pietati addicta fuisse, cum Hungari opifices hoc in Templo designata habuerint Altaria. Tot annorum lapsu evanuit memoria cæterorum; solos Arcularios invenio prope Sacrificiam (Templi Vestiarium hoc nomine vulgo dicimus) ad aram Sancti Petri Divina obire mysteria solitos fuisse. Cujus conditoris ære affurrexerit, altum perinde silentium; ac everforem fuisse Turcam, non est, cur ambigam. Qui rudera æquabant solo, ac in profanas ædes redigebant, diris devotos reperio; &, nisi fallor, sepulchralia quædam saxa, humilioribus casis, ad Occidentalem Urbis murum compactis, inserta, indicium faciunt, quo reliqua etiam ædis hujus materies fuerit, bona, haud dubie, fide, translata. Felicius erat delubrum Sancto Joanni Evangelistæ cum Regio Minorum Conventu ante annum MCCLXX. a Bela IV. excitatum, quod nulla barbaries penitus abolevit. Incolitur post receptam per Leopoldum M. BUDAM a Reformatis Seraphici Patris filiis non paucis; nec perinde Ecclesia sui Patroni titulum Joannis Evangel. sicut Joannæa Civitatis ab hoc Fano denominata porta priorem nomenclaturam, Viennensi commutavit. In modo memorati Templi vicinia, primis illis nascentis, ac florentis BUDÆ sæculis erat Theatrum

S. Georgii Martyris, nec ambigo sacram quoque ædem Divi hujus illic stetit. Eximit omnem dubitationem literarium duplex documentum, Tabulario Metropolitanæ Strigoniensis insertum; quorum altero testatum redditur: anno primum MCCCXC. Primatem ejus temporis commutasse domum, quam habebat in CASTRO BUDENSI prope S. Georg. Milit. & Martyr. altero, quod anno MCCCCXXXV. Georgius, Strigoniensis Archi-Episcopus in vicinia Domus Archi-Episcopalis, & alterius Domus Curie Henrici, Quinque-Ecclesiensis Episcopi, prope S. Georgium Domum emerit pro Archi-Episcopatu. Addere liceat tertium exemplar literarum, anno MDIV. editarum, quo docetur: Per Thomam Cardinalem exemptam esse Domum, Archi-Episcopali vicinam, in Theatro S. Georgii, prope portam S. Joannis. Quærentem Fanum sanctissimi Martyris Georgii incesit suspicio, constitisse aliquando ad luculenta, & veterem Majestatem ostendentia rudera, quibus civiæ pubis adhæret ludus, quæque Corvinianæ Bibliothecæ reliquias vulgus esse retur. Exploratus illud: Ordinem Prædicatorum eam obtinuisse Divi Nicolai Ecclesiam, cujus vegrandis turris, ac parietinæ lucem adimunt Boreali Tractui Academici S. J. Collegii. Cænobium Religiosæ illius Familie tam laxum adjacebat jam anno MCCLIV. ut congregatos ex toto Ordine ad Comitata Generalia Patres caperet; quorum suffragiis Supremum Magistratum adeptus est Umbertus, Natione Burgundus.

§. XXVI.

Descriptio hodiernæ BUDÆ.

Libet nunc hodiernæ faciem BUDÆ, multum a florente diversam, adumbrare. Initio sæculi, quod vivimus, eminebant adhuc ruinæ quædam Corviniani illius Sacelli, Sancto Joanni Baptistæ dedicati, cujus, officinæ fusoriæ imminentis, positum prodebant fenestræ, Danubio obversæ, ubi Palatium Regium habebat in conspectu pensiles hortos. At quam protensum fuerit Corvinianum Palatium, non injuria orbis miraculis accensendum, quam se se procul Urbem versus porrexerit? in obscuro est. Nova, quam dicimus Regia, ut opere, ita situ prioribus non respondet. Rudus illud, subter quod carcer est, Regiæ partem fuisse, opinari suadet structura.

ctura. Arcem ipsam ad propylæum usque armamentarii protensam fuisse, nullo indicio evincitur, quin & situs ipse, & prævalidus ille murus, arcem ab Urbe superiore dirimens, semper fuisse videtur limes arcis. Grandis catena, quæ duplici serie annulorum occidentali aspectui armamentarii obijcitur, erepta est Rakoczianis, claudere volentibus Danubium, ac in triumpho illata BUDAM anno MDCCVI. illa vero cariosa arbor, quæ non procul inde visitur, tolerari perhibetur in memoriam Andreæ Ramocfaházy, quod is primus assultu captæ BUDÆ Christiana signa intulerit, ac ad animandos commilitones, in supremo propugnaculo plantaverit; verum a multitudine barbarorum obrutus, captus, atque ad hanc usque arborem, ex qua suspendendus erat, perductus fuerit; præfenti tamen neci ab accurrentibus nostris ereptus. Forum S. Georgii, de quo supra, præter Sigismundianæ Basilicæ rudera, humilemque Divi ædiculam, a meridie clauditur insigni armamentario, ex quo prope sexcentæ bellicæ machinæ, atque illæ quidem omnes æneæ, præfente bello educi poterant, quin defectus observetur; ab occasu vero, ac septentrione, privatorum civium, ædem sancti Regis Martyris circumstant domicilia; ab ortu denique, Præfidiario militi adornatum, & huic contiguum Patrum de Carmelo cum Asceterio Templum. Debent utrumque favori civium, & gratiis Leopoldi Augusti, per quem anno MDCLXXXVIII. Civitate, Templo, & Cænobio sunt donati. Hæc inter patentior illa, extremo supplicio, afficiendis militibus deservit. Cor urbis eminet, coronaturque magnifico Sanctissimæ Trinitatis simulacro. Pone hoc ad meridiem fons saluberrimus, toti BUDÆ ministrans præstantem aquam, a S. Ignatio de Loyola nomen habet; fors, quod de magni illius Patriarchæ filii unus grandi hoc beneficio BUDAM sancto suo Parenti obstrinxerit. Tam laudatissimo huic fonti, quam Divinissimæ Trinitatis statuæ ad occasum est civica Curia, in qua publicæ pietati quotidie patet facellum, honoribus S. Joannis Eleemosynarii consecratum, in cuius vestiario, ingens sacrorum cymeliorum thesaurus delitescit, dicamne, quod res est? etiam computrescit.

§. XXVII.

*De Principe Urbis Templo, Academico S. J. Collegio,
Cleri Seminario, ac Nobilium Convictu.*

PRæcipuum decus hujus vici Urbis nostræ est posita ad orientalem aspectum gloriose in Cœlos Assumptæ Deiparæ Basilica, quotidianis, hebdomadariis, mensuris, annuis, verbo : omnibus religionibus, ac pietatis officiis plenissima. Habet eam, una cum universæ BUDÆ, ejusque suburbiorum Paræciis Regio Leopoldi Magni munere in perpetuum transcriptam JESU Societas, cujus domicilium, septentrionale Basilicæ hujus latus stipat, meridionale vero Convictus Studiosæ Juventutis, & sub eodem tecto junioris Cleri Seminarium ; quæ omnia tria ad publicam utilitatem non mediocriter conferentia contubernia, profusâ largitas Georgii Széchénii anno MDCXCII. erexit, ac dotavit. Accessit ad hæc anno superiore Musarum commodo grande, solidum, ac elegans Athenæum, squallidissimis gurgustiiis suffectum magnanima Reçtoris Academici providentia. Rebus omnibus tam instructum est, nihil ut ad nitorem, nihil desideres ad commoditatem. Aula cum primis sese effert Academica, ab eleganti penicillo, plastice, & æque ludentium in scena Musarum, ac spectatorum commodo multum commendabilis. Classibus singulis attributæ sunt suæ sedes ; quibus perinjurius sim, si ullas Hungaricarum componam. Frons elegantis fabricæ, obversâ meridianæ Urbis regioni, decoris plurimum concurrentibus præcipuis quatuor vicis affundit, sequentem, duabus in tabulis, simulacri Divinæ Sapientiæ Matris pedibus affusam, Divorum autem Ignatii de Loyola, summi Palladiæ Juventutis Patroni, ac Magni Philosophi Francisci Xaverii statuis lapideis stipatam, exhibens epigraphen :

ACADEMIA SZÉCHÉNIANA SOCIETATIS JESU.	PRINCIPI.
DEO.	REIPUBLICÆ. UTRIVSQUE.
BONORUM. OMNIUM.	BONO.
FONTI.	FORMANDÆ NIMIRUM.
VIRGINI.	BONIS.
ÆTERNÆ. SAPIENTIÆ.	MORIBUS. ARTIBUS.
MATRI.	SCIENTIIS.
RELIQUIS. DIVIS.	SACRÆ. AC. PROFANÆ.
SCIENTIARUM.	JUVENTUTI.
PRÆSIDIBUS.	

Clau-

Claudamus Caput hoc gratæ partu Minervæ, erectæ molis annum,
& Auctoris nomen posteris locuturo.

reVerenDo patri franCisCo XaVerIo xVniCsIo, bVDensIs
CoLLegII soCietatIs IesV reCtorI.

* * *

InnatVs patrIæ IVVentVtIs aMor In granDe hoC athenæI opVs
sVffeCIt eXpensas.

§. XXVIII.

D I P L O M A

LEOPOLDI M. Imper. & Hungariæ Regis, quo Patribus S. J.
confertur Paræcia BUDENSIS, vicus Török-Bálint, &c. ac Széchénianæ
Fundationes Academici Collegii, Clericorum Seminarii, & Laicæ
Juventutis Convictus confirmantur.

„ **L** EOPOLDUS Divina favente Clementia Electus Romanorum
„ Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ,
„ Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ,
„ Cumanæ, Bulgariæque &c. Rex, Archi-Dux Austriæ, Dux Burgundiæ,
„ Brabantæ, Styriæ, Carinthiæ, Marchio Moraviæ, Dux Luxemburgiæ,
„ ac Superioris Sylefiæ, Wirtembergæ, & Tneckæ, Princeps Sueviæ, Co-
„ mes Haubspurgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi, & Goritiæ, Landtgravius
„ Alfatæ, Marchio Sacri Romani Imperii super Onasum Burgoviæ, ac Su-
„ perioris, & Inferioris Lufaciæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus
„ Naonis, & Salinarum &c. memoriæ commendamus tenore præsentium
„ significantes, quibus expedit, universis.

„ Placuit Divinæ Bonitati eam armis nostris cælitus impertiri bene-
„ dictionem, ut non solum ferocissimos immanissimi hostis Turcarum Im-
„ peratoris insultus (quibus præter vastas vicinæ nobis Hungariæ regiones,
„ ipsum quoque Inferioris Austriæ Archi-Ducatum ferro, flamma, & ulti-
„ mo propemodum excidio devastaverat, ipsamque Provinciarum Nostra-
„ rum Metropolim Viennam arctissima novem hebdomadarum obsidione
„ cinctam ad extrema deduxerat) eo Duce feliciter represserimus; verum
„ etiam continuatis in plures annos Victoriis, tota eum Hungaria & adja-

„ cente Slavonia exuerimus, innumerosque populos, durissimo Maho-
 „ metis jugo subtractos, Clementissimo Ecclesiæ, nostroque Dominio an-
 „ nexuerimus. Cum autem Principibus, quos hujusmodi favoribus cæ-
 „ lum beat, gravissima incumbat obligatio, populos, & nationes recens iis
 „ subjectas, in pietatis officiis, Divinoque Cultu firmandi, & Sanctissi-
 „ mam Religionem Catholicam ubique terrarum, ipsis Divina beneficen-
 „ tia concessarum, tuendi, latiusque pro virili propagandi; Nobis post
 „ exterminatam utroque Regno impuri Mahometis barbariem, nihil anti-
 „ quius fuit, quam ut de opportuno provideremus remedio, quo vel
 „ omnino profligata, & integri plus quam sæculi exilio mulctata veræ Fidei
 „ claritas quasi postliminio reduceretur; vel corrupti longa cum impiis
 „ conversatione populi mores in melius converterentur, eosque in id opus
 „ Viros accerferemus, qui compositis ad Christianam perfectionem mori-
 „ bus, & exemplis, conformibusque ad veritatem Evangelicam doctrinis
 „ populos viam cæli edocerent. Quo virtutis beneficio cæteros inter Reli-
 „ giosorum Ordines singulari Numinis dono eminere dilectam nobis Socie-
 „ tatem JESU, longo plurium lustrorum intervallo Universæ a spurcissimis
 „ Lutheri, Hussii, & aliorum erroribus ad purissimam Orthodoxæ Fidei
 „ veritatem revocatæ Regnorum nostrorum Provinciæ feliciter sunt exper-
 „ tæ. Ipsa certe tot bellorum turbinibus concussa, tot malevolorum, no-
 „ bisque infensorum Principum sollicitationibus agitata, quod in jurata no-
 „ bis fide hæctenus perstiterit, singularibus eorum studiis, & indefessis cu-
 „ ris, magnam partem debet, & agnoscit Hungaria. Unde non immerito
 „ Augustissimi, & Serenissimi Majores nostri Cæsares, & Archi-
 „ Duces, vel deflectentibus a vero Numinis obsequio reducendis, vel alienis a veri-
 „ tate ad ejus sacra deducendis, vel in jurata ipsis Superis, DEOque Fide
 „ continendis populis nullum præsentius censuere medium, quam ut in
 „ quavis Provinciarum suarum Metropoli, aliisque Urbibus publica eidem
 „ SOCIETATI JESU Athenæa, vel Collegia tanquam munitissimas Sa-
 „ cræ Religionis tuendæ Arces, & conservandæ morum, Christianis digno-
 „ rum, honestati sacraria fundarent, erigerent, dotarent. Noster Augu-
 „ stissimæ memoriæ Attavus FERDINANDUS Primus Viennæ in
 „ Austria, Pragæque in Bohemia: Proavus noster Serenissimus Archi-
 „ Dux CAROLUS Græcii in Styria: Avus noster gloriosissimæ recor-
 „ „ datio-

„ dationis FERDINANDUS Secundus, Lincii in Austria Superiore,
 „ Clangenfurti in Carinthia, Labaci in Carniolia, Goritiæ in Foro-Julio:
 „ & pientissimi nominis Parens FERDINANDUS Tertius, Wratislaviæ
 „ in Sylefia celebra eisdem Partibus Collegia fundavere; magno expo-
 „ sitos salutis discrimini suarum Provinciarum populos arbitrati, nisi in qua-
 „ vis earum Metropoli similibus eos vallarent munimentis. Nos, non in-
 „ ferioribus in populorum nostrorum salutem, salvificæ fidei propagatio-
 „ nem, & ejusdem Societatis JESU promotionem amoris ignibus incitatos,
 „ pariaque in recepta Hungariæ, & subditorum ipsi Regnorum Metropoli
 „ BUDA, beneficentiæ monumenta meditantes, sollicitus nobis olim sin-
 „ cere dilecti Reverendissimi in Christo Patris Domini GEORGII SZÉ-
 „ CHÉNY, Archi-Præfulis Strigoniensis piæ recordationis in Patriam
 „ suam zelus antevertit, dum sæpius laudatæ JESU Societati Academicum
 „ ibidem non humanioribus duntaxat, sed & Liberalioribus Philosophiæ,
 „ ac Sacrioribus Theologiæ disciplinis tradendis Collegium fundavit hoc
 „ tenore:

NOS GEORGIUS SZÉCHÉNY, Miseratione Divina Ecclesiæ Me-
 tropolitanæ Strigoniensis Archi-Episcopus, locique, & Comitatus
 ejusdem Supremus, ac Perpetuus Comes, Primas Hungariæ, Legatus Na-
 tus, Summus & Secretarius Cancellarius, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Ma-
 jestatis Intimus Confiliarius &c. Memoriam commendamus tenore præsen-
 tium, significantes, quibus expedit, universis; Quod posteaquam singu-
 lari Divina Clementia annum ætatis octuagesimum quartum attigissemus,
 multasque Regni Hungariæ revolutiones ac pericula tam publica, quam
 personæ Nostræ experti fuissimus, eam tamen felicitatem, quam Antecesso-
 res nostri suspirabant (ut post centum & quadraginta quinque captivi-
 tatis Turcicæ annos olim gloriosâ Urbs Regni Hungariæ Metropolis BUDA
 pietate singulari, & armis Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis LEO-
 POLDI PRIMI devicta Turcarum immani potentia, dextera DOMINI,
 & Divina virtute expugnata, ac Christianitati reddita in triumpho coram
 præfata Majestate, gratiarumque Sanctissimæ Trinitati actione in Urbe
 Viennensi, totoque Christianitatis flore publica in processione pontificare-
 mus) nobis Divina Bonitas largiri dignata fuisset. Et quia Genitor noster
 pro defensione Christianitatis in Præsidio Széchényensi semper fidelis militiæ

Offi-

Officialis commorando sæpius sanguinem fudisset, imo & gloriose occubisset, ipsa vero Genitrix Nostra in vicinia orta, BUDAM incoluisset, eaque per Turcicam Tyrannidem occupata, exulare coacta, me filium, ut quod Tyrannis & impia hæresis destruxit, pro DEO & Patria restaurarem, talem genuisset. Ex eo, DEO ita inspirante, sponte & libere, maturaque deliberatione Societati JESU, quæ plurimum in Regno Hungariæ, ac zelo se in cura animarum, & proximorum, Fideique Catholicæ propagatione, & indefessa contra hæreses defensione laboraret, & quæ me in virtute, & scientia divina, & humana fideliter erudiisset, in ipsa Urbe BUDENSI Academicum, & Universitatis Collegium, ex nostris propriis bonis, & super oppidum *Néfider* vocatum, ac in Comitatu Molsóniensi situatum, pecuniis centum millium florenorum juxta literas passionales, & obligatorias comparatum, cassatis, & annullatis quibuscunque aliis nostris donationibus, inscriptionibusque, quæ forte in contrarium produci, ultima hac nostra voluntate, irrevocabilique determinatione cum universis quocunque vocis titulo vocitatis appertinentiis, & fundis, ac proventibus, nec non tribus domibus nobilitaribus, ibidem habitis, omne jus nostrum in Reverendissimum Patrem Thyrsum Gonsalez, Generalem Præpositum Societatis JESU, & successores ejusdem transferendo, nullum jus, nullamque juris proprietatem nobis, vel Legatariis nostris in futurum in præfata bona, dictamque summam in iisdem hærentem reservando, fundatam esse volumus, imo fundamus, ad mentem etiam testamentariæ, ejusque ultimæ dispositionis nostræ; ita ut præfatus Reverendissimus Pater Generalis, juxta pium, & sanctum Societatis institutum, Academicum Collegium declaret, ratificetque, ac pro futura memoria, nostra Insignia apponantur, in eoque pro vinea DOMINI tam Ecclesiasticæ, quam sæculares, pro Regni Apostolici muniis aptæ personæ erudiantur, instituanturque; sperantes ipsam sacram Societatem in piis sacrificiis, ac precibus animæ nostræ memoriam futuram, ipsamque Divinam misericordiam hoc exile holocaustum gratanter accepturam. Interim autem, dum ea bona præ manibus habemus, & habebimus, non intermitteremus Collegium illud Academicum expensis nostris, tam ex his bonis, quam aliunde habitis ædificare. Hoc quoque per expressum intermittere, quin insinuemus, noluimus, nec potuimus; quod si successu temporum (quod DEUS avertere dignetur) BUDA iterum

recu-

recuperaretur a Christiani nominis hostibus; in Montanas Civitates, maxime Novifolium, vel ad commodum locum transferatur, & nullo modo Fundatio hæc intereat; atque in hoc fidelem nos executionem confidimus a Reverendissimo Patre Generali. In cujus rei fidem, robur, ac firmitatem, has Privilegiales, ac Fundationales propriæ manus nostræ subscriptione, Sigilli Nostri usuali impressione munitas damus, & consignamus. Datum in Curia nostra Archi-Episcopali Posoniensi die decima nona Martii Sancto Josepho Sponso B. VIRGINIS, CHRISTI Nutritio sacra, feria quarta post Dominicam *Judica* Anno Domini millesimo, sexcentesimo octuagesimo septimo, BUDÆ receptæ primo, Archi-Episcopatus Nostri secundo.

(L.S.) GEORGIUS SZÉCHÉNY,
ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIENSIS.

„ Neque hic liberalitas ejus conquievit, sed ut plagæ illi recenter e
„ Barbarorum manibus ereptæ, novellæque ibi Christi Ecclesiæ de idoneis
„ animarum Pastoribus provideret, Clericorum Alumnorum Seminarium
„ erexit in hunc modum :

NOS GEORGIUS SZÉCHÉNY, Miseratione Divina Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis Archi-Episcopus, Locique & Comitatus ejusdem Supremus, ac Perpetuus Comes, Primas Hungariæ, Legatus Natus, Summus, & Secretarius Cancellarius; Sacræ, Cæsareæ, Regiæque Majestatis Intimus Consiliarius &c. Memoriam commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit, universis. Quod nos multum coram DEO considerantes, qualiter afflictissimum per Turcas, & plurimas hæreses Regnum Hungariæ, ipseque Clerus in florem, & statum pristinum profligato immanissimo Turca, ac respirante Ecclesiastica potestate, & auctoritate, quæ ab hæresi, statuque Politico plurimum imminuta, reduci, stabiliri que possit. Illud DEO inspirante piæ memoriæ PETRI PAZMANI Cardinalis, & Antecessoris Nostri singulare exemplum secuti, cum & nos in Collegio Pazmaniano e primis Alumnis fuerimus, ibique vitæ Clericalis normam hauserimus, adinvenimus, ut unum Collegium Alumnorum Clericorum BUDENSI Universitati Societatis JESU a nobis fundatæ applicatum, in ipsa BUDENSI Urbe fundemus, constituamusque, ut sub cura ejusdem Societatis JESU, & administratione juxta ejusdem sanctum Institutum, ordinationesque Superiorum semper permaneat, & eadem statuta

habeat, in omnibus, quæ Collegium Pazmanianum Viennæ fundatum, habere dignoscitur; prout sponte, ac libere, maturaque deliberatione fundamus, ac Bona nostra *Közlegiensia*, in Comitatu Sopronienfi, & Castris Ferrei habita, quæ propriis nostris pecuniis comparavimus, & exolvimus, juxta diversas Faffiones, & Obligatorias, super iisdem Bonis emanatas, in octuaginta millibus florenorum, a nobis possessa, ut ea, quæ a DEO accepimus, non carni, & sanguini, sed DEO, & Altari ejus, Ecclesiæque, consecremus, cum universis appertinentiis, quocunque vocis titulo vocitatis, universisque proventibus, & obventionibus, sicut Nos percepissemus, damus, donamus, irrevocabiliter, nullum jus nobis amplius in ea Bona reservando, cassatis, & annullatis, quibuscunque contrariis donationibus, aut inscriptionibus, hac ultima nostra voluntate conferimus sequentibus sub conditionibus. *Primo*: Ut juvenes bonæ vitæ, & bonorum morum, ac indolis, Patriæ hujus Filii, honestorumque Parentum juxta selectum Rectoris Academici, & approbationem ad Collegium, & Alumnatum recipiantur. *Secundo*: Absoluto Novitiatu teneantur juramentum in manibus Rectoris Academici deponere, quod velint triennio in partibus, Turcæ subjectis, si quæ tales adhuc forent, ac in illis, ubi major Ecclesiæ necessitas fuerit, laborare, mutua cum Archi-Episcopo, & Vicario Strigonienfi semper correspondentia habita, ipsi Archi-Episcopo Strigonienfi, ubi Presbyteratum acceperint, vel præfato ejusdem Vicario præsentandi, & tradendi, per eumque etiam pro aliis Diœcesibus, si in Strigonienfi tanta necessitas non fuerit, deputandi; sintque obligati, neque possint in alias Diœceses, etiam triennio absoluto, sine præscitu, & dimissorialibus Vicariorum, aut Prælatorum transire. *Tertio*: Vestitus sit honestus Clericalis, tunica quidem ex panno violaceo, pallium autem ex materia coloris ejusdem. *Quarto*: Victus sit trium ferculorum communium, & potus unius mediæ Viennensis, juxta ordinationem Superiorum, & Reverendi Patris Regentis, & pro temporum diversitate. *Quinto*: Quovis anno in fine studiorum examinentur, & juxta calculos examinerum in studiis, approbationemque Rectoris Academici, & Regentis Collegii promoveantur, & applicentur. *Sexto*: Quod si vero casu aliqui refractarii, murmuratores, & inobedientes Superioribus fuerint, severe puniantur, correctioque illorum adhibeatur ad normam Collegii Pazmaniani. Quod si vero Collegio

exi-

exire, juramentoque sese accommodare nollent, teneantur expensas, in illos factas, refundere, aut severiorem pœnam subire, ne disciplina Collegii dissolvatur, *siantque inutiles in eisdem expensâ. *Septimo*: Regulas consuetas Alumnorum, & a Superioribus ordinatas in omnibus servant, ac juxta examina consueta recipiantur; in omnibus denique suis subsint Superioribus, eorumque Institutiones, nutum, & voluntatem sequantur. Atque hanc nostram foundationem, & voluntatem Reverendissimo Patri Thyrsio Gonzalez, Societatis JESU Præposito Generali, ejusque Successoribus præsentatam volumus; sicut & Admodum Reverendo Patri Provinciali, ac Reverendo P. Rectori Academico; in eo instantes, ne proventus foundationis in alios usus, quocunque sub prætextu convertantur, aut dilapidentur, & tot personæ, quot pro temporum, rerumque caristia ali possint, conscientiosè a Reverendo Patre Provinciali, ut omnia rite, & bene administrantur, de more Societatis diligenter visitentur, ne panis Christi, & proventus inutiliter consumantur. Ipsi vero Alumni pro nobis, & anima nostra quavis die DEUM exorare, juxta Superiorum præscriptionem, sint obligati, & ubi Presbyteri facti fuerint, primum sacrum, non impeditum, pro refrigerio animæ nostræ, ac demum quovis anno unum sacrum offerre teneantur; ipsum vero Collegium in exemplum Successorum, ac Regni Hungariæ Fundatorum (ut quæ ex Altari, & a DEO fuerint, eidem restituantur, cum nulla sit in posteritatibus, & sanguine benedictio) Széchénianum denominetur, nostraque insignia Collegio Alumnatus apponantur. Etsi forte (quod DEUS avertere velit) injuria temporum, & malitia hominum ipsa Societas JESU in Bonis hujus Foundationis Nostræ impeteretur; obnixè testor, & rogo eorum constitutum Archi-Episcopum Strigoniensem, ac Successorem, ipso vero vacante, Venerabile Capitulum Ecclesiæ Nostræ Strigonienfis, ut in jure per nos resignato, & tradito Societatem JESU tueri velint, sintque, commune bonum Cleri spectantes, obligati. Interim autem, dum ea Bona præ manibus habemus, & habebimus, non intermitteremus Collegium illud Alumnorum expensis Nostris, tam ex his Bonis, quam aliunde habitis, ædificare; hoc quoque per expressum appposito, quod si successu temporis (quod DEUS prorsus avertere dignetur) iterum reoccuparetur a Christiani nominis hostibus, in Montanas Civitates, maxime Neofolium vel alium commodum locum transferatur, &

nullo modo Fundatio hæc intereat. Et in hoc fideli confidimus executioni Reverendissimi Patris Generalis ; humillime Divinæ Bonitati supplicantes, ut hanc nostram oblationem clementer acceptare, & Fundationem protegere, & pro gloria sua, Ecclesiæ Catholicæ augmento, & Regni Hungariæ utilitate conservare dignetur. In cujus rei fidem, robur, ac firmitatem hæc Privilegiales, & Fundationales, propriæ manus nostræ subscriptione, Sigillique Nostri usualis impressione munitas, dedimus, & consignavimus. Datum in Curia nostra Archi-Episcopali Pofoniensi die 19. Martii S. Josepho Sponso B. Virginis, Nutritio Christi sacra, feria quarta post diem Dominicam Judica, Anno Domini 1687. BUDÆ receptæ primo, Archi-Episcopatus vero nostri secundo.

(L. S.)

GEORGIUS SZÉCHÉNY,
ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIENSIS.

„ Utrique huic Collegio vir ingenti laude & memoria dignissimus „ (utpote qui rara munificentia ultra sèsq̄i alterum millionem in pias causas impendissè est compertus) pro egentioris fortunæ juvenibus, pie in „ stituendis, fundationem adjecit in hæc verba :

NOS GEORGIUS SZÉCHÉNY Misératione Divina Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis Archi-Episcopus, Locique, & Comitatus ejusdem Supremus, ac Perpetuus Comes, Primas Hungariæ, Legatus natus, summus, & Secretarius Cancellarius, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Majestatis Intimus Consiliarius &c. Memoriam commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit, universis : Quod nos magno nostro gaudio, totiusque Christianitatis solatio, post tot annorum crudelem captivitatem, gloriosam Regni Hungariæ Civitatem, & Regiam, & totius Nobilitatis Residentiam BUDAM, ita DEO miserante, & adjuvante expugnatam, & Christianitati restitutam viderimus. Quia vero per hæresim pestilentem, ac tot bellorum vicissitudinibus, tam Nobilitas, quam populus Hungariæ nimium depauperatus, & fere ad extrema redactus esset, ut Ecclesia DEI, & Fides Catholica per teneram juventutem succrescat, & augeatur, ac in fide orthodoxa bene erudita conservetur, & ad obsequia Regni etiam status sæcularis qualificatæ personæ instruantur. Ita nobis Divina Misericordia inspirante, siquidem BUDÆ Academicum Collegium, & Alumnatum fundassemus, ut ibidem Convictum quoque pro juventute sæculari fundemus.

mus. Et quia Religiosi Patres Societatis JESU tam in pietate, quam in literis (prout ipsi experti sumus) optime in Scholis suis juventutem soleant erudire; Ex eo hunc nostrum Convictum Reverendissimo P. Thyro Gonzalez, Societatis JESU Præposito Generali, ejusdemque successoribus, ac per eosdem Provinciali, & Rectori Academico BUDENSI, tam in spirituali, quam temporali administratione, juxta Societatis institutum, & ordinationes pleno jure subjicimus, & matura nostra deliberatione, oppidum nostrum Nyulas, Germanice Joifz, quod in Comitatu Mosonienfi situm, & pecunia nostra, vigore Fassionum & Obligatoriarum triginta millibus florenorum comparatum esset, pro fundatione damus; nullum jus, nullamque juris potestatem nobis, & Legatariis nostris reservando, & cassatis annullatisque universis, si quæ ultimæ voluntati nostræ contrariæ Faffiones, & Inscriptiones extarent, cum universis apertinentiis, juribus, & observationibus quibusvis conferimus in perpetuum, sub sequentibus conditionibus. *Primo* quidem: Ut selecta e Nationalibus, & nonnisi ex solo Patrio juvenus, & pro Convictu apta, tam nobilis, quam civilis, & plebeja, quæ in literis, & virtutibus proficeret, cum delectu recipiatur, sitque maximus eorum præ aliis respectus, qui Nobiles depauperati, & ad fidem Catholicam conversi, a Parentibus rejecti essent, talesque, si omnino essent, & ejecti, etiam vestitu pro posse adjuventur. *Secundo*: Ut regulis, & disciplinæ, Convictibus consuetæ, ordinationibus Superiorum in omnibus subsint, & inhabiles, ac refractarii per Rectorem Collegii admiffi, per eundem dimittantur. *Tertio*: Cibus, & potus pro temporum, & cariffiæ varietate, juxta consuetudinem aliorum Convictuum dentur. *Quarto*: Memores educationis, & beneficii Ecclesiastici; neque contra DEI Ecclesiam, Fidem Catholicam, & statum Ecclesiasticum agent; quin eundem defendent, & promovebunt; pro anima vero nostra juxta ordinationem superiorum, certas preces, quavis die absoluturi. *Quinto*: Liberum erit quemque statum, bene, & mature coram DEO, & consilio Patrum spiritualium præmeditatum amplecti. *Postremo* illud rogo, atque obtestor Admodum Reverendum Patrem Provinciale, Reverendos Patres Rectores, & futuros Convictus hujus Regentes, ut quam solertissime invigilent, ne quidquam dissipetur, & abalienetur, vel in alios usus convertatur, contra piam nostram intentionem; quo de fine de laudabili Societa-

tis more, Convictus hic quot annis ab Admodum Reverendo Patre Provinciali visitetur, & siquæ corrigenda occurrerint sive in moralibus, sive in æconomicis, serio corrigantur. Quod si autem fortassis temporum injuria, aut malevolorum persecutione Societas in administratione hujus Convictus quoquo modo turbaretur, protectionem necessariam committimus, proque eadem rogamus, Successori nostro Archi-Episcopo Strigonensi, ejus vero sede vacante, Venerabili Capitulo Ecclesiæ jam fatæ Strigoniensis, ita ut per hujusmodi assistentiam imperturbata maneat Societas. Demisse supplico Divinæ Bonitati, ut hanc meam piam, & devotam voluntatem misericordi oculo respicere dignetur, hancque foundationem, bono publico perutilem, tueri, & protegere. Interim autem dum ea Bona præ manibus habemus, & habebimus, non intermitteremus Convictum illum expensis nostris, tam ex his Bonis, quam aliunde habitis ædificare. Hoc quoque per expressum intermittere, quin insinuemus, noluimus, nec potuimus, quod si successu temporis (quod DEUS avertere dignetur) BUDA iterum recuperaretur a Christiani nominis hostibus, in Montanas Civitates, maxime Neosolium, vel ad commodum transferatur, & nullo modo Fundatio hæc intereat: & in hoc fidelem confidimus executionem a Reverendissimo P. Generali. In cujus rei fidem, robur, ac firmitatem has Privilegiales, & Fundationales, propriæ manus nostræ subscriptione, sigillique nostri usualis impressione munitas damus, & consignamus. Actum in Curia nostra Archi-Episcopali Pofoniensi die 19. Martii, Anno Dom. 1687.

(L.S.)

GEORGIUS SZÉCHÉNY,
ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIENSIS.

„ Quas ternas fundationales literas, modo prævio de verbo ad verbum præinfertis, in omnibus, & singulis earum capitulis, clausulis, punctis, & articulis confirmamus, illisque perpetuum & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui forsân in iis quocunque modo intervenissent, supplemus. Ea propter, quæ præterdictam Foundationem, ab eodem Reverendissimo Patre in Christo Domino GEORGIO SZÉCHÉNY factam, interea eidem Foundationi aut pretio, aut dono aut etiam nostra collatione accesserunt, ut sunt spatia in Urbe BUDA pro Collegio, Academia, Clericorum Seminario, & Juvenum Convictu designata, & actu possessa:

„ Item

„ Item possessio Torbalii, seu Török-Bálinth dicta, hortus suburbanus,
 „ cum colle Josephino, in quo augendæ fidelium pietati erectus visitu-
 „ Mons Calvariæ, uti & agri, sæneta, vineæ, prout hæc in libro fundi
 „ BUDENSI annotata reperiuntur, confirmamus, & quantum opus est,
 „ novæ donationis titulo, in supradictæ Foundationis augmentum, dicto
 „ Collegio conferimus, applicamus, incorporamus, & a decimarum præ-
 „ statione eximimus, & libertamus, atque in ordine eorum omnium pa-
 „ cificam possessionem non modo consensum nostrum, sed & totum, ac
 „ omne jus nostrum Regium, si quod in illis nostram aliqua ratione con-
 „ cerneret Majestatem, attribuimus, nihil juris, nullamque juris proprie-
 „ tatem Nobis, aut Successoribus nostris reservantes. Privilegium præte-
 „ rea, vinum ex harum vinearum cultura procreatum, absque ulla gabela
 „ in urbem invehendi, uti etiam, quod eorum usui necessarium non esset,
 „ pretio distrahendi, benignissime addimus, & conferimus. Quia vero
 „ dicta Societas JESU non solum literis, ac scientiis teneras adolescentiæ
 „ mentes imbuit; sed & pari, potiorique studio in populo Divini Numinis
 „ cultum promovet, per varias sancti sui Instituti functiones, adultorum
 „ animis DEI timorem, & amorem inserit, vitiaque per sacramentorum
 „ administrationem ex eorum cordibus arcet, prouti etiam non modo sub
 „ actuali BUDÆ obsidione, cum aperto suorum vitæ discrimine, copiis
 „ nostris adstipit; sed & statim ab ejus receptione jam in annum tertium
 „ supra decimum, Parochiam ibidem administrando, inter frequentia gra-
 „ vissimorum morborum, & epidemicæ luis pericula, inter quotidianas,
 „ qua civibus, qua militibus, aliisque impensas noctium vigiliis, & sex-
 „ centa nimis quam ardua erga proximum exercitiæ charitatis discrimina,
 „ cum plurimum e suis non subditorum modo, sed & Superiorum nimis la-
 „ boribus, & ærumnis oppressorum, vitæ jactura, indefesse semper hæcte-
 „ nus cum summa omnium incolarum, ac etiam vicinorum non modo sa-
 „ tisfactione, sed & laude præstitit, uti & imposterum præstituram licet
 „ confidere. Idcirco nos amplius majoris DEI gloriæ augmentum, ac
 „ Catholicæ Fidei, quam solam in ea Urbe vigere cupimus, incrementum,
 „ præ oculis habentes, & memoratorum Patrum Societatis JESU in Civi-
 „ tatem BUDENSEM tot annorum merita quadantenus remunerari (ve-
 „ ra enim magna nimis eorum merces erit DEUS) majoresque ad amplio-

„ ra semper agenda stimulos addere volentes, motu proprio, animoque
 „ bene deliberato, maturo consilio, accedente etiam Fidelium nostrorum
 „ Reverendissimorum in Christo Patrum, tum, antelati olim D. GEOR-
 „ GII SZÉCHÉNY, tum nobis syncere, & intime dilecti Domini LEO-
 „ POLDI S. R. E. Presbyteri Cardinalis a Kollonich, successive Archi-
 „ Episcoporum Strigoniensium, suafu, ac etiam vi Juris Patronatus nostri,
 „ tum ejus, quod qua Regem Apostolicum, nostram optimo, ac indubi-
 „ tato jure concernit Majestatem, tum etiam, quod e Barbarorum manibus
 „ recuperationis, item restaurationis, & novæ dotationis titulo, de Cano-
 „ nicarum etiam Legum sancito nobis competit, Templum Sanctissimæ
 „ DEIPARÆ VIRGINIS IN COELOS ASSUMPTÆ, Magnæ Hunga-
 „ riæ Dominæ, cum suo campanili, a Divis olim Regni Hungariæ Regi-
 „ bus, Antecessoribus nostris, BUDÆ ædificatum, & dotatum in medio
 „ trium supradictarum domorum, Collegii nempe Societatis JESU, Cleri-
 „ corum Seminarii, & Convictus Juvenum situm, quod altero statim
 „ post Urbem receptam anno iisdem ex Assensu nostro consignatum erat,
 „ quodque dilectissima Consors nostra Imperatrix, & Regina Eleonora,
 „ Magdalena, Theresia, pretioso, ac multiplice Augustis suis manibus
 „ concinnato, alioque multiplici sacrorum vestimentorum apparatu, &
 „ synthesi donavit, cum omnibus suis Juribus, appertinentiis, Altariis, præ-
 „ bendis, prærogativis, privilegiis, Bonisque, & obventionibus quibusli-
 „ bet, semper, & ab antiquo ad illud spectantibus, & pertinere debenti-
 „ bus: uti & calicibus, crucibus, infulis, casulis, aliisque clenodiis univer-
 „ sis, veterum liberalitate in idem Templum collatis, & nunc (uti ex cer-
 „ ta relatione intelleximus) sub Capituli Pofoniensis Canonorum custodia
 „ asservatis, dandum, donandum, & dictæ Societatis JESU Fundationi
 „ BUDENSI incorporandum duximus; imo damus, donamus, & incor-
 „ poramus jure perpetuo, & irrevocabiliter; plenam iisdem Patribus fa-
 „ cultatem tribuentes, Bona quæcunque, & jura, ad dictam Ecclesiam,
 „ B. Virginis spectantia, nunc autem, temporum injuria, aut quacunque
 „ ratione abalienata, redimendi, & recuperandi. Et cum præfata Ecclesia
 „ olim PAROCHIALIS fuisse perhibetur; ut hæc ei dignitas futuris sem-
 „ per temporibus inviolata permaneat, & Societatis JESU Patres, qui a
 „ primo statim BUDÆ receptæ tempore munia Parochialia omnia, duo-
 „ rum

„ rum supra nominatorum Archi-Episcoporum Strigoniensium voluntate,
 „ laudabiliter hæctenus semper administrarunt, magis quiete etiam impo-
 „ sterum in Templi hujus, a nobis ipsis traditi, usu perseverent, ex Au-
 „ thoritatis Regiæ plenitudine, vi juris Patronatus, tam ex prima ejus Fun-
 „ datione, quam a Barbaris vindicatione, plene, atque indubitate Nos
 „ concernentis, Nostro, & Successorum Nostrorum Regum Hungariæ no-
 „ mine, semel pro semper Superiorem Patrum Societatis JESU BUDÆ
 „ pro tempore extitutum pro Parocho, seu Plebano, tam Urbis, quam
 „ suburbiorum BUDENSIUM declaramus, præsentamus, & nominamus,
 „ eidem omnia illa, quæcunque de jure, vel consuetudine, aut speciali Ur-
 „ bis illius, tanquam Hungariæ Metropoleos, Privilegio Parochiæ illi un-
 „ quam attributa fuere, qualia sunt de jure communi & indubitato grani
 „ omnis generis, & vini sedecimæ, vel etiam, si nullus alius liquidum,
 „ certumque jus comprobare possit, ipsæ Urbis, & suburbiorum BUDEN-
 „ SIUM decimæ, ea omnia, Nos quoque pleno jure, eoque perpetuo at-
 „ tribuimus, & conferimus, sive dictus Societatis JESU Superior per se,
 „ aut per suos, sive per alios, arbitrio suo, & electione propria substituen-
 „ dos Vicarios, ejusdem nutu amovibiles, administrare velit. Non ob-
 „ stantibus quorumcunque in Templum illud, aut Parochiam prætensionibus,
 „ juribus, aliisque quibuscunque contrariis, quæ humano unquam
 „ ingenio adversus præsentem donationem, nominationem, & efficacissimam,
 „ absolutamque voluntatem Nostram excogitari, inveniri, ac mo-
 „ veri possent. Proinde harum vigore cassamus, revocamus, & annullamus
 „ omne Privilegium, si quod ulla ratione forte olim ab Antecessoribus
 „ Nostris, Hungariæ Regibus, seu privatæ personæ, aut familiæ, seu
 „ Monasterio, aut Ordini Religioso, seu Civitati ipsi, aut alteri commu-
 „ nitati in dictam Ecclesiam, & Parochi nominationem collatum unquam
 „ fuisset, & omne id in Patrem Superiorem Societatis JESU, BUDÆ pro
 „ tempore futurum, ea autoritate, qua Ecclesias DEI per Ungariam or-
 „ dinandi facultatem a Sede Pontificia accepimus, & habemus, transferri
 „ debere, ac Nostra donatione jure perpetuo translatum esse declaramus.
 „ Nostros in Regno Hungariæ Successores, Hæredes, & Posterios, uti &
 „ Venerabilem Hungariæ Clerum, specialiter autem Archi-Episcopum
 „ Strigoniensem modernum, ejusque futuros Successores (hujus enim Ar-

„ chi-Episcopatus in Spiritualibus Jurisdictioni BUDA subesse dignoscitur)
 „ requirimus, imo etiam, quantum possumus, obligamus, quatenus tam
 „ Templi præfati donationem, quam Parochiæ ibidem collationem Colle-
 „ gio Societatis JESU BUDENSI per nos factam, Nostramque hac in re
 „ constantissimam voluntatem per se, suosque in perpetuum, firmam,
 „ stabilem, ac omnino inviolatam servant, tueantur, atque defendant,
 „ perque suos servari, tueri, defendique faciant, & in omnes, qui eam
 „ quomodolibet impugnare, immutare, aut quovis prætextu in dubium
 „ vocare, eoque nomine Societati JESU molestiam inferre, aut negotium
 „ faceßere ausi fuerint, severissime animadvertant. In cujus rei memo-
 „ riam, firmitatemque perpetuam, præsens Diploma Nostrum duplicis
 „ Privilegialis Sigilli Nostri, quo ut Rex Hungariæ utimur, impendentis
 „ munimine roboratum prælibatæ Societati JESU in omne ævum duratu-
 „ rum benigne extradandum duximus, & conferendum: Imo extradamus,
 „ & conferimus præsentium per vigorem, salvo jure alieno. Datum per
 „ manus supramemorati fidelis Nostri Nobis syncere, & intime Dilecti Re-
 „ verendissimi in Christo Patris ac Domini LEOPOLDI Sanctæ Rom.
 „ Ecclesiæ tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyteri Cardinalis a KOL-
 „ LONICH, Archi-Episcopi Strigoniensis, Locique, & Comitatus ejus-
 „ dem Supremi, ac Perpetui Comitatus, Primatis Hungariæ, Legati Nati,
 „ Summi, & Secretarii Cancellarii, S. Joannis Hierosolymitani Prioris, &
 „ Commendatoris Egræ, ac Mailbergæ, Consiliarii que Nostri Intimi.
 „ In Civitate Nostra Vienna Austriæ die quinta mensis Februarii Anno Do-
 „ mini millesimo septingentesimo, Regnorum Nostrorum Romani quadra-
 „ gesimo tertio, Hungariæ & reliquorum quadagesimo sexto, Bohemiæ
 „ vero anno quadagesimo quinto. Reverendissimis, & Venerabilibus in
 „ Christo Patribus, Dominis, modo memorato LEOPOLDO Cardi-
 „ nale a KOLLONICH Metropolitanæ Strigoniensis, & Fratres
 „ PAULO SZÉCHÉNY Colocensis, & Bachiensis Ecclesiarum, ca-
 „ nonice unitarum Archi-Episcopis; STEPHANO TELEKESY
 „ Agriensis, STEPHANO ZELYSTYEVICH Zagrabienfis,
 „ LADISLAO MATYASOVSKY Nitriensis, Illustri CHRI-
 „ STIANO AUGUSTO Saxonix Duce Jauriensis, Fratres AU-
 „ GUSTINO BÉNKOVICH Varadiensis, ANDREA ILLYÉS

„ Tran-

„ Tranfylvaniensis, dicto Fratre PAULO SZÉCHÉNY Administra-
 „ tore Vesprimienfis, MICHAËLE DVORNIKOVICH Vaczienfis,
 „ STEPHANO DOLNI Csanadienfis, MATHIA RADONAY
 „ Quinque - Ecclesiensis, FRANCISCO JANY Sirmienfis, GO-
 „ DEFRIDO KAPAUN Electo Samadrienfis, ANDREA MA-
 „ TUSEK Electo Scopiensis, PAULO BALASSA Electo Rosonenfis,
 „ FERDINANDO RUMELL Tininienfis, JOANNE BAKICH
 „ Electo Scardonienfis, Fratre NICOLAO PLUMBEO Bosnenfis,
 „ & MARTINO BRAIKOVICH Segnienfis, & Modrusienfis canoni-
 „ ce unitarum Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus.
 „ Item Illustri, Spectabilibus, ac Magnificis PAULO ESZTERHÁZY
 „ de Galantha, Sacri Romani Imperii Principe, Aurei Velleris Equite,
 „ dicti Regni Nostri Hungariæ Palatino (Officio Judicatus Curix Nostre
 „ Regix vacante) Comite ADAMO DE BATTYAN, Perpetuo in
 „ Németh-Ujvar Antelatorum, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæque Re-
 „ gnorum nostrorum Bano, Comite GEORGIO ERDÖDY de
 „ Monyorokerék Tavernicorum, Comite FRANCISCO KÉRY de
 „ Ipolykér Seniore Agazonum, Comite CHRISTOPHORO ERDÖDY
 „ de antelata Monyorokerék Dapiferorum, Comite MARCO CZOBOR
 „ de Czobor - Szent-Mihály Janitorum, Comite NICOLAO PALFFY
 „ Seniore ab Erdöd Cubiculariorum, Comite FRANCISCO DE BAT-
 „ TYAN ab antelata Németh-Ujvar Pincernarum, Comite MICHAËLE
 „ ESZTERHÁZY de memorata Galantha, Curix Nostrorum Regalium
 „ per Hungariam Magistris, ac dicto NICOLAO PALFFY Comite
 „ Pofonienfi, cæterisque quamplurimis toties memorati Regni Nostri Hun-
 „ gariæ Comitatus tenentibus, & honores.

LEOPOLDUS, mppr.

(L. S.) LEOPOLDUS CARDINALIS
 A KOLLONITZ,
 ARCHI-EPISCOPUS STRIGONIENSIS,
 mppr.

FRANCISCUS SOMOGY, mppr.

§. XXIX.

De Asceterio Monialium S. Claræ Sororum.

DEscriptis DEO devotorum Virorum domiciliis, sanctimonialium Virginum succedant ædes. Quæ BUDAM colunt, solæ sunt Divæ Claræ Sorores. Paulo altius repetere juvat earum sortem. Quarta Caroli I. Hungariæ Regis, Conjux Elifabetha, Wladislai Loctici, Poloniæ Regis filia, Heroïna pientissima, cum semper alias, tum præcipue ab attentato in ipsam, Regem Carolum, ac Regios Principes per Felicianum Vissegradensibus in suburbis parricidio, nihil habuit antiquius, quam ut Protectori, tot sacrorum capitum, DEO gratiam referret, illustri quodam suæ pietatis monumento. Hunc in finem opes sollicitius fecernit; ab Joanne deinde Papa XXII. datis initio anni MCCCXXXIV. literis anxie petit, ac facile impetrat veniam erigendi Sororibus Divæ Claræ Cænobium VETERIS-BUDÆ; in quo ipsamet vitam agat, si Regi marito superstitem esse Numen velit. Octennio inde vitam Carolus produxit, elatus anno MCCCXLII. compositis Regni curis, firmatoque in administranda Republica Ludovico filio, jaciuntur Regii Parthenonis, ac Templi, Divinissimæ Matris honoribus consecrandi, fundamenta anno MCCCXLVI. mox erecto addicuntur in dotem latifundia; inusitatis prærogativis tam Cænobium illud Virginum, quam ejus subditi ornantur. Sane Elifabethinum hunc Parthenonem ultra communes Regum, ac Pontificum favores, ipsorum Archi-Episcoporum, ac Nunciorum Apostolicorum subjectioni subductum fuisse legimus; utque ejus Sigillo munitæ literæ publicam haberent fidem in Tribunalibus, insigni Privilegio indultum tenebat. Subditi vero earundem Sanctimonialium, præterquam quod ab omni vectigali, ac tributo, vel ipsis Regibus pendendo, immunes fuerint; Judicis alterius Tribunali non suberant, quam Regis, Palatini, aut Personalis. Longum esset referre amplissimæ Domus ornamenta. Unum Pharmacopolium, ac latissime protensi horti, peregrinis floribus, herbis, radicibus, cæterisque, quorum usus in id genus officinis est, paginas implerent. Eversæ per Turcam, ac in munita hodiernæ BUDENSIS Arcis conversæ ædi Basilicæ non libet iterum illacrymari. Dum luctuosissimum illud tempus occupandæ per Turcam BUDÆ appeteret, proximeque abesset barbarus, suis cum opibus, quas

ave-

avehere poterant, Pofonium se se contulere Sanctimoniales BUDÆ VETERIS; quarum contubernio adlectæ sunt etiam Dominicanæ, e *Leporum Insula* Tyrnaviam translata, inde (posteaquam omnes suas opes in vicium, amictumque profudissent) mandato Pauli V. Papæ anno MDLXXII. Pofonium. Hospitalitas Pofoniensium Divæ Claræ Sororum adversus illas Divi Dominici filias movit Mathiam II. Hungariæ Regem, ut edito diplomate transferret universas Dominicanarum Monalium *Margarethanae* quondam *Insulae* incolarum, ditiones, in Pofonienses Clarissas; secundum alia distinctius cavendo: ne vindicata aliquando de Turcorum tyrannide BUDA novarum Dominarum circumscribi dominatus queat. Etsi autem non esset, qui tam sancte affirmatis, sacrae illius Familiae juribus obstreperet; novam tamen, quam tenent, BUDENSI in Urbe stationem, nonnisi quarto, & decimo saeculi praesentis anno sunt ingressæ; ductis Pofonio, septem Virginum coloniis; quibus Abbatissae dignitate praerat Mater Francisca e Vetusissima Comitum Csaky stirpe prognata, Virgo non minus a pietate, modestia, candore morum, vitae integritate cum DEO conjunctione, caeterisque dotibus, privatam sanctimoniam absolventibus, quam in gubernando prudentia singulari, & affabilitate commendatissima. Plurimum contulit sanctum hoc ad opus Eleonoræ Augustæ, Leopoldi M. viduae aris digna pietas; quam merito alteram veluti Elifabetham suam veneratur Sacer ille Virginum chorus; dum hæc scribimus, numero, facultatibus, quodque caput est, religiosissimæ vitæ exemplis sane quam auctus. Eductum pariter, spatiosum, ac perelegans anno primum superiore Templum, Immaculatis MARIE honoribus dedicandum nitide instruitur, ad septentrionale Alceterii latus.

§. XXX.

Vetera BUDÆ Pomæria.

AD veterem BUDÆ majestatem plurimum conferebant externa decora. Nam praeterquam quod cultissimis semper ejus vicinia confita vinetis fuerit, nec in Europa sit Urbs facile, quæ tantum vini ferat; occidui solis regio in vallem depressa ab ipsis mœnibus, cultissimis luxuriabat topiariis; quorum stationem jam occupant agri, prata, dumeta, caemeteria; in quibus adhuc interdum leguntur Hyacinthi, Sambucus Hispana,

Pimpinellæ, minores isthic aliquando latissime regnantium charitum exuviæ. Ad has sensuum illecebras triumphalium simillima ducebant vestibula, propylæis, tessalatisque colossis distincta; quibus inserta ænea candelabra, multum lucis, plus gratiæ affundebant. Marmorea, quæ centrum occupabat horti Regii, villa argentatis tectum vestita tegulis, tam undequaque cænationes, conclavia, verbo: omnia habebat perfecta, vix ut addere aliquid potuisset ingenium antiquitatis. Umbrosæ porticus, viridaria, pomæria, topiaria, piscinæ, labyrinthus, lithostrata, turres ipsæ, cænaculis, pergulisque obductæ, oculos captivabant, animos admiratione complebant. Accedebat his vivarium, Wladislai Regis I. sumptibus paratum. Tria in ambitu, eaque Hungarica continebat milliaria, grandem cicurum, majorem ferarum animantium numerum alebat.

§. XXXI.

De Eremitoriis Paulinis, & Concilio BUDENSI.

IN imo qua sylvarum, qua vitiferorum montium margine Eremitus erat Paulina, septentrionem spectans, respectu Urbis, amplissima illa, situque amoenissima. Qui quartus a Beato Eusebio Candidæ illi Familiæ præfuit Laurentius, anno MCCC. Religiosæ istius Domus fundamenta jecit. Præclaris crevisse initiis, multum attenuatam deinde ejus fortunam, inde conjicio, quod anno MCCCXI. plures ternis incolas non numerarit. Regum iterum, ac Procerum gratiis, eo eluctata est, ut princeps esset omnium, quæ laudatissimus Ordo usquam habebat. Accessit ad amplitudinem cænobii sacer thesaurus, venerandum S. Pauli I. Eremitæ corpus, quod Laurentino-Templo intulit Ludovicus I. datum glorioso illi Regi a Veneta Republ. in pignus fœderis æterni, anno MCCCLXXXI. Ter beata tempora! quibus præ leonibus, elephantis, uris, tygridibus, tanti Monarchæ Indigetum cœli exuvias habuere. Disperiit inæstimabilis hic thesaurus, quando imminente his oris barbaro ægre suamet ossa custodes integra efferre poterunt. Alterum in agro BUDENSI Paulinæ Familiæ Eremitorium erat ad ALBÆ-MARIÆ. Ædiculam hanc, in descriptione BUDÆ-VE-TERIS attactam, erexerat, teste Inchoffero, Carolus M. anno DCCCIII. Tutelaris Patronæ stetit beneficio, ne Scythicæ eruptiones iisdem eam ob-

obruerent ruinis, quibus integros Episcopatus delevere. Sacra isthic fecisse Sacerdotes quosdam vitæ liberioris, quæritur Sixtus IV. ad annum MCCCCLXXIX. attamen Palladium hoc Hungariæ in potestatem Paulinorum venisse ante annum MCCCCLXXXIV. non lego. Suggestit novos Curatores Tempelli Corvinus Rex Papæ; Pontifex autem non probare non potuit, quod ultro a Religiosissimo Principe deprecere debuisset, nisi Mariano - Apostolici Regni Monarchæ religio Papæ curam prævertisset. In utra harum Paulini Ordinis Ecclesiarum mandatus terræ sit Anno MCCCCXVIII. Cardinalis Joannes Dominici, Pontificius Legatus, ab obitu sanctitate, & miraculis clarus, variant Scriptores. Errore labitur, quisquis existimat, illustrem hunc Virum nomine Romani Pontificis præfuisse concilio BUDENSI. Synodum hanc refert Alexander Natalis Tom. VII. Cap. VI. Art. XXXV. ad annum Christi MCCLXXIX. ac in ea Nicolai III. vices obiisse Philippum, Firmanum Episcopum scribit, ut plane constet, Joannem nostrum ad Ecclesiastica illa Apostolici Regni Comitata, nihil omnino conferre potuisse, quibus ille posterior fuerit annis CXXXIX. Cæduo tot decora nituerunt flore; sublata sunt universa innumerabilium bellorum turbinibus, quos jam damus.

§. XXXII.

Bellicæ vices Gentilis BUDÆ.

JAm vero quot putas, quibus, quamque diris direptionibus patuit suis a cunabulis BUDA? Hoc enim vero assequi scribendo vix ullus queat. Nam cum communis semper fuerit conditio horum Pannoniæ Pergamorum cum fortuna tot Regnorum; molimen illud ætate hominis unius majus esse videtur. Ipsi natales BUDÆ, alterius veluti Romæ, fraterna cæde maduere; ut ferali prognosticatione elici jam tum posset, Urbis hujus vitam humano sanguine nutriendam esse. A cruento Attilæ occasu dissidium ortum est inter ipsius filios Denficen, & Irnachum: sociosne, an hostes habere mallent Romanos? Advertit hoc Marcianum perinde, ut illata per Attilam damna redderet; atque Gothos, ut duram Hunnorum excuterent servitutem. Cessit e voto utrisque consilium. Dum se mutuis atterunt cladibus Hunni, Gothique, utrique opprimuntur a Romanis. Audiatur Jornandes: „ Dum, *inquit*, Attilæ filii contra Gothos, quasi de-
„ ser-

„ fertores dominationis suæ, velut fugacia mancipia requirentes, venirent,
 „ ignarisque aliis fratribus, super *Valemir* solum irruunt; quos tamen ille
 „ quamvis cum paucis, exceptit, diuque fatigatos ita prostravit, ut vix pars
 „ aliqua hostium remaneret; quæ in fugam versa, eas partes Scythiæ pete-
 „ ret, quas Danubii fluenta prætermeant, quæ lingua sua Hunni *Vár*,
 „ vocant. „ Quanta hic, boni Superi! sanguinis effusio! quam, si rite
 primorum meminimus, haud procul BUDA, pro ipsa adeo BUDA
 Regia contigisse oportebat. Quod si autem & Olaho, Scriptori celsissimo,
 fidem habemus, quot hominum myriades pro BUDÆ mœnibus occubue-
 re, scissis in factiones prædictis fratribus, Attilæ natis! scribit is in Attilæ
 vita: Chabam, & Aladaricum fratres adeo BUDAM depèrissè, ut mutua
 cognati sanguinis profusione ruberet Ister; quos, dissidio fractos, Gepida-
 rum Rex Ardaricus aggressus fuerit; Aladaricum vita exuerit; Chabam
 Urbe, ac ditione exterminarit. Chabam, existimo eundem Olahus nomi-
 nat, quem alii Historiographi Denficen vocant; cujus præcisum caput,
 consulibus Zenone, & Marciano, id est anno Christi CCCCLXIX. Con-
 stantinopolim allatum esse Marcellinus testatur; Aladaricum vero, qui ab
 aliis Irnachus appellatur. Ardaricus deinde ab Ostrogothis, Patriam hanc
 suam repetentibus, anno CCCCLXXIV. per vim ejicitur. Eadem illata
 Ostrogothis, haud dubie fuerit, ut post decem lustra in BUDENSEM
 stationem acciperent Longobardos; quibus (quod sciam) solis citra sangui-
 nariam vim cedentibus, BUDAM infedere Slavi, ab Avarum (qui iidem
 cum Slavis erant) Cagano non ante Romanis reddendam, quam Princeps
 hic multum attritus per Mauritium Imperatorem fuisset. Sed nec Mauri-
 tio diu quieto esse licuit BUDÆ. Nam Caganus resumptis animis anno
 Incarnati DEI DC. ab occupata per Mauritium BUDA XVII. ejus posses-
 sione Imperatorem depulit, Slavisque ad annum usque DCCXLVI. jus
 BUDÆ affirmavit; dum Swatoplugus nova Hunnorum e Scythia erup-
 tione oppressus, dominatu cum vita exueretur. Paulo ultra dimidium
 Sæculum Hunni producerunt his in oris Imperium, cum in anno DCCCIII.
 grandi prælio funduntur pro mœnibus magnæ Sicambriæ; quibus solo æqua-
 tis, Romanorum illa jugum passâ est; Hungarorum in immensum crescen-
 tium insanis pro Attilæ Regia conatibus ante exitum Sæculi IX. iterum
 reddenda.

§. XXXIII.

BUDA *primum per Solymannum, Joannem de Zapolya, & Ferdinandum I. occupata.*

CONquievit deinde plaga hæc, quamdiu bella foris domi pacem habebamus; simul Asiaticus sese furor in Hungariam infudit, simul designata ad ictum BUDA corruit, primum, Christiana, in manus barbari venit. Inauspicatus tantæ calamitatis dies erat septimus Septembris, anni illius, in Fastis Hungariæ plusquam centum myriadum hominum sanguine, aut ipsa morte acerbioribus Otomanniæ servitutis ærumnis, & squaloribus non obliterandi MDXXVI. quo robur militiæ, Optimates, Pontifices, Regem, opes, libertatem, omnia amisimus. Vacuam fuisse arcem præsidio in ejus felicitate ponunt nonnulli, ne Solymanus, tam inusitata victoria tumidus, hostile quid in eam tentaret; verum postquam in ea pacificus hospes dies quatuor & decem exegisset, encomiastes augustissimæ habitationis abscederet, duobus duntaxat ingeniosioris operis Constantinopolim avectis simulacris. Horum alterum Apollinem, Herculem referebat alterum; utrumque Jacobus Tragurinus, Dalmatiæ Dynasta, fusili ex ære conflarat, Corvinoque Regi, id genus elegantiarum ultra, quam dici queat, studio, dono dederat. Crediderim ego; non potuisse Harpyam illam continere, manus a diripiendis cæteris quoque Regionum Gazophylaciorum immensis opibus, quas Regina Posonium in tanta rerum perturbatione devehî curare non poterat. Sane Istvanffius narrat, cum BUDAM ab excessu tyranni vacuam, die X. Octobris ejus anni occupasset Joannes de Zapolya, tam fœde deformatam reperisse, ut a lacrymis temperare sibi non potuerit. Haud diuturna BUDÆ possessione gavisus est Zapolyanus. Rebus enim suis diffidens, adventantem cum valida manu Ferdinandum I. post peracta coronationis solemnia, Comaromio, Jaurino, Tata, Strigonioque potitum, nec intra muros expectare, nedum aperto Marte lacescere ausus, primum ad vicum *Gubacium* confedit, tum *Harvanum* versus modica promovit castra, utque Ferdinandus die XX. Augusti anno MDXXVII. sine cæde, sine vi, Regia potiretur, effecit. Et hæcenus quidem more hospitum accipiebat BUDA Christiana Dominos; at deinceps parebit nemini, qui per strata cadavera aditum sibi non pararit.

§. XXXIV.

Proditione Solymano deditur, a Zapolyio munitur.

NON integrum abiit biennium, cum pro Beneficiario suo Comite Zapolyano undecim assultibus nequicquam BUDAM repetit Solymannus. Supra centum quinquaginta millium exercitum attriverat, quin tamen vel in spem venerit occupandæ urbis. Promissâ exterum corrumpere præfidiarium, ut Thomæ Nadasdii, Supremi tuendæ BUDÆ Præfecti, primum detrectaret imperia, mox violentas magnanimo tribuno illi manus injiceret, eoque vinculis onerato, & in carcerem compacto tabulas deditiois scriberet. Non impune abiit perfidia tanta; virtus vel a barbaro præmium tulit. Solymannus enim servatam Regi fidem remuneratus est in Thoma, luculenta laudatione, ac data libertate; perfidos mulctavit vita; plurimum hoc fructu militaris perduellionis fortunam Joannis erecturus, Ferdinandæam, & cum ea totius Christianitatis afflicturus. Etenim cum e tercentum armatorum millibus, quos se adduxisse gloriabatur, justum adhuc haberet exercitum, occupatis eodem calore victoriæ munitionibus obviis, Viennam usque populationes protulit, augustalem urbem arctissima obfatione preffit, clades ex æquo accepit, ac intulit, sacrum Regni Diadema Zapolyo donavit, Hungariam, ad cæteras calamitates, in partes scidit. Quonam infortunio in manus barbari venerit pignus illud Angelicum, exequitur Istvanffius Histor. Lib. X. sub finem. Crevit hinc Ferdinandi dolor. Quare ne sibi deesset, anno MDXXX. belli summam concedit Rogendorffio. Hujus cunctatio rei bene gerendæ, ac BUDÆ recuperandæ opportunitatem excussit; arduam imo, adventante cum validis auxiliis Mahemete Jahiogle, fugam habuimus, qui, si negassemus hosti se se colligendi spatium, patentes propemodum BUDÆ portas offendissemus. Nimirum non semper eadem est ars belli; & si semel cunctatio restituit rem, perdidit millies. Mahemetes ne fugiente hoste (quem ob hyemis asperitatem insequi non poterat) vacuus præda rediret Belgradum, decem Christianorum millia in captivitatem abduxit. Tam propinquo periculo defunctus Joannes, majoribus studiis thronum suum firmare aggressus est, ne BUDA deliciarum potius esset locus, quam sacra quædam fluctuantis sui Regni anchora, pro virili fategit. Quare novis eam ambire vallis, novis fir-

firmare muris, novis munire fossis, aggeribus, propugnaculis; quorum nonnulla occiduum solem versus adhuc extant. Exercuit Joannem hic labor decennio, quod ei reliquum fuit; nam anno sæculi illius XL. regnare, & vivere desiit.

§. XXXV.

Astu Solymani occupatur, ac ultra sesqui alterum sæculum a Barbaris tenetur.

ERepto e vivis Joanne Rege, Ferdinandus eodem anno BUDAM, & cum hac abstractam Regni partem repetit, negatur; bellum infert, retunditur; objicitur Rogendorffius, veteranus strategus, Isabellæ, Joannis viduæ, mulieri, inquam, bellicarum artium ignaræ, animo, ob nuperam mariti mortem, consternatæ, non timetur; evadit proditione fidorum Ferdinando Hungarorum mediam in urbem, infami cum clade rejicitur; dimittit e manibus arcem; per alios amica silentia noctis fugam arripit; sed observatus, principio carpitur, mox omni bellica suppellectili spoliatur, denique amissis vicies quinquies mille armatis, interneccione propemodum deletur. Refert culpam Istvanffius Lib. XIV. Histor. ad inveteratum Rogendorffi erga Hungaros odium, ac æmulationem; ex quibus consecuta est illas illa concatenatarum calamitatum, sibi per sesqui alterum sæculum succedentium, quibus BUDA Otomanico sub jugo premebatur. Incauta illa hos in laqueos se se induit, dum a profligato Rogendorffio, liberatori Turcico militi per simulationem visendæ urbis, ipsorum sanguine servatæ, manipulatim subeunti patuit, nec ante periculum, quam se captivam sensit. Turcicæ enim turmæ, & cohortes, suis a Ducibus de re gerenda edoctæ, postquam facile X. millium numerum æquassent, citra rixam, vel tumultum die II. Septembris Sabbathinam primum occupant portam, tum alias ex aliis, denunciante Prætorianorum Præfecto per Præconem imperia Solymani: omnes arma tradant, domi se Civis contineat; capitale fore, qui voluntati, qui mandato Principum potentissimi contravenire aufit. Dum hæc in Urbe, tenetur Zapolyanus hæres in castris; in quibus cusa esse creditur ab imprudentibus Georgio Monacho, & Stephano Verböczio, utroque alendarum factionum studiosissimo, faba illa, Christianæ rei funestissima, qua sub obtentu, commodius consulendi rebus Reguli, retenturum.

ſe BUDAM nunciaret Solymanus, dum eam idoneo ſuſtinendis Regni habenis reddat eidem hæredi Zapolyano; id quod diplomate, aureis, cæruleisque literis exarato, interpoſita jurisjurandi fide, faciebat teſtatum. Quam id ex vero? poſterior didicit ætas, barbarico ſub dominatu gemente BUDA ipſos omnino anno CLV. etſi complures inde expeditiones Europæ totius, cum primis vero Principum Germaniæ, Romanorum Pontificum, ac Imperatorum ſtudia, extremæ vires Hungariæ, ad exigendum Metropoli noſtra tyrannum, quintum abhinc conſpiraffent; non alio operæ pretio, quam innumerabilium excidio hominum, vaſtatione Provinciarum. Manu levi ſubduxit ille calculum, qui decies centena hominum millia pro BUDÆ mœnibus perempta ſcripſit.

§. XXXVI.

A Christianis recuperatur.

SEd nempe in æterna DEI mente præfinitum erat tempus, quo vindictæ ſecundum tot clades BUDÆ gloria Leopoldinis accreſceret Laureis. Quod igitur bene vertat Hungariæ, totique Reipubl. Chriſtianiæ, ad tertium decimum Kalendas Julias anno ſæculi ſuperioris octogefimo ſexto admoventur magnæ arcis grandes machinæ, vaſtantur agri, ſolo æquantur mœnia, ſemel, iterum, ac tertio diſſipantur auxiliares copiæ, vires omnes a meridiana arcis plaga ſuis cum copiis Dux Baviariæ; a ſeptentrione cum robore totius exercitus admovet ſummus belli Imperator Carolus Lotharingus; repetuntur aſſultus; inde in vacuam fere arcem, quia inſuperabilis credebatur, Baviariæ; hinc cæteræ cohortes in Urbis mœnia eluctantur, ac incredibili virtute, depulſis, in conſpectu Aſiatici exercitus, propugnatoribus, tolluntur in ſublime ſuper propugnaculis Chriſtianorum ſigna; concludi intra ipſos Civitatis muros in medio geminæ triumphantis aciei barbari, demptis pauculis, cæduntur, ſingulari Numinis indulgentia, M. Leopoldi providentia, Ducum peritia, militum robore, Chriſtianorum comprecantium religione. Ornavit glorioſiſſima hæc poſt hominum memoriam victoria diem II. Septembris, quem ut totius Chriſtiani populi mentibus altius imprimeret Auguſti pietas, Divo Stephano I. Hungariæ Regi (in cujus Patrocinio magnum illum bellicum apparatus depoſuerat) ſacrum eſſe a communi fidelium Patre petiit, facilem in vota naſtus Innocentium XI. Quæ
læ-

lætitia, qui plausus gloriosissimam hanc victoriam Christiano in orbe consecuti sint, dicere non attinet; quando gentium omnium linguis novimus celebratam. BUDA, quo clementissimum Numen sacra inter tripudia, veneraretur pientius, Hymnum, quem sacris initiati in Divini Officii laudibus recitant, extemporaneo metro, tanti beneficii munus complexo, ita concinnavit:

*JESU! corona celsior,
Et veritas sublimior,
Qui confitenti serculo
Reddis perenne præmium.
Da supplicanti cætui,
Hujus rogatu, noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexus vinculi.
Anni reverso limine,
Dies refulsit lumine,
Quo Stephanus de culmine
Stravit tyrum fulmine.
Orabat ille Patriæ
Cælestis arma gratiæ,
Aram subibat auream,
Ut ferret Urbi Lauream.
Dum celsa rupes tunditur,
Mucrone Turca funditur,*

*Urbs purpurata subditur,
Christo potenti plauditur.
Heroico certamine,
Everfa BUDA cardine;
Diem rigatam sanguine,
Ornemus omnes carmine:
Qui das salutem Regibus,
Auge CORONAM viribus,
Illata damna civibus,
Ibracum repone finibus.
Occlude portas luctibus,
Concede pacem turribus,
Succurre sancti brachiis,
Tot fulminatis oppidis.
Pro restituta Regia,
Vincente spem victoria,
Sit Trinitati gloria!
Quæ nos coronat gratia.*

Solemnis hic dies, quot annis est, & publicis religionibus celebratur; dumque Auspici DEO per supplicationem totius Urbis, ac viciniæ, atque cætera pietatis opera Ambrosianus Hymnus, ad obversum septentrioni propugnaculum, in quod primum affiliit victor miles noster, decantatur, inter ænearum machinarum boatus, aspectabiles fiunt aquilæ; sive illas peculiaris providentia Numinis instiget, ne memoria Imperatoriæ dignatis, BUDÆ vindicis dilabatur; seu ipsa confluentis populi multitudo proliciat. Turcæ ipsi tam acerbum sibi vulnus, BUDÆ casu inflictum asseverant, ut in lucro posituri fuissent, si, quot illa lateribus, ac lapidibus constat, tot Mulsulmannicorum jactura capitem servari potuisset. Reapse quadringenti dun-

taxat, cæsis reliquis, necem fervitute redemerunt, thesauris, opinione majoribus, victori militi relictis. Mitigant spe dolorem, ac Vezirii BUDENSIS, quem hodiedum usurpant, titulo animos exacuunt ad Urbem charissimam sua tyrannide opprimendam.

§. XXXVII.

An Georgii Monachi, Turci, & Verboczii consilio fuerit occupata per Solymannum BUDA?

Astum illum, quo Metropolim nostram §. XXXIV. in potestatem Solymanni venisse retulimus, nonnulli Christianorum consiliis allinunt. Vocatur hoc in crimen Georgius Monachus, Valentinus Turcus Enningius, ac Stephanus Verböczius, afflueta, miscendæ factionibus Reipublicæ, nomina, quod metuerent, ne subducta Turcicæ fidei Isabella, Joannis Regis vidua, in ordinem redacti a Ferdinando, firmata in Reges dominandi libidine mulctarentur. Præmium navatæ operæ, Christianis rebus exitiosissimæ, tulerit Monachus, quod summum in gubernanda Isabellæ domo imperium ei Sultanus affirmavit; Verböczius vero dicundo juri Christianis BUDENSIBUS cum diurna quingentorum asprorum (genus est minoris Turcicæ monetæ) pensione sit præfectus; at Enningius artibus Monachi, ultra, quam erat novandarum rerum avidus, præfervidi, arrogantis, ac turbulenti ingenii insimulatus, voluntate Solymanni, Constantinopolim ductus, in carcere decennali ingloriam vitam finivit. Incompertam sibi fateatur hanc Patriæ prodicionem Istvanffius; idcirco ne in re dubia tantorum, in Republica Virorum nominibus labis aliquid allinamus, nihil certi definimus; quando præfertim ad institutum nostrum perinde est, quocunque demum e fonte consilium hauserit tyrannus, Urbem astu occupandi, ac dirimendis Christianorum controversiis Verböczium præficiendi. Fusius hæc profequi volumus, ut hospitæ Civitati, quam possumus, gratiam habereamus; breviores in aliis futuri.

§. XXXVIII.

De VISSEGRADO.

VISSEGRADUM Urbs, & sedes Regia, ætate superior, ornamentis BUDÆ suppar, intra fines PILISIENSIS Provinciæ pariter consistebat. Quo primum ævo florere cæperit? non proditur; nomenclatione

ta-

tamen sua ad gentem Slavonicam natales suos refert. **VISSEGRADUM** enim, latine redditum, altiorem, aut superiorem Arcem significat. Subter Arcem cultissimam amplissimis ornata Privilegiis diffundebatur Civitas, quæ tam raris eminebat prærogativis, ut Regno toti præjudicare videretur. Quare contrahendæ viæ sunt Wladislao II. & Optimatibus, imo abrogandæ penitus, constituta speciali lege, quæ est inter Articulos anni MCCCCXCVIII. ordine XXXIX. In deliciis erat potissimum Carolo I. a quo non solum ut Regum, sed insuper tanquam sacratissimæ Coronæ sedes magnificentissime adornata fuit. Rariora loci istius decora fere sequentia memorantur: Aræ pensiles, lectissimis distinctæ simulacris; Alabastrini, marmoreique fontes, miro confecti artificio, ac, dum Corvinus ageret triumphos, aquarum loco, albo per vices, rubroque vino fluentes; conclavia deinde, inauratis tignis, tabulisque micantia; tum grande Palatium, cui unam Parisini (ut vocant) Parlamenti aulam posse conferri, vulgo credebatur; in quo, eodem tempore, laudatus Andegavensis accepit hospitio, plena cum Aulicorum corona, Stephanum Nanungam, Bosniæ, Serviæque; Joannem Bohemiæ, & Casimirum Poloniæ Reges, nihil angustia, frequentissimo suo cum ministerio, magnoque concurrentium, ad tam inusitatum, videndi sub uno tecto quatuor Regum majestatem, spectaculum, Procerum numero passus. Ne cui commentitia videatur hæc narratio, proditum esse memoriæ, norit, quinquaginta admodum supra tercentum ædes in unum hoc Palatium, quasi corpus aliquod, coactas fuisse. Hæc Carolo I. (qui Karulus in Diplommatibus scribitur) regnante; quibus plurima ad ornatum addidere alii Principes nostri, præsertim Corvinus; nullus æternitatem. Sublata jam sunt omnia illa decora, ut rudera ipsa desideres, quibus illam metiare majestatem. Evertit Universâ prædator Asiaticus anno potissime MDXLIV. quo primum VICEGRADUM (nam & hoc interdum legas donatum nomine) invasit. Eminebat ad Vérteffiæ fylvæ, inter alias feras Pardorum altricis, radices propter Danubii ripas, Arx, sacra Coronæ Sedes, edito in monte, objecta ferme Vaczio, quæ etiam superior vocabatur; quam murus, per abruptas petras productus, jungebat inferiori, quam prodigiosum illud Palatium constituabat, aquaticam quandoque, ab alluente Danubio appellatam. Protendebatur ultra hanc Civitas Regia, suis cum suburbiis, Procerum, & civium ædibus ad luxum instructa. Non defuisse tam

illu.

illustri loco celebria Religiosorum Asceteria, ac Divorum delubra, etsi memoria eorum cum Urbe interierit, pro certo habeo. Ad Divi Regis Ladislai habitasse Franciscanos, docemur e fragmentis Annalium sacri illius Ordinis ad annum MCCCLV. Alterum iisdem condidit Sigismundus Imperator, ac Rex. Denique Abbatia, Patrocinio S. Andreae clarissimæ DE PROPEVISSEGRAD præfuisse anno MCCCLXXII. Nicolaum, eruitur e syllabo pensionum Papalium. Nam prædictus Abbas C. aureos dependebat. Labet universis tot ornamentis illacrymari cum elegantissimo Scriptore, P. Samuele Timon e S. J. dyticho illo :

*Inspice natales VICEGRADI, & funera; dices:
Destruxisse homines; sed posuisse Deos.*

§. XXXIX.

Memorabilia VISSEGRADENSIA.

REdditum, ultra jam relata decora, memorabile VISSEGRADUM est, Salamonis Regis, & Primatis Srignonensis, Joannis Vitézii captivitate, attentatoque Feliciani in Regem Carolum I. parricidio. Erat Felicianus nobili Zachaorum profapia oriundus; cumque Matthæi Trenchianensis, præpotentis illius Pro-Regis minores esse putaret opes (etsi pares essent Regalibus) ambitione sua, illius desertis partibus, se Regiis adjunxit servitiis, tantumque calliditate valuit, ut ficta quadam mandatorum observantia, & sedulitate, facilem aditum ad Regem, die, noctuque, emerctus fuerit. Tam amica Majestatis valentem gratia, fidem humanam exsuperantis sceleris incessit audacia. Agebat Rex in suburbiis VISSEGRADI, cum Regina, liberisque. Hos nocte intempesta adoritur dormientes XV. Kal. Majas anno MCCCXXVII. omnes perdere certus, ut tyrannidem liberius invadat. Frustratus ictum, Regis dexteram levi vulnere læsit; sanctissimæ Matronæ, Elisabethæ Reginæ, dextræ manus quatuor digitos, profusæ in egentes, resque sacras (quas sua jugiter parabat manu) liberalitatis ministros, absecat; in Principes quoque Regios, Ludovicum, Andream, & Stephanum stricto ense furit; sed hi, objectu propriorum corporum, per Pedagogos neci eripiuntur; Felicianus ab accurrentibus ministris, adigente per collum pugionem Joanne Alexandro Patochio, in frustra diffecatur, universa ejus cognatione extincta. Vide Bonfin. Decad. II. Lib. IX. Atque

in

in hoc nefario facinore elucet, quam Divinæ protectionis, Christos cumprimis suos contutantis, exemplum, tam in omne semper projectæ scelus ambitionis documentum. Affine quiddam videre est in Rege Salomone, ad recuperandam quarto coronam aspirante, nondum exoso caduca, nondum sancto. Coaluerat inter eum, ac fratrem Ladislaum, Regium Diadema subire coactum, concordia. Uti hac occasione Salomon constituit, quo circumventum fratrem throno dejiceret, sibi Regnum affirmaret. Cessisset ex voto consilium, nisi curæ Superis Ladislaus fuisset. Detectæ fraudi novam objicit Ladislaus; ad conditum diem sistit se in agro Mosonienfi, colloquium non detrectat, dissimulatum firmius præsidium admovet, in fraude deprehensum fratrem capit, in VISSEGRADIENSI Regia, carcerem habiturum, edicit, non ad dehonestandam dignitatem, sed emolliendam atrocitatem. Spectavimus jam vindicatum subditi in Regem attentatum parricidium, & punitam in fratre perfidiam; videamus coercitam Patris in filium audaciam. Prodit hoc nomine in scenam Joannes Vitézius, Metropolita Strigonienfis, non alia, quam Patris appellatione a Mathia Corvino vocitatus. Peccatum utrinque est, semel a Primate, quod justis ille causis adactus, defectionem a Rege fecerit; bis a Corvino, quod & ad deficientium inusitata tributorum exactione, ac immunitatis Ecclesiasticæ violatione coegerit, &, qua, nescio, a Laurentio Roborella, Legato Apostolico, auctoritate in Pontifices animadvertendi obtenta (usurpata potestate fanius dixero) tantum de ipso meritum, virum gravissimum, in arce VISSEGRADIENSI Regios per custodes mensibus aliquot observari demandarit; & si non multo ante, illa utriusque Reipublicæ Hungaræ capita, abolitarum injuriarum testes effuderint lacrymas, Rex Archiepiscopi, hic Regis genibus Strigonienfi in castro advolutus. Sed nimirum vix ita restringitur, seu veræ pœnitudinis, seu meritorum oceano in læsa majestate vindictæ cupiditas, ut non subinde scintilla remanens in funestum reis, læsis pœnitendum, incendium prorumpat. Adderetur hic non ingratiis, qua virtute defensum sit aliquando VISSEGRADUM Nostrensis ab Eremitis; quo astu Elisabethæ, Alberti Regis viduæ, sublecta sacra Corona; quot item vices cœlicum hoc munus subierit? verum, res præstantissimas negligere nimiae temporis angustiae cogunt.

§. XL.

*Reliqua PILISIENSIS Provinciæ loca,
memoratu digna.*

Reliqua PILISIENSIS Provinciæ loca, quæ hic facere numerum merentur, fere sunt: SÁMBÉK vicus, insignis tum Sacerdotio D. Joannis Baptistæ, cui hac tempestate Præpositi titulo præest Illustris. ac R. D. Vitus Eusebius Trautson Comes a Falckenstein, Cathedralium Eccles. Passaviensis, & Olomucensis Canonicus; tum Castello Illustris. D. Comitum Nicolai Zichy de Vasankö, cujus una ditionis est S. ANDRÆ oppidum, Rasciis perfrequens; in quo suum Schisma Episcopum, Catholici Curionem habent. Succedit his VÖRÖS-VÁRUM, recens assertum hæreditatibus D. Joannes Terfzyánfzky de Nádas, Pro-Palatini; deinde pagus TÉTÉN, Szárazianorum hæredum, castello & ipse nobilis; tum BYA latomis notissimum nomen, ob solidum, qui in ejus territorio fecatur, lapidem, efformandis simulacris peridoneum. Ad hæc Abbatia TELKY, primum Stephanæi illius celeberrimi *Veteris - Budæ* Sacerdotii juribus subjecta; post autem in subsidium, adversus Turcam necessarium, vendita; cujus titulo insignitur, ac reditus percipit Viennensis Scotensium Benedictinorum Abbas. Denique pagus, perperam ab incolis TURBAL dictus, cum reapse TÖRÖK-BÁLINT sit dicendus. Situs loci peramœnus est, nemorosus, vitiferisque collibus coronatus; dignus, qui BUDENSIVM S. J. Musarum Tusculum audiat, quibus in partem dotis a Leopoldo M. attributus est. Visuntur adhuc eo in colle, quem templum occupat, rudera castelli, quondam ab infelici Valentino Török habitati. Infelicem voco facem hanc Patriæ, Turcum Enningium; nam præterquam quod ejus incuria, ac cervicositate anno MDXXI. Belgradum ceciderit, unde in immensum crevit Solymanni potentia, quinquennio post Hungariam everfura; constituta per Optimates eam ob culpam proscriptione, ac bonorum publicatione, adeo non resipuit, ut receptus in gratiam Regis, sibi minus, quam antea constiterit, fluxa, instabilique fide, modo in Patriæ Patrum subselliis, mox in fronte hostium merere visus; dum tandem cum Joannis Regis puerulo Buda ire jussus ad vicina Turcorum castra, inde Patriam non revisit. Etenim Solymannus, quemadmodum adversa valetudine

dine tentatum acceperat Valentinum; ita meliuscule habiturum sub custodia Belgradum, inde Constantinopolim devehendum curavit, attributo diurno nummi aurei penso. Nullum non movit lapidem Turcus, infanis largitionibus non pepercit, Isabella ipsa, Joannis Regis vidua, extremos conatus adhibuit, ut gratiis Purpuratorum, atque hos inter præcipue Rustanis, in libertatem affereretur. Verum frustra erant omnia; amplissimas facultates in avaram gentem profudit; dulcissimæ loco Patriæ, exilium, deportatus in Propontidem, diuturnum tulit; septenaria in turri vitam instabilem parum honesto fine clausit.

CAPUT UNDECIMUM.

DE COMITATU ALBA-REGALENSI.

§. I.

Fines & Supremus Comes Comitatus ALBA-REGALENSIS.



Na minorum, at simul feliciorum Hungariæ Dynastiæ est ALBÆ-REGALIS; frumento, vino, pecore, pisce, cum primis certans. Clauditur ab ortu Comitatus Piliensi, ac Pesthinenfi; a meridie Tolnensi; ab occasu Wesprimiensi; a septentrione Comaromiensi. Dividitur in duos Processus, *Vértes-Allaiensem*, & *Sarrétensem*. Loca, quæ habitantur pauca, nec populosissima complectitur; quod, cum felici sit solo, sedes in eo Martis, ut plurimum, fuerit collocata, dum bello vexaretur Pannonia. Præter amnem *Sárvezium* (quæ vox latinis lutulentam aquam significat) lacubus *Velenczensi*, *Sóstoiensi*, & *Ingovano* irrigatur; *Danubio* autem, quam longa est, ab Oriente alluitur, a Meridie *Sione* amniculo clauditur; demum hinc *Vértesia*, inde *Bakonia* sylvis, inter Hungaricas maximis, coronatur, de reliquo fere plana. In Supremum ejus Comitem anno Superiore inauguratus est Excell. ac Illustris. D. Comes Franciscus de Nádasd, Perpetuus Terræ Fogaras, Generalis Campi Marschalli Locumtenens, ac unius Regiminis Equestris Ordinis, Militiæ Hungariæ Colonellus; Heros,

ætate hac, clarissimus, in quo Inclytorum gloriosissimæ suæ stirpis Belli-Ducum virtus lætissime efflorescit.

§. II.

ALBÆ-REGALIS *situs, ac nomenclatio.*

ALBA-REGALIS, Civitas libera, Regiaque, dat huic Provinciæ nomen; quod unde ipsamet mutuata fit, facile colligitur. ALBAM scilicet dixere vel a Mariana, toto orbe celeberrima Basilica, vel a S. Stephani Palatiis, candore præstantibus; REGALEM vero, tum ad discrimen aliarum Civitatum, quæ pariter eodem nomine veniebant, ut *Alba-Julia*, *Alba-Græca*, tum quod Reges Hungariæ isthic non hospitari modo, sed insuper ipsa Regni gubernacula auspiciari consueverunt. Hinc est, quod patrio sermone *Székes-Fejér-Vár*, hoc est *Scythia*, aut *Scythia Arx Alba* vocetur; ad quod & germanica denominatio: *Stul-Weisenburg*, alludere videtur. Innat Civitas hæc prædictis duobus lacubus *Ingvano*, ac *Sóstoiensi*, quare merito Istvanffius ait: eam esse in locis limosis, palustribusque sitam, aquis modo nominatarum duarum paludium, incertæ altitudinis, equiti pariter, & pediti inviis, cinctam; quæ ambæ e fluvio Sárvizio non minus cænofo, carectisque impedito, e Balatone lacu profuente subterraneos per meatus. Sic posita ALBA-REGALIS, Budæ, ac Strigonio collata, trianguli formam reddit, pari fere intervallo sex grandium milliarium, ac loci celebritate. Respondet elevationi poli gradui 47. longitudinis gradui 42. cum min. 15. Tribus olim admodum latis aggeribus clauderetur, vallis, fossis, muris prævalida; quibus multum detraxerunt tot bellorum vices. Vicinos habet colles vitiferos proprii territorii; paulo remotiores, ab *ISZKA* appellatos; utrisque ad delicias redditur amœna. A lacubus ipsis, pisce, cancro, testudine piscosis, id insuper accipit commodi, quod hortos, & prata undique irrigent, ac fœcudent. Solis arboribus, pomiferis præsertim, hæc plaga inimica est; nam & ægre radices agunt, &, nisi jugis cura exerceat copiarium, paucos intra annos exarescunt.

§. III.

§. III.

In cujusnam vetustæ Urbis ruderibus, & quò Fundatore surrexerit ALBA-REGALIS?

AD Urbis, de qua sermonem instituimus, commendationem adsciscunt nonnulli, vetustatem; alii quidem cum Lazio eam veteris *Cimbriani*, quondam a Cimbris, has plagas pervagantibus, conditi ruderibus superstructam esse, alii vero e *Potentianæ* (verius *Mogentianæ* scriberent) ruinis surrexisse contendentes. Neutris quod admodum patrocinetur, invenio. Equidem Antoninum in Itinerario *Cimbrianarum* meminisse, non diffiteor; sed cum eis ex æquo respondisse scribatur *Sabaria*, & *Aquincum*, seu *Aquicum* (quod propius fidem est, respondisse Strigonio, quam Budæ) conjectura Lazii parum firma evadit. *Mogentiana* deinde, Urbs fuit amplissima, cui firma ALBÆ nostræ terra capiendæ par esse prorsus non potuit; extra pomœria vero hodiernæ ALBÆ-REGALIS porrectam fuisse, rudera nulla produnt. Opinione mea, si quæ civitas ante ALBAM-REGALEM ejus locum occupabat, uti occupasse ob insignem opportunitatem, nullus dubito, ea fuerint *Antianæ*; quibus, sequendo Ptolemæum, commodiorem assignare situm nescio. Certius illud, & Annalium quoque fide testatum, intra ALBAM-REGALEM, ac Danubium commissum esse prælium illud, Slavonicis gentibus funestissimum, in quo Zwatapologus suo cum exercitu profligatus est, ac Danubio merfus, Arpado Hunnorum Duce. Scythæ enim, confecto bello, castra fixere in monte, quem Analista Parte II. Cap. III. vocat Noæ (Noë) prope ALBAM: „ Et ille locus est primus, quem Arpad sibi elegit in Pannonia; unde & „ Civitas ALBA per S. Regem Stephanum, qui de ipso processit, fundata est ibi prope. „ Hæc ille. Oboritur hinc lucis plusculum ad affirmandam Sancto Stephano, Regum nostrorum I. ALBÆ-REGALIS, conditoris gloriam; ut qui locum hunc suæ stirpis Principi, ac in Hungaria Fundatori, acceptissimum esse sciens, eum ad Regiæ Urbis dignitatem provexerit, Regum sede, inauguratione, ac sepultura, summis nempe, quæ a Regnantibus sperari possunt, gratiis ornare voluerit. Itaque in eam venio sententiam: mox ab Arpadi obitu, qui incidit in annum DCCCCVII. calculo Anonymi, Belæ Regis Notarii Cap. LII. plagam hanc cepisse ab

Hunnis incolis, cum antea habitaretur a Slavis; ut extremis Geyſæ IV. Ducis annis, puta sub annum Ære Christianæ DCCCCXC. & reliquis sex, quos ultimus hic Ducum, & Pater primi Hungariæ Regis vivendo superavit, in frequentioribus oppidis numerum facere posset; Stephano autem, grande illud, constituendi novi Regni, Idolomaniam penitus excindendi, & late jam propagatam Christi fidem confirmandi opus meditante, sub exitum decimi Christiani sæculi oppidum hoc amplius excoluisse, ædificiis civium, Pontificum curiis, Procerum Palatiis, Regia ipsa, & Mariana illa, nulli in orbe secunda Basilica, ad summum Regiæ Urbis fastigium provexisse, quo suamet, eaque nova in Urbe, nova in Basilica, ad id solemnitatis exstructa, exacta tam notabili primorum Christianæ fidei decem sæculorum periodo, accepto recens diademate sacro, cum Diplomate Sylvestriano, ac cæteris Regni, tunc constituti, insignibus, incingi posset. Cohærent hæc perbelle jactis a me supra fundamentis, ne in peremptoria illa, quam quidam suspicati sunt, Hungarorum conversione plus concedamus miraculo, quam veritati.



§. IV.

Ante constitutum Hungariæ Regnum Christiana Religio his in oris propagata erat.

Liceat hæc paulo prolixius e probatissimis exterarum gentium monumentis stabilire. Prima sit sancti Piligrini, Laureacensis Ecclesiæ Pastoris vigilantissimi, Epistola, quam dedit ad Benedictum Papam VI. qui dictus est VII. circa annum DCCCCLXXVIII. Excusabat se per illam a personali accessu, ad limina Apostolorum, hanc reddens rationem: „ Quia, *inquit*, a Neophita Hungarorum gente huc ire prohibeor; ad „ quam, foedere pacto, sub occasione pacis fiduciam sumpsimus operam „ exercere prædicationis. - - - DEUS quippe eorum cordis januam aperire dignatus est, ut deposita ferina crudelitate, levi jugo Domini colla „ submittant. Ad quos, dum, ab ipsis invitatus, transmitterem fatis idoneos viros, ex Monachis, Canonicosque Presbyteros - - - tantum Divina gratia fructum statim ministravit, ut ex eisdem Nobilioribus Hungaris utriusque sexus Catholica fide imbutos, atque sacro lavacro ablutos, circiter quinquies mille Christo lucrarentur. Christiani autem, „ quo-

„ quorum major pars populi est, qui ex omni parte illuc tracti sunt capti-
 „ vi, quibus nunquam soboles suas licuit, nisi furtive, Domino consecra-
 „ re; modo certatim, nullo obstante timore, offerunt eas baptizare, &
 „ gratulantur omnes, tanquam de peregrinatione sua in Patriam reducti,
 „ quod Christiano more oratoria audent construere, & licentia percepta,
 „ linguam ligatam, in laudem Salvatoris præsumunt solvere. Factum est
 „ ergo, ut pene tota Hungarorum natio sit prona ad percipiendam fidem.
 „ Sed & aliæ Sclavorum Provinciæ ad credendum promptæ; & est ibi qui-
 „ dem messis multa, operarii autem pauci &c. „ Leguntur hæc Tomo
 VI. Concil. Edition. Harduini. Tomo LX. Concil. Edit. L'Ab. item
 apud Ludov. Du-Mesnil, Doctrinæ, & Disciplinæ Eccles. Tom. IV. Idem
 hic Scriptor confutat, aliquanto inferius, opinionem eorum, qui existima-
 runt, conversionem S. Stephani, ejusque Genitoris Geyfæ, factam esse
 opera Henrici Imperatoris, ac ejusdem Sororis Giselæ. Ait enim: a Sancto illo
 Imperatore Giselam Sororem Stephano uxorem datam esse; tum subdit:
 „ Geyfam IV. Hungarorum Ducem, & Stephani Patrem, cum multis
 „ popularibus, jam (NB.) ad fidem adduxerat, & cum tota Familia bap-
 „ tizaverat S. Adalbertus Pragensis. Geyfâ autem cum cogitaret, qua ra-
 „ tione Christianam Religionem apud suos propagaret, erectisque Episco-
 „ patibus confirmaret; Divinitus in somnis admonitus est: Filium suum
 „ Stephanum, in terra, & in cœlis regnaturum, atque tantum opus esse
 „ consummaturum &c. „ Fallor, nisi hæc omnia adultam utcunque in
 Hungaria Christi fidem fuisse manifestant, quando paternum Principatum
 adibat Stephanus. Nihilominus merito coæquatur Apostolis; sive quod
 vivo Patre rem Christianam impensius proveheret, sive quia innumeros
 alios, Duce Geyfâ, idola colentes, Christo lucratus sit, ad eaque respectan-
 tes novos Christicolos, in suscepta Religione confirmavit, aperta vi patrios
 Scytharum Deos propugnantem Gyulam, Transylvaniae Ducem, & Ku-
 pam, Simeghiensẽm Comitem, cum infinita adhærentis populi multitudi-
 ne, perdomuerit, veræque fidei adjunxerit. Maneat proinde, dum re-
 pentinæ illius Hungarorum conversionis miraculum certioribus aliquis evi-
 cerit, suis momentis tantum opus libratum, congrua ætate adolevisse, ac,
 ne quid præter dignitatem eveniret, Henricum, & Giselam, sanctissimosque
 gentis nostræ Apostolos, Paulinum, Piligrinum, cum primis autem Adal-
 bertum curavisse.

§. V.

*An structura MARIANÆ ALBA-REGALENSIS
Basilicæ rejicienda sit ultra obitum Sancti
Emerici ?*

Quod si tamen quispiam Bonfinio (in quo sæpe minus elegantia, ne dicam verbositas, quam sinceræ narrationis desideres) tantum deferre voluerit, ut celeberrimum illud ALBA-REGALENSE Fanum (cujus natalium occasione potissimum controversia præfens enata est) non nisi spoliis, de Gyula reportatis, erectum autemet, atque adeo post beatum sanctissimi filii Emerici obitum (qui incidit in annum MXXXI;) aliud quoddam stetisse eadem in Urbe, perinde DEIPARÆ sacrum, priusquam famigeratissimum illud, confiteatur, oportet; cum primos in MARIAM igniculos ALBENSI in æde Mariana concepisse Beatissimum Emericum noverimus. Alioqui Bonfinius ipse ea religione fuisse sacram illam Stephani Regis I. Familiam scribit Decad. II. Lib. I. ut cum occasione quadam Rex, & Regina, cum filio Emerico, venissent Budam-Veterem, nec ullum illic reperissent Christianorum delubrum, extemplo demandasse: Basilicam Principibus Apostolorum excitari; & erit, qui existimet in Regni fede facile VI. lustris Regem sanctissimum unico illo animi solatio caruisse? Quanquam non satis sibi constare Livium illum Hungariæ, fateri cogeretur, qui verbis illis: *Post filii mortem Stephanus - - - celeberrimam in ALBA-REGALI Basilicam dedicavit*, tunc primum construi cæptam vellet; siquidem in averfa ejusdem folii pagina legitur: Monumentum Emerici pone Stephanæum in Mariano illo delubro fuisse erectum; secus flos ille sanctitatis Hungariæ Mausolæo ejus Templi inferri debuisset, pro cuius construendi lucrando sumptu, movendum erat Gyulæ bellum ab illo primum obitu; quod, quam ludicrum sit, nemo non videt. Quapropter *dedicata* Ecclesia illa Mariana post mortem Sancti Emerici, dudum ante constructa, scribitur; vel quod tunc primum ritu Catholico fuerit consecrata; vel quia hærede destitutus Stephanus (quod non obscure innuit ipse Bonfinius) eam tunc transcripsit in cælos Assumptæ, Matri Divinissimæ, tanquam Supremæ Hungarorum in cælis, terrisque Advocatæ, Patronæ, Dominæ; in cuius suæ voluntatis testimonium Reges nostros illic

in-

inaugurari, illic demortuorum corpora condi voluit. Fateamur itaque, Marianum illud, toti orbi notissimum fanum, cum exordio Hungarici Regni constituisse, in eoque sanctum Proto-Regem nostrum sacra Regni Corona incinctum fuisse; post aliquot tamen incendia labefactatum, in ampliore Majestatem eductum, novis accessionibus locupletatum, adeoque velut de novo post beatum Virginis Emerici in cœlos transitum, ac fractam Gyulæ proterviam, surrexisse.

§. VI.

Descriptio Basilicæ ejusdem.

Augustissimam illius Templi molem amplitudine prodigiosam, cultu pulcherrimam, opibus inæstimabilem, describit Bonfinius Decad. II. Lib. I. cujus narratio ne videatur fabulosa, consulto eam Auctoris dare verbis prætermitto. Incrustationes marmoreas, tesselata pavimenta, picturatas pretiosis lapidibus columnas, aras, icones, tabulasque nonnullas, nec paucas illas ex auro; argentove purissimo conflatas; infano auri, unionumque sumptu elaboratas testudines; varia vasorum genera, cristallina, myrrhina, porphyretica, onichina, gemmata, & in quibus nihil auro, argentove vilius fuerit; amictum ad hæc sacrum, tantæ majestati Regiæ fabricæ parem, in exterorum quoque Historiographorum monumentis est reperire. Audiatur sæpe jam citatus Ludov. Du-Mesnil Tom. IV. doctrinæ, & disciplinæ Ecclesiæ: „Stephanus, inquit, Rex piissimus, se, „ ipsum, & Regnum suum, per votum, & oblationem in perpetuum, „ Virginis MARIÆ tutelam contulit, atque ut ipsius Patrocinium prome- „ reretur, in ipsa Regiæ Civitate sedis, quam ALBAM vocant, in ejus- „ dem Virginis honorem insignem Basilicam condidit, cælatis auro chori „ parietibus, & pavimento marmore strato, omniaque, ad Divinum „ cultum necessaria, contulit, præsertim tabulas Altarium ex auro purissi- „ mo, pretiosisque lapidibus conspicuas; ciborium mirabili arte constru- „ ctum, omnique genere vasorum cristallinorum, onychinorum, aureo- „ rum, & argenteorum abunde refertum. „ Ita ille. Eminebant adhuc sæculi hujus anno XXXVII. parietinæ quædam sacerrimæ illius ædis, ac basis columnæ, cui unum e tribus ambonem incubasse narrabant incolæ; quorum traditionibus, si quid, concedimus fidei, longam esse oportuit Basilicam hanc plus C. geometricos passus.

§. VII.

*Prærogativæ Præpositi ALBA-REGALENSIS,
ac de MARIANÆ Basilicæ ruinis.*

Non minores Antistitem Regiæ illius molis ornabant prærogativæ; inter quas præcellentiores: nulli omnino, quam Romano Pontifici, subiectum fuisse; universas ALBA-REGALENSIS agri decumas eidem, & Sacerdotum, quod moderabatur, Collegio pendi debuisse; neminem Pontificum isthic sacra facere potuisse, nisi bona Præpositi gratia; nullius Regis, aut Reginæ inaugurationem legitimam haberi, quam non sua præsentia idem Præsul fecisset ratam. Addit his superiore §. citatus Du-Mesnil sequentia: „Hujus Civitatis (ALBÆ-REGALIS) nullum voluit „(*subaudi Stephanus*) esse Episcopum; sed eum, quem ipse delegerat, „Pontificalia celebrare præcepit, Decimas ejusdem loci soli Præposito, & „Monachis (*sæpe hoc nomine veniunt Canonici*) attribuit, prohibuitque, „ne quis Episcopus absque eorum consensu Divina celebraret mysteria &c., „Communiter etiam Antistes hujus Ecclesiæ dicebatur *Major Præpositus*, ad discrimen ejus, qui Ecclesiæ *S. Nicolai, extra Muros ALBÆ, & Canonorum Collegio præficietur*. Suburbanæ hujus jam neque locum novimus; MARIANÆ autem illius principis, sectus lapis, muros, & propugnacula civitatis convestit. Debemus utrumque Christiani nominis jurato hosti, aut verius nostris flagitiis, quibus indigni vero illo gentis nostræ Palladio effecti sumus; dum peregrinum illum, & quinque propemodum sæculis ab obitu S. Stephani Regis, nobilissimi illius templi conditoris, latentem in orco sibilum antiqui serpentis, Mulieris Apocalypticæ (MARIÆ) calcaneo infidiantis, intra Mariani Regni limites vulgari, invalescere adeo sustinimus, quo Sponsa Divinissimi Spiritus, plena gratia Virgo DEIPARA, cæteris par mulieribus (heu quot inter has scortis!) par blasphemæ ructatur, quam debitæ venerationis ergo nec proprio MARIÆ nomine, sed magnæ duntaxat Dominæ nostræ compellendam hac ipsa in æde sacra sanxit, Regum Hungariæ primus Mariano-Apostolicus, universam ditionem suam in Marianam transferens hæreditatem. Ætate Corvini monumentum illud Stephanæ in MARIAM pietatis vitium fecit; sed felix, quia magnanimum, & religiosum in Principem incurrit cujus muni-

fi-

ficentia illustrior evasit : „ Hanc nostra ætate Basilicam (Verba sunt Bon-
 „ finii) aliquo vetustatis situ obductam , Divus Mathias Corvinus non in-
 „ staurare , sed multo magnificentiore sumptu amplificare cæpit , & funda-
 „ vit magnæ aræ testudinem , quam si per vitam absolvere poterit , opus
 „ non modo Auctore dignissimum , sed cæterorum præstantissimum fore
 „ reputatur. „ Non æque felici casu prolapsum est idem opus augustissi-
 mum anno MDCI. quo misere conflagravit , dum Mercuriano Duce,
 ALBA Turcis eriperetur. Accessit mox majus vulnus. Nam eodem
 quasi calore pugnæ urbs illa in potestatem barbari rediit , a quo superstites
 Templi parietes in reparationes murorum sunt disjecti. Nec intra muros
 diuturna quies concessa faxis, olim Divino cultui consecratis. Cum enim
 aliquot arces, ac inter has ALBAM-REGALEM nudari muris præcepisset
 anno MDCCII. Leopoldus Augustus, vicinis lacubus demersa fuere, non
 multo post, instante intestino motu, protrahenda in tutelam urbis, fructu
 non æquante sumptum. Palmarem hanc jacturam longissime superat,
 quod corpora quoque tot Divorum reliquis cum thesauris eodem interitu
 sint involuta. Ferunt, quod merito dolorem exaggerat, ætate nostra eru-
 tum esse cereum sarcophagum pretiosiori ligneo inclusum, quem, cum
 aliquot dies expositus in propatulo fuisset, liquari, & in candelas aptari jus-
 serit avara manus. Opportunum hoc loco foret describere Patrios ritus,
 inaugurandi, ac tumulo condendi Reges; quot hoc in Templo incincti sint
 sacro Diademate? quot illati Mausolæis? Cur Aba Csanadini, non ALBÆ
 unctus in Regem? cur Wladislaus I. non Apostolica illa, verum simulacro
 Divi Stephani Regis detracta redimitus corona sit? quam per occasionem,
 quanta item celebritate peracta sit Apotheosis sanctissimi Regis Stephani,
 ejusque Virginei Filii Emerici? qui primam quoque lucem aspexit ALBÆ-
 REGALIS anno MVII. sed quia hæc domestici Scriptores luculentis narra-
 tionibus complexi sunt, ad reliqua urbis hujus Tempora narrationem converto.

§. VIII.

Reliqua ALBÆ-REGALIS sacra Domicilia.

MArianæ, quam adumbravimus, Basilicæ, produnt nonnulli memoriæ,
 adjectum fuisse a Ludovico I. Sacellum, cui Elifabetha vidua post
 mortem mariti Fundatoris adjecerit Sacerdotum Collegium. Sacellum illud

existimo dedicatum fuisse Divo Emerico ; nam hujus honori transcripsisse lego Elifabetham illam anno MCCCLXXX. Reginalem villam suam, BEED nuncupatam. De Collegio Sacerdotum, quod Odeo illi additum fuerit, merito ambigas, cum id sufficiente documento haud probetur. Propius fidem est, Aquisgranensi Tempello, per eundem Ludovicum, Divis Hungariæ Indigetibus, exstructo, ab Elifabetha ipsius vidua additos fuisse Sacerdotes aliquot, qui sacra facerent. Temporis diuturnitate, aut neglectu hominum factum est, ut splendori sacræ ædis istius multum detractum esse compererit, magnus ille Archi-Strategus Excell. D. C. Carolus de Battyán, dum tertio ab hinc anno Aquisgranum delatus fuisset. Quocirca ut pristinæ dignitati reddatur Fanum, quod etiamnum Hungaricum universi cives dicunt, dimidium sumptuum de suo addixit, utque tantundem cæteri Optimates nostri conferrent, exemplo, & dignis pietate sua literis egit. Regredior ALBAM, intra cujus ambitum denas stetit sacras ædes reperio. Nam extra muros, præter ante nominatam minoris Præposituræ S. Nicolai, florebant Divorum Georgii M., Michaelis Archangeli, & Margarethæ : prima Paræcialis, altera Eremitarum S. Augustini, postrema Prædicatorum ; intra muros autem : illa, nullis sat lacrymis deploranda, MARIANA, cum Odeo Angelici Conjugis Emerici, Parochialis S. Petri, quæ Canonicos quoque habebat, in qua coronatus, & conditus esse putatur Bela III. Sanctimonialium deinde, ac Rhodiorum, annum circiter MCXCI. a Martyrio, Strigonienfi Archi-Episcopo, cæptum, & ad medietatem educatum cænobium, sed a Geysæ II. uxore, Minoslai, Principis Russiæ, filia, Belæ III. matre ad apicem perductum ; cui Margaritha, Philippi Secundi Francorum Regis soror, Belæ III. nupta, adjecit Templum, Sancto Regi Stephano dedicatum ; illud, ut reor, quod Hungari a memoria nostra sibi proprium, & Parochiale frequentant. Ad hujus medium translatas esse aliquando sanctissimi Regis Stephani reliquias, me legisse memini ; sed dum intra duas turres collocatum sacrum hoc depositum scribitur, locum assequi non valeo. Habuisse & Paulinos Eremum ALBÆ ad ad B. V. M. facti quidem ad annum MDVII. memorant ; sed, nisi fallor, lapsus est errore Annalista, sufficiens ALBAM URBEM, ædi ALBÆ-MARIÆ, cujus adhuc leguntur rudera in vicinia Budenfi. Demum Ordo S. Francisci, post bellum, cum Ottocaro Bohemo feliciter gestum a
Ste-

Stephano V. hujus filii Ladislai IV. munificentia donatus est domicilio anno MCCLXXX. cujus rudera postliminio repetiit post depulsum sæculi superioris anno LXXXVIII. Turcam. Eodem anno accessere tam Carmelitæ, pedes calceati; quam PP. Soc. JESU; quibus pro dote Paræcialis labor largè admensus est. Squallorem pessime materiati Religiosæ hujus Familiæ domicilii detraxit, novumque ad omnem nitorem, & Religiosam commoditatem suffecit de ALBA-REGALI, Patria sua, Civis longe meritissimus Antonius Vanossius, quo moderatore desideratissimo non solum novennio gavifum est Trenchinensè Tyrocinium, & Collegium, sed amplissima etiam Academica illa, Græcensè, ac Viennensè, quin & universa Austriæ Provincia, cujus nomine Romam quoque Procurator adiit, relictis ubique speciminibus consummatæ virtutis, raræ sapientiæ, singularis providentiæ, capacissimæ ad summa quæque gerenda mentis. Ejusdem præstantissimi Viri beneficio surrexit & Templum, sane bellissimum; ad cujus ornatum confert non minimum gemina turris, utraque tecta Cyprio, utraque sonora pereleganti ære campano.

§. IX.

Basilicæ ALBENSIIUM vices.

HÆtenus diffusè de sacris ALBÆ-REGALIS ædibus, in qua, voluntate Leopoldi Augusti, solis locus est Catholicis, olim autem vix profanus, quod spectaret, habebat; quando sanctissimi Regis Stephani ad exemplum, ipsa Palatia, curiæ, trivium, pietatis officinæ videri poterant. Divisa civitas hæc quatuor in regiones erat. Earum præcipua castrum; altera civitas exterior; tum nova villa; denique civitas nova. Ex his omnibus legebatur Senatus, qui ne deesset publico propter civium frequentiam, bifariam dividi solebat. Jam inde a primorum ætate Regum cinctam fuisse muris, inde conjecto, quod ejus portas Bela I. claudi jusserit, ad arcendum idololatrias, quos bacchantes interfici curavit. Quantum ab incendiis, quantum a barbaris passa sit? quis pro merito percensèat; ipsam principem Basilicam a Carolo I. plumbo tectam, ac novis testudinibus ornatam anno MCCCXX. flamma corripuit post septennium, necquidquam (dempto eo campanili, quod imminebat sacro vestiario, plurimarum sacrarum exuviarum conditorio) fecit reliquum, ut jam tunc vulgi esset opi-

nio : idcirco toties diris absumi flammis molem pulcherrimam, quod pecuniis, per Gyulam scelestissime partis, fuerit ditata. Depopulatos agros, expilatas ædes, excisos cives, ac tantum non abolitum ALBÆ nomen. Constantinopolitani Tyranni ferro, dum primum ab eo subacta est anno MDXLIII. non miror tantopere, quam a Christianis illatam eidem vastitatem. Ursbergenſi Annaliſta teſte, prior illam deprædatus eſt Emichio Rheni Comes, quaſi Paleſtinam, quam ibat ereptum Saracenis, in hac Pannoniarum plaga, ex vero lacte, ac melle manante, aſſecutus fuiſſet. Maximiliani deinde I. efferatus victoria miles, id omne ALBA-REGALENSES in cives anno MCCCCXC. exercuit, quod unquam ab hominum memoria vi occupatæ urbes ſunt expertæ. Injuria iſthæc allini glorioſo illi Monarchæ reor, quaſi occupatæ per Corvinum Inferiori Auſtriæ vicem reddere ALBANA in Urbe voluiſſet. Nam quia nullum diſcrimen reos inter, ac inſontes, profana, ſæcraque in direptione illa ſervatum eſt, quod ultionis genus ſemper a magnorum moribus alienum fuit, induci non poſſum, ut credam, dira hac in clade partem aliquam habuiſſe Maximilianum; cum præſertim ſevero edicto caverit, ut, ſi quis Templorum donaria uſurpaſſet, redderet actutum. Sed nimirum plus valet in æſtu fortunæ plebis ferocia, quam Ducum imperia. Solum vertere coactus eſt Antifites loci Dominicus; fortunis exuti ſacri juxta, & profani cives, qui necem evaſerant; ipſa antiquitatis monumenta in ruinam tracta ſunt, ut nonniſi mutila illa ſaxo incifa ſuperet inſcriptio, Budam reſpectanti portæ civitatis appoſita:

PRO. SALUTE. IMPP.

LEP. T. SEVERI. ET. M. AV.

REL. ANTONINI. AUGG.

Quartam ſententiæ ſeriem oblitteravit edax vetuſtas.

§. X.

Reliqua ALBA-REGALENSIS Comitatus memoratu digniora.

IN egreſſorum ALBÆ-REGALIS pomæria oculos incurrunt, occidentem, ac ſeptentrionem verſus, non prætereundi ſilentio duo vici, BODAIK, & MÓR; ille gratiis Divinæ Matris percelebris, hic ampliffi-

mo

mo Patrum Capucinatorum Asceterio, ac Levemburgianæ Com. Castello. Plura suggerit orientalis plaga, Danubio præsertim adfita loca. Hæc inter ÉRD, TÁRNOK, BATA, KEVEHÁZA, ERTSI, ADONY, ac PENTELE. JASZTENSEM, ac JANOSIENSEM Abbatias (quarum hæc religione Laurentii Ducis de Ujlak erecta in venerationem Matris Virginæ, ac Benedictinis transcripta fuerit) cum oppidis deleta deplorare, non item reperire licet. ÉRD, communiter etiamnum *Hansabég* appellatur, ab illustri quodam Heroë Turca, cui parebat, dum rerum Budæ barbari potirentur. Sunt in ejus conspectu speciem castrorum præferentes parietinæ, in colle, eminus patente, profantes; diceres: magnæ arcis reliquias esse, nisi nomen *Kutya-Vár*, seu *Eb-Vár*, venaticorum canum, ætate Regum, Budam incolentium, receptaculum fuisse proderet. Qui cominus structuram spectare voluerit, non ægre istud assequetur. ÉRDO collimitanea est BATA, a bene multis collibus, eminus aspectanti speciem tenforum papilionum militarium exhibentibus, in pagi hujus territorio affurgentibus, SZÁZ-HALOM (*centi collis*) appellata. Qui hoc loco UL-CISCIA CASTRA stetisse asseruerit, a tot collibus argumentum mutuari, secundum respondentem Ptolemæi rationibus positum, potest. BATAM inter, & extremum Pilisientis Provinciæ, qua jungitur ALBA-REGALENSI, Pagum, TÉTÉNUM, Annalista Patrius scribit, constructam fuisse, opinione quorundam, Latinorum Urbem *Potentianam*, quam nos *Mogentianam* potius appellandam alibi diximus, cum *Potentianæ* nullus, quod sciam, apud vetustiores mentionem invenerit. Si quæ fides memoratis modo Fastis, Urbs hæc ÉRDENSEM occupabat agrum, & atrocissimo Scytharum, ac Romanorum prælio inclaruit. Actitasse sui securos in Urbe *Potentiana*, Castris SZÁZ-HALOMIENSIBUS, ac in apertis campis asserit laudatus Joannes Turoczius Romanos, quod integro Danubii flumine dividerentur a Scythis. At hi grandes tranare utribus assueti amnes, intempesta nocte infra Sicambriam Danubium superarunt, ac somno oppressos Romanos aggressi, ingentem palabundis cladem intulerunt, seque non nisi diluculo TÁRNOKENSEM (est pagus ÉRDUM a septentrione respiciens) ad vallem receperunt, pugna, & vigiliis fracti. *Matrinus*, & *Detricus* (quos alibi diximus *Macrinum* & *Theodoricum* vocandos esse) collectis e metu animis, quem in castris, ac urbe habebant reliquum, per-

quam

quam numerosum, militem educunt, ingentique furore in Scythas invec̄ti, CXXV. millia eorum cædunt, amissis suorum CCX. millibus. Hinc etsi loco cesserint Scythæ, eos tamen insequi Romanis visum non est. Occubuit hac in pugna *Keve*, Scythicorum Ducum unus, conditusque est BATENSI in territorio, quod ab eo nomen deinde accepit: KEVE-HÁZA; eo utique loco, in quo reperta est grandis columna lapidea anno MDCCXXXII. quam Antiquarius quidam ALBA-REGALENSIS Romanorum fuisse autumat; id quod nobis non officit, nam *Keve* cum *Kadicba*, *Bela*, & *Attila* ad Romanum quoque monumentum terræ mandari potuere. Prælium hoc longe ferocissimum commode referri potest, ad annum Christi CCCCX. Nam ut decennio prius hæc esse gesta assentiar, a me impetrare non possum. Duos hanc in rem constituo limites, quosdam veluti polos, ad quos respecto; alterum: Attilam regnasse illico ab hoc prælio, alioque, paulo post secuto ad *Zeiselmarm*, inferioris Auftriæ oppidum, regnumque ad annos XLIV. produxisse; alterum: orbem illo DEI flagello non ante annum salutis CCCCLIV. liberatum esse. Prius illud non inficiatur Annalista noster Parte I. Chron. Hung. Cap. XIII. & XXII. posterius conficiunt Attilæ gesta, qui per Italiam circumferebat populationes anno adhuc CCCCLII. Demum autem hæc Attilam gessisse opera Ducum, domi Regem resedissee, postremosque quinque annos Budensi in Regia deliciis infamasse. At certe Maximinum Senatorem, Virum consularum, pro Theodosio Imperatore Legationis Principem, sua accepit ipsemet Moldavica (quod acute observat Timon) probabilius in Regia, anno CCCCLVIII. hoc est triennio post, quam extinctum Patrius ille Scriptor putet; relicta anno vertente Moldavia, Budam venerit, ibique voluptuarium quinquennium illud, proprio sanguine suffocatus, terminavit. Hæc per occasionem. Infra BATAM, ERTSI pagus est; tum ADONIUM oppidum, demum PENTELE vicus, a prædio cognomine, ALBA-REGALENSI Urbi adsito, diversus. PENTELÆO pago respondisse Romana, quæ nescio, Pentalia, ait nonnemo. Samuel autem Timon, & ex eo Belius in Notis ad Turoczium, ADONIO

Mogentianam.



CA-

CAPUT DUODECIMUM.

DE
COMITATU SIMEGHIENSI.

§. I.

SOMOGYIENSIS *Comitatus commoda, & fines.*

SIMEGHIENSIS, sive SOMOGYIENSIS Comitatus, Hungarice SOMODGYSÁGH, interdum etiam, quamvis perperam, *Sümeghiensis*, a *Sümeghino*, quod reapse ad Szaladiensem Provinciam spectat, oppido derivatus, genuinam denominationem traxit ab arce SOMODGY. Protenditur a *Balatbone* lacu, inter Hungaricos celeberrimo, *Szigetum* usque, medius inter Albensem, Tolnensem, Szaladiensem, ac Vespriemensem, quin, parte modica, Baranyensem quoque. Ab agrorum fertilitate, ferarum, aviumque copia, vinetis, & pecoribus multum celebratur. Bina præ aliis eminent loca, a vino dilaudata: BADACSON impendens Balathoni supra Szigligetum, & SOMLYÓ, paulo remotior a modo memorato lacu, propius Csobánczensem arcem affurgens. Utrobique natum vinum auri colore fulget, quamvis generositate Tokaynis, dulcore Sirmiensibus concedat. Quantum autem est iis tantillum cedere, quibus, nescio, num aliqua orbis vina citra injuriam conferas. Multi sunt, in dilaudando harum partium vino, Corvini Regis necessarii; ne cui videantur nimii, suum, alieno corrigat gustum. Supremo Comite viduata est hæc Provincia ab anno superiore, obitu præmaturo Illustr. D. Comitis Alexandri Antonii Patachich de Zajezda, cujus funeri multum ingemuit Hungaria univèrsa.

§. II.

*Antiquitas Comitatus SIMEGHIENSIS, & cum ejus
Duce Kupa S. Stephani bellum.*

Regionis SIMEGHIENSIS, in formam Comitatus, vel Ducatus redactæ ex eo elucet antiquitas, quod ipsa D. Stephani ætate, vix dum Reipublicæ gubernaculis admoti, Simeghiensis Dux Kupa iis fuerit vi-

ribus, ut bellum Christianæ Fidei, a Stephano dilatata, inferre non dubitaret. Primum, quod destinavit ad ictum, Vesprium erat. Hoc concitata subiecta plebe, ac vicinis quoque idololatriæ arcta obsidione premere aggressus, sancta Stephani, adhucdum Ducis, consilia tantisper interceptit. Sed æquior erat sanctissimi Principis causa, quam ut vel dubiam impietas ferret palmam. Ducibus Paznano, Cincio, Orthio, Hunthe, Vencellino, aliisque protrita est parricidarum sacrilegorum protervia, secundum preces, ac vota Stephani plurimum ad victoriam conferente Vencellino; qui singulari certamine congressus cum Cupa, impio caput demessuit, profanas cohortes dissipavit. Atque hæc est illa nostris in Fastis decantata victoria, cujus fructus maximam partem in utilitatem cænobii Sancti Martini cessit, attributis omnium rerum, etiam liberorum, e Simeghienfi Provincia Decimis, ac tertia spoliiorum parte sanctissimi illius Turonensium Episcopi, Pannoniæque civis gloriosissimi, Templo, ut habet Bonfinius, appensa. Repete hic animo, Lector, quæ de Martiniani ætate Cænobii a nobis antea constituta sunt. Nisi enim Religiosa illa Domus ac Templum constitisset vivo Geysa, haud multo post ejus obitum moti belli spolia eidem appendi nequaquam potuissent. Verum de hoc fat ante.

§. III.

De Lacu BALATHONE.

PRIUSquam oppida, & arces SOMODGYIENSIS Comitatus demore lustremus, mare illud Hungaricum, BALATHONEM ajo, Germanis *Platten See*, qua licet, metiamur. Influit in lacum hunc fluvius Sala, quodque propter pagum *Fok* effluens in amnem *Sárvizium* se ad *Simon-Tornyam* exoneret, alibi memoravi. Itaque nec est operæ pretium, communicationem cum oceano Mediterraneo, aliove mari sollicitè rimari, ut confictas quasdam, ac in vulgi cerebro natas merfarum navium tabulas subterraneos per meatus reducamus ad Antipodas; nec occultas comminisci causas, qua tandem ratione fiat, quod influxu amnis non minimi, Salæ, BALATHONIS lacus non intumescat? Nam tantundem per alveum *Sionis* effundi, quantum Sala vehit aquarum, & captu facile, & curiosis exploratum est. Mensus est BALATHONEM Brodericus, & ab accolarum sententia pronuntiavit, longum esse tria supra decem passuum mil-

millia, quin tamen latitudine æquet stagnum Neüfidlenſe. Qui recentioris cujusdam Geographi ſena duntaxat milliaria longitudinis, bina, ternave latitudinis, BALATHONI tribuentis, mavult deferre opinioni, diei ſpatio lacum hunc circumeat, ut antiqua vulgum ſententia dimoveat. Altitudo nulli ſat cognita eſt. Piſces præ aliis trans - Danubianæ Hungariæ aquis ſapidos alit. *Volcæam paludem* eandem eſſe cum BALATHONE, non eſt, cur iterum de multorum iudicio contendam. Quare nec Dilli- chio, quod ſuper his opponam, habeo, nec Zeileri aſſertionibus quidquam detractum volo.

§. IV.

Limites Comitatum SOMOGYIENSIS, Tolnenſis, & Baranyienſis auctoritate Palatinali declarati.

AD afferendam lucem quoad controverſos limites inter Comitatus SI- MEGHIENSEM, *Tolnenſem*, & *Baranyienſem*, arces item, pagos, & oppida, ſuis quæque regionibus adſcribenda, plurimum juverit quasdam Pauli S. R. I. Principis Eſzterházy de Galantha, Pro-Regis Hungariæ literas in medium proferre. Debemus illas Inclyto Comitatu Baranyienſi, nec inſigne hoc ornandæ Patriæ ſtudium, eliciendæ veritati accommodatiſſimum, in recordatione non gratiſſima habere non poſſumus. Sic autem authenticum Palatini teſtimonium habet ad verbum:

NOS PAULUS, DEI Gratia Sacri Romani Imperii Princeps Eſtoras de Galantha, perpetuus Comes in Frakno, Regni Hungariæ Palatinus, Judex Cumanorum, Aurei Velleris Eques, Comitatum Sopronienſis, Peſt, Piliſ, & Solth Supremus Comes, nec non Sacraſſimi Principis, ac Domini, Domini Leopoldi DEI Gratia Electi Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatia, Sclavoniæque &c. Regis, Archi-Ducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ &c. Intimus Conſiliarius, Camerarius, partium Regni Ungariæ cis-Danubianorum, Conſiniorumque Antemontanorum Supremus Generalis, & per dictum Regnum Ungariæ Locumtenens.

Damus pro memoria, quod poſteaquam nobis anno proxime præterlapſo MDCXCV. metis inter Comitatus de *Baranya*, *Simeghiienſis*, & *Tolnenſis* controverſis ex commiſſione Noſtra reambulatis, & perluftratis ſuper

inde relatio facta fuisset, certumque super decisione illius controversiæ mentalis inter attactos Comitatus vigentis in diem XII. præsentis Mensis Martii, anni nunc currentis infra scripti in Liberam, Regiamque Civitatem Pofonienfem attactis partibus præfixiffemus terminum, ac in eodem Ablegatis præcitorum Comitatum coram nobis comparentibus, & præsentibus cum nonnullis Regni Magnatibus, ac Sacræ, Cæsareæ, Regiæque Majestatis Tabulæ Regiæ Judiciaræ Judicibus, cæterisque juris peritis viris, quos ad latus habere potuimus, pro tribunali confediffemus, ex tunc pro avertenda vel maxime in portionum militarium exactiōe, de facili (uti hætenus sæpius accidit) cum miseræ plebis oppressiōe, & prosequenda confusiōe negotio in præcito, tenoris sequentis judicariam tuliffemus, & pronunciaffemus de liberationem.

Ne juxta contenta libri Regii, præ manibus Inclytæ Cameræ Hungaricæ Pofonienfis existentis, occasione dicationis seu connumerationis portarum in anno MDXXXIV. concinnatæ, Comitatus antelati sibi terminos ponant, consentientibus in hoc ipsis quoque Comitatum Ablegatis. Quantum itaque differentias inter *Somogyienssem*, & *Baranyienssem* attinet, uti ex memorato Libro Regio eruere licuit, pro meta relictus est fluvius, præsidium *Sziget-Vár* circumfluens, ac se cum fluvio *Szent-Galienssi* supra pagum *Okorágb*, ita, ut quidquid infra prædictum fluvium *Sziget-Várienssem* meridiem versus a pago *Szent-Lászlo*, & *Kereszt-Ur* inclusive reperietur, id pro parte Comitatus Baranyienfis manebit, præsidium nihilominus, & Civitas respectu onerum publicorum (salvo jure Diocesani, Comitatus Baranyienfis, respectu Territorii ejusdem loci in eodem Comitatu habiti) pro Comitatu *Simeghienssi* reservatur. Ubi autem aqua *Sziget-Várienssis* modalitate prævia cum *Szent-Galienssi* commiscetur, exinde Dravum versus pagi, & loca infra scripta signanter *Kakics*, *Bogdása*, *Selle*, *Sámod*, *Vaiszlo*, *Kápolna*, *Cserteleke*, *Bessencze*, *Megyer*, cum universis aliis territoriis, infra istos pagos reperendis, itidem Comitatu *Baranyienssi* annumerantur. Pagi autem superior: *Haraszi* penes possessionem *Okorágb*, & quidquid supra ista loca ad septentrionem, uti & quidquid supra fluvium *Sziget-Vár* reperietur, id totum Comitatus *Simeghienssis* obtinet. Inter *Simeghienssem* vero, & *Tobiensem* vigens differentia consopita est taliter: Quod incipiendo a fluvio sic dicto e lacu Balaton, decurrente, oppidum *Hid-Végb*, olim Familiæ

miliæ Török de Enying, uti & *Igab, Kiliti, Fok, Koppáng, Juttb, Adánd, Som, Fölsö-Endréd, Káfok, Gellye, Homa, Szabadi, Pula, Tafzar, Mofdós, Balti, Gyalan, Orszti, Szent-Pal, Szántos, Kereszt-Ur, Szalacska, Szent-Balás, Hagymas, Cserenfa, Gálosfa, Boszínfa, Simonfa*, ac alia universa usque ad *Alma-Mellék* manebunt a parte occidentali, & septentrionali pro Comitatu *Somogyensi*; pro Tolnenfi vero *Nyék, Nyilas, Ozora, Tamasfi, Dömbóvár, Döbrököz, Pinczebelly, & Grábocz*, & quidquid versus orientem jacet, relinquuntur. Quod vero spectat diffensionem inter *Tolna & Baranya* Comitatus juxta Privilegium Belæ III. secundi Geysæ Regis Filii in anno MCCCCIV. emanatum, terra *Maza* erit in Comitatu *Tolnenfi*, cum hac declaratione, ut quidquid supra *Mazam, Tolnam* versus eundo, deprehensum fuerit, *Tolnenfis* Comitatus in se comprehendat, secundum ejusdem Privilegii uberiores explicationem. Unde nos præsentis Literas Nostras Testimoniales sub Sigillo Nostro secreto authentico præscriptorum Comitatum futuram ad cautelam necessarias extradandas duximus, & concedendas. Datum in Libera, Regiaque Civitate Posoniensi, die XV. Mensis Martii, Anno Domini MDCXCVI.

PAULUS ESTERHAZ, mppr.

Constitutis legitima potestate limitibus, firmiore gradiemur pede per istarum Provinciarum civitates, oppida, arces. Et quidem quod præsentem SOMODGYIENSEM attinet.

§. V.

De SZIGETO.

SZIGETUM princeps ejus locus est, quod lingua Slavonica significat Insulam, in qua re quoque ipsa SZIGETUM consistit. Primordia SZIGETANÆ civitatis, & arcis referuntur ad Oswaldum Anthemium, cujus Progenitores sæculo quarto, & decimo feruntur e Græcia in Hungariam venisse. Oswaldus cum opibus floureret, opportunum erigendæ arcis quærebat locum, suas ut res adversus Harpyas (quæ nunquam his oris deerant) in tuto haberet. Visâ est idonea votis Oswaldi Insula, quam efficit rivus Almás, e vicinis montibus defluens, ac alnis, ipsaque planitie impedito cursu, in paludem & stagna evolutus. Hic Anthemius, rotundam

dam primum turrim erexit anno MCCCCL. deque loci positu *Insulam* (SZIGETUM) vocavit. Coërcuit subinde oblongis aggeribus terreis aquæ cursum, effossoque latiore aggere, lacum effecit. Crevit inde locus ædificiis, ac propugnaculis, ut anno MDXXX. Enningius ille Valentinus Turcus (de quo in Pilisensis Comitatus descriptione plura) fat firmum esse crederet SZIGETUM, quo se, suaque adversus Joannis Regis exercitum protegeret; quod etiam cessit e voto. Arx in plano posita, triplici fossa, & quinque propugnaculis munebatur; cui occidentalem ad plagam adhærebat fat ampla civitas, circumdata duplici vallo, fossisque. Munitionis arcis quoque tota erat terrea, dempta vetere illa turri, quæ coctis lateribus constabat, nec tamen alii esse poterat usui, quam asservando nitrato pulveri, ac loco speculæ excubitoribus, hostem eminus adventantem æris campani signo, explicatoque vexillo prodentibus. Inclaruit SZIGETUM potissimum anno MDLXVI. incomparabili virtute Comitis Nicolai Zrini, dum arcem cum paucis suorum fortissime primum tutaretur, deletis vicies mille oppugnatoribus Turcis; deinde sexcentis non plures (alii dimidium hujus numeri duntaxat ponunt) suorum numerans, adversus innumeram barbarorum multitudinem, ac arcis incendio, quod nulla ratione restingui poterat, adactus, sumpto vestitu, quo in præcipuis solemnitatibus uti consueverat, cum eo non Legionariorum, sed Heroum manipulo, in confertos affilientium cuneos erumpit, ingentem in hoste stragem edit, donec duobus, iisque lethaliibus acceptis vulneribus Turcarum domitor esse desisset; dignus, cui, tanquam Hungarorum Leonidæ, plurimorum encomiastarum calami parentarent. Hac ipsa in Insula, atque adeo arcis loco Præmonstratensium stetit Præposituram, indeque Lazari Insulam appellatam fuisse, Annales sacri illius Ordinis produnt. Altera de Samson, inserta titulis Illustris. ac Reverendis. D. Pauli Bartakovics, de Kifs-Apony, Electi Episcopi Almisiensis &c. ibidem florebat. Successere, depulso Turca, Jesuitæ, qui locum, & Paræciam Franciscanis cesserunt.

§. VI.

SOMOGYIENSIS *Comitatus Arces, & Oppida,*
in his Andotsinum.

SZIGETO minores Arces hæc Provincia numerat complures. Nominatiores sunt: CSOBANTZENSIS, DEVECSERIENSIS, SZIGLIGETANA. Prima Bakoniæ sylvæ contermina, præruptoque monti imposita, ab amplitudine, munitione, nobilissimaque cisterna commendatur. Ab Rakocianis contra Rabuttinium cum obstinate defenderetur, Kraitzii Tribuni, acrius incumbentis operi, gloriosa morte amplius inclauit. Declivorem montis partem frequens incolis ejusdem nominis oppidum occupat. SZIGLIGETUM CSOBANTZIÆ e propinquo accedit; naturæ beneficio firmitatem debet, arduæ incumbens rupi, ac imminens Balathoni. DEVECSERUM firmæ munitioni elegantiam quoque ædium conjunctam habet. Murus sat robustus oppidum protegit. Paret juri magnorum Hungariæ columinum Josephi, & Francisci Eszterhaziorum, virtute parium, sanguinis necessitudine Germanorum. In oppidis, præter jam descripta, censentur: MINUS COMAROMIUM, sæculo superiore coercendis Canisensibus Turcis opportunum, jam vallis multatum, censum fert Generali Regni Hungariæ Clericorum Collegio, clara illa Veteris-Budæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli Præpositura, cujus Comaromium hoc minus pars est, donato. TAPOLCZA deinde, & TÖSKEVARINUM, utrumque terreis munitionibus, quibus Canisenses, ac Albæ-Regalis præfidiarii Turcæ ab usitatis prædationibus cohiberentur, dum usus erat, circumdatum. Tum sedes Benedictinæ quondam Abbatix de BABOLCHA, jam Illustris. ac Reverendis. D. Petri Bakich de Lák, Episcopi Bosnensis, juris effectæ; nec non Jacobæ, ac tertiæ Divo Petro dedicatæ; quarum nomina duntaxat retinemus. ANDOTSINUM deinceps, multo Patrum S. J. sudore rigatum, ac prodigioso Divinæ Matris Tempello clarum. Una vox omnium accolarum est, quod postquam percrebuisset Bachienfi in Provincia Calvinii hæresis, præfidentior quidam sectatorum, sacram illam in ædiculam boves induxerit, aræque alligarit. Non ferens hanc improbitatem hominis impuri DEUS, Sacellum occulta vi ab ipsis fundamentis avulsum per tantos terrarum tractus, Danubium, aliosque fluvios

tran-

transtulit, atque proceras inter sambucos collocavit. Fama quoque est, dum sacra hæc ædícula occulta virtute transferretur, eam in prato quodam conquievissè, atque a secantibus forte gramen ruricolis, rei novitate attonitis, DEO, ac Matri Virgini cultum delatum fuisse. Diuturna piorum hominum opinatio certos, quod sciam, non dum habet auctores; omnium tamen sermionibus circumfertur. Unde fit, quod a fideli populo multum frequentetur, cujus largitione affurrexit spatiosius Templum, sed quod arte nulla cum ædícula, quæ vulgo translata creditur, ac sine fundamentis per tot annos vitium non facit, conjungi potest. Positu est ANDOTSINUM a regione Tihaniensis peninsulæ, S. Anniani Abbatia claræ. Memorata in ædícula rem Divinam faciebant Patres S. J. ab anno MDCXL. quin antea quoque per vices, Catholicosque sacris procurabant, vicinas per Provincias ardua illa Barbari dominatus tempestate dispersos. Affulgente subinde malacia, stationem cessere Patribus Seraphicis, qui sub annum MDCCXV. novis aucti accessionibus Matrem piissimam populi concurrentis votis propitiam reddere usitatis religionibus non cessant. Reliqua illustris, quam describo, Dynastiæ loca prætereo, KESZTHELYINI oppidi non meminissè non possum; quod unum, nisi fallor, sit undique Catholicum, suos intra fines ne vernam quidem patiens a Romanis sacris alienum, cum reliqua omnia ejus Provinciæ loca multum ad leges novi Evangelii sint reformata. Priores innumeris infausti de Catholicis Castris transfugii fructus non attingo; novissimum, qui literis nondum mandatus est, quoque Tapsonyium anno superiore plurimum inclaruit, prætereundum non puto.

§. VII.

Memorabilis eventus collectitiæ auri.

TAPSONY porro caput est ditionis, quam SOMODGYIENSI in regione habet Metropolitanum Strigonienfè Archi-Capitulum, Judiciisque Inclytæ hujus Provinciæ, ac publicis congressibus, ut plurimum, frequentatur. Pro integerrimi hujus tribunalis foro librata est proxime præteritis aliquot annis causâ Viri Nobilis, cujus nomini parco; dum tandem omnia transgressum atrox facinus Tribunalia, extremo supplicio plecteretur. Juvat rem ab ovo repetere. Insignior Adolescens A catholicus vi-

sus

fus est idoneus, in quem, exteras per Academias, fucum errori quæsiturum, sumptus de more fierent. Quare *Collectæ*, quas vocant, indicuntur, & validioribus quam liberæ voluntatis largitionibus conferuntur aurei admodum mille. Ad profectiorem jam parabantur omnia, cum neci subducendum voluit suavissimi Numinis providentia. Oculis captus est, ne se committere viæ posset. Itaque sufficitur alter; in exitiale succedit beneficium; præmonentur, ad quos per iter digressurus erat, Patroni; necessaria suppellectili, monitis, consiliis, comæatu, & quod caput est, prædivite scipione; in quem videlicet compacti erant, quos meminî, aurei mille, instituit. Viæ non multum emensus erat, cum ad Calvinianum, e præscripto Patronorum, Prædicantium divertit. Lautam is peregrino apparat cænam, large vino potatum in molliculo componit lecto. Hactenus Basilice omnia; quid autem porro? Candidatus ille peregrinæ sapientiæ non ita indulgit Baccho, ut sibi Lethen bibisse credi posset; quin majorem, ac debebat, sui illius baculi, in quo omnia habebat reposita, gerere, hunc neque, si sederet, stare, cubaretve ab suo latere, manuve dimovere. Animadvertit hoc Pastorem illum; hinc quia ex istis odorabatur, quod res erat, posterum quoque sibi ab hospite juvene donari diem petiit, ut pro sua (ita comminisceretur) in eum voluntate, reapse quo conceptum scelus exequi posset, instituta gentium, ad quas iter arripuisset, exponere, quid ageret, a quo potissimum sibi caveret, expertus edoceret. Facilis hæc in pedicas se se induit peregrini credulitas. Datur dies integer blandis alloquiis; laute estur, more Palatino bibitur, in crastinum iter disponitur; in seram noctem producta fermocinatione incautus juvenis fatigatur; ad brevem opinionem suam, sed quem habuit æternum, se suo cum scipione componit somnum. Inhospitalis ille Curio, ferro armatus, nihil tale somniantis peregrini cubile ingressus, clam subducere tentat scipionem; at quia ab incubante juvene observatus est, nec peregrinus rem suam sibi eripi patiebatur; ne ære, quod jam animo tenebat, frustraretur, & evulgandi attentati sceleris adiret periculum, impacto ferro semisopitum vita proturbat, nemineque (quod vulgo creditur) conscio, terræ mandat. Postero primo mane, quasi de longa peregrinatione redux, humanissime dimissum hospitem, coram ipsis mentitur domesticis. Una parricidam inhumanissimum tenebat cura, ne, si vocaretur in quæstionem, de perduto hac in statione peregrino, baculi, aut æris

repti indicio proderetur. Cui periculo ut se subduceret, diffractum scipionem concremat, nullo, qui sciatur, observante; parricidale vero aurum terra obruit, vestigia clam signante filio. Evenit, quod male præfaga mens præceperat. Candidatum illum artium ad infidam stationem delatum esse, ab ea ad conditam vicinam non pervenisse, tam luculentum patrati sceleris visum est argumentum ipsi ejus auctori, nihil ut in quæstione inficiari, sed ingenua confessione meritas mitigare pœnas conaretur. Interea, dum crudelis ille attinetur carcere, mali corvi malum ovum, filius, rimatur loculum, qui criminofum aurum tegebat, effossoque illo utitur non segniter; epulatur quotidie splendide, amicitur luctuose, hisque inferias agit infami morte sublato patri. Latere publica prodigalitas non potuit iudices; qui hoc indicio proditum comprehendere jubent Troffulum; male partum æs iterum terræ infossum (quod profusum illum superabat luxum) intelligunt, descriptum loculum pervestigant, indicia novi furti reperiunt, nequidquam præterea. Priusquam enim elicita fuisset vera confessio e rapaculo, Szalaius quidam quæstor pecorum, inauspicatum æs illud clam furripuit, animo (ita benignius existimandum videtur) reddendi Troffulo illi, Prædicantis filio, quem brevi absolvendum prævidebat; quod & evenit. Conscelerata hæc duum, aut trium - Virum avaritia portentosæ alterius crudelitatis semen erat; quam idcirco literis committimus, ne, qui Divinarum observantiam legum humanis majorem esse viribus dogmatis loco habent, calloque hoc, conscientis obducto, occæcati, dum nescio, quem tyrannum, aut amentem sibi legislatorem effingunt DEUM, atque idcirco nec vindicem futurum timent; ipsa immanissimorum atrocitate criminum perstricti cognoscant, in quæ discrimina sese præcipitent, cæca illa opinione; quando monstro simillimum est tam supremum illud Numen culpa laceßere, si rigidum in eo te habere meministi vindicem; quam a concatenata scelerum perverfitate immunem vivere, quæ declinari non posse, cynosuram fidei, moribus constituas normam. Sed redeo ad institutum.

Szalaius per crimen alienum (an item & suum? non definitio) partis diu frui non licuit. Vix enim labuntur dies aliquot, cum convenitur ab eo Viro Nobili, qui principem hac in scena personam geret, aliquot centum Rhenanos mutuos petente. Non abnuvit Szalaius, in posterum diem addicit; ne extemplo petita faciat, obtendit: annutu eorum se habere opus, quo-

quorum societate uteretur in quæstu. Fama est : petitione mutui explorasse duntaxat sanguinarium illum, haberetne præsentem Szalaius pecuniam ? quem, vestigiis quibusdam affecutus fuerit, in possessionem infandi illius æris venisse ; ac proinde facilitate illa confirmatum latronem ad exequendum conceptum scelus fuisse. Accessit his, quod obvium forte arripiens codicillum Szalaianum, nomen ei suum legerit insertum, quo debitor acceptorum jam antea quingentorum Rhenanorum agebatur ; hos belluinus homo ab se redditos vociferabatur, utque ad rixam facilius concitaret Szalaium, apocham dilacerat, probra congeminat, & tantum non verbera expedit. Furiis tantisper intercessit moderatio Szalaiana ; quas tamen sedare non valebat. Nocte intempesta stipatus quatuor sociis flagitii, in ædem dormientis invadit. Quæ prima extimo in limine occurrit ostiaria, postes, ut rebatur, amico heri sui reclusura, prima fatalem excepit ictum ; successit stabularius, atrocius peremptus ; tum proxima partui Szalaiana pellaca, quam propediem sibi matrimonio sociandam domi attinebat. Altum hæc inter dormiebat scopus tot cædium, Szalaius, nec ante parricidam adventare sensit, quam cum dirissima morte, adacto in præcordia ferro, luctaretur. Quatuor jam exanguia jacebant cadavera, & clausus pellacæ utero propediem edendus in lucem fœtus, nec superabat, quæ immolaretur feritati, nisi una innocens victima, simus Szalaianus infans. Agnum hunc innocens balatus prodidit, ac ad necem destinavit. Dum supellex diripitur, qui antea vixdum timere norat, pupus, tot funerum auctorem affatur : Domine, inquires, Patrine (nam hunc ipsum levarat e Baptismo parricida) mihi saltem donet vitam. Omnibus furiis implevit vox illa barbarum, quod se prodendum a puerulo metueret. Nec mora, irrui in infontem, & repetitis ictibus innocentem animam e corpusculo proturbat ; tum securius expilantur scrinia, effringuntur cistæ, merces a coryphæo facinorosis addicta, dependitur, *exultat, sicut victores capta præda, quando dividunt spolia* ; fors & illud sibi occinebat : *Lex iusto non est posita* ; non occides, non furtum facies, scita sunt, quæ nec nos, nec patres nostri servare potuerunt. Atrocissimæ crudelitatis exemplum spectavimus, nunc ultorem DEUM proponamus ; nequis mortalium existimet, ullis tuto condi crimen tenebris, aut ad vindictam deesse Nemesis piissimo cœlo.

Digressi suas quisque in ædes homicidæ sunt, a peracta cæde, faventibus adhuc tenebris, dempto uno, qui, seu quod paulo remotius mapale incolet, seu verius, Divina Justitia ultionem disponente, nonnisi sub primum diei diluculum. Madebat idem hic a dira illa laniena præ aliis; hinc ne suspicioni locum faceret, indusium in præterlabente rivo lavit, observante id vicina muliere, dubia tamen luce, quid macularum elueret? non penitus discernente, atque idcirco facete cum cruento exoptulante: Probro cedere fæminis, quod ad eluenda indumenta viri damnentur. Gravius tunc jocantem redarguisse fatis habuit spirans adhuc minarum, & cædis, homo crudissimus; at anno vertente addet verbera, levi verbo laceffendus; id quod prodendo ausui nefario dabit occasionem. Postridie fama diditur dirissimi latrocinii; cujus suspicionem quo longius ab sese amoliretur auctor, spargit in vulgus: Non alium, quam quæstus socios, mortem Szalaio, cæterisque conscivisse. Commentum hoc tam scite componit, ut communi omnium sensui iudices quoque deferrent, quæstos in suspicionem vocatos, in vincula conjicerent, quæstionibus admoverent, nec, nisi duris probatam eorum innocentiam, libertati restituerent. Hæc inter ad diem annus revolvitur, cum, nescio, qua verbositate paulo ante memoratæ mulieris provocatus lotor ille sanguinarius, probris addit verbera; quibus exasperata mulier, quod anno superiore, cædem sæcuto primo diluculo, viderat, ortamque in animo suo tunc eluti suspicionem sanguinis, Judicii Nobilium detegit. Hic pro insigni suo in justitiam zelo hominem comprehendi, vinculis onustum, socios, & auctorem immanis flagitii prodere jubet. Eripuit severior illa præceptio omne verbum homicidæ, quo crimen inficiaretur, quin (ut semper timida, suspicaxque est rea conscientia) comperta jam culpa sua se teneri ratus, universa ordine detegit, omni supplicio se dignum profiteretur. Satis id erat, ut in vincula conjicerentur complices; at Coryphæus, dum in eum lege Patria agendum decerneretur, quod in compluribus Comitatus ditiones haberet, latibula tamdiu mutabat, donec ejus criminis administri meritas dependissent pœnas. Jam vero etsi concordi voce omnium quatuor complicum unus ille concepti hujus facinoris reus ageretur, tamen quia morti proximus horum unus sua tantisper nutabat in fassione, nescio quibus ad id pellectus momentis, ac insuper aderant alia quædam, parricidæ æqua indicia, quamvis illa meridiem

diem veritatis haud eripientia; ad dicendam causam venire detrectabat, nisi obtentis, quas petebat ab Augusta, liberi commeatus literis, quas saluum conductum appellamus. At illa barbari facinoris crudelitatem edocta, de rigore legis detrahendum aliquid clementia non putavit, quin severæ exemplum justitiæ edendum edixit. Paretur sanctissimo imperio; scelus tenetur; judicatur; condemnatur; Regiam appellat ad Tabulam; ob attactas rationes absolvitur; Septem-Virum suprema sententia, justitiæ perquam consonum laudatissimi SIMEGHIENSIVM Tribunalis placitum approbatur; novis causam agendi momentis veniam adhuc petit reus, obtinetque; sed quod nihil admodum tam firmum adferret, quo vitam protegeret, capitali animadversum est in eum sententia, ad extremum usque halitum delicta inficiantem, hæresique, cui innutritus erat, adhærentem. Atque hic est infausto collecti omine illius auri exitus, cujus occasione uni visus ereptus est; complures, nihil tale commeriti, carcerum squallore, & quæstionibus examinati sunt; septenos, quod sciam, innocuos dirissima crudelitas enecuit; senos justitia promeritis addixit suppliciis; memorabili argumento: tot malle DEUM permittere flagitia, quam ut vel unus firmetur in errore, quem in credulam transfundat plebem.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

DE COMITATU TOLNENSI.

§. I.

TOLNENSIS *Comitatus limites, ac supremi Comitatus dignitas.*



TOLNENSI Comitatus dedit nomen TOLNA oppidum, ad Danubium, XVI. miliaribus infra Budam positum. Erat olim, ut ex ruderibus etiamnum apparentibus con-
jicere licet, celebrius; nunc ædificiis quidem humile, non tamen infrequens. Oppidum hoc imperiti quidam, ob affinitatem appellationis, male cum *Tulna* Austriæ confundere. Dirimitur hic Comitatus Danubio a Solthiensi, & Bachiensis, ortum versus contiguus; ab occasu Si-

meghienſem; a ſeptentrione Alba-Regalenſem, cum Veſprimienſi; a meridie denique Baranyienſem vicinos habet. Supremum Comitem hodie veneratur Excellentis. Illuſtris. ac Reverendiſ. D. Comitem Sigismundum Berény de Karancs-Berény, Perpetuum in Bodok, S. C. R. M. Intimum Actualem Confiliarium, Episcopum Quinque-Eccleſienſem; cui Prælatu-
 turæ dignitas illa cum titulo perpetui Comitis e Privilegio annexa eſt.

§. II.

Diviſio, fluvii, ſoli natura, & oppida Comitatus TOLNENSIS.

IN tres hæc Provincia Diſtriçtus, five *Proceſſus* diſpeſcitur, paluſtribus fluviis *Sárvizio*, *Kapos*, *Koppány*, & *Sione* irrigua. Qua parte ad Danubium recedit a *Sárvizio*, plana, & campeſtris, modicisque fylvis, ac montibus (ſi ripam Danubii, amplioribus fylvis, altioribusque montibus coronatam excipias) intercallantibus amœna, frumenti, & potabilis vini ferax eſt. Eundem fere ſitum habet, qua fluviis *Sio*, *Koppány*, & *Kapos* clauditur. Nam depreſſis montibus, amœnisque fylvis interpolatur, majore ſui parte campeſtris, frugum, ac vini, priori ſupparis, apprime ferax, nec non cultis frequens oppidis. Primus prædictorum fluviorum e lacu Balathone, Comitatum Veſprimienſem inferiore parte alluens, Szaladienſem autem, & Simeghienſem dividens, originem ducit; *Koppány* vero, & *Kapos* e Comitatu Simeghienſi promanant. In oppidis cenſentur: OZORA cum Caſtello, recens e ruderibus reſtaurato; TAMÁSSY, DÖBRÖKÖZ, DOMBOVÁRUM, ampla olim caſtra ſolis ruderibus prodens, ac PIN-CZEHELY, quæ ad Celſiſſimum Majoratum Principum Eſzterházy de Galantha, Perpetuorum in Frackno, ſpectant. His adde IREGUM, Comitis Jobi Viczay de Loos, & Hederwara. Parte demum tertia, quæ infra *Kapos*, & *Sárviz* Comitatu Baranyienſi terminatur, in præaltos aſſurgit montes, ac fylvis denſioribus, umbroſa eſt. Portio hæc ut tam frugibus, quam vino eoque ſuperioribus inferiore, ſoletur œconomum, induſtrio, ac laborioſo habet opus colono. Eſt tamen & huic ſua commoditas, quod non perinde, quemadmodum duæ reliquæ, lacunoſa ſit. Præcipua, ac frequentiora tertiæ hujus regionis loca ſunt: HÖGYÉSZ, caſtro Comitis

mitis Mercis de Argentoau (cujus Dominio in Comitatu TOLNENSI nomen impertit) aliisque œconomicis ædificiis memorabile. TEVEL item ZOMBA, & BONYHÁD; hoc æde Domini sui Provinciæ istius Vice-Comitis ordinarii Josephi Perczel de Bonyhád; illa jure avito, ac domiciliis Dominorum itidem suorum Ignatii, & Adami Döry de Jobaháza, decora. Demum si copiam incolarum spectes, quæ ex partibus Germaniæ, Suevia, Franconiaque potissimum in hunc districtum nuper ductis coloniis confluit, aliarum Regni partium, post ejectum Turcam impopularum, haud inferiora reperies oppida.

§. III.

De Oppido SIMON-TORNYA.

PEculiarem sui memoriam petit SIMON-TORNYA; cultum præ aliis oppidum, in quo Comitatus TOLNENSIS curiam habet, & suos conventus agit. Situm est infra Albam-Regalem, solidis quinque Hungaricis milliaribus, intra late diffusos paludinosos fluvios *Kapos*, & *Sio unius horæ spatio* abhinc, in ampliorem amnem, perinde palustrem *Sár-Vizium* delabentes, ac formam Insulæ efficientes. Arx ibidem, potissima sui parte ruinata, habet incolam Dominum suum Comitem Carolum a Lymburg-Styrum. Postremam defolationem novissimis motibus intestinis adscribit; quorum occasione ab Haistero anno MDCCIX. Rakocziani præfidiarii omnes in servitutem sunt redacti. Ipsum oppidum interius altis descriptorum fluviorum aquis pro vallo undique septum, tum ad orientalem, tum ad occidentalem continentem (illac tamen frequentius) protenditur; Conventu quoque Patrum Franciscanorum Provinciæ Marianæ ornatur, ac vino generoso gaudet.

§. IV.

De Abbatia SZÉXARDIENSI.

TERNAS ex vero TOLNENSI Provinciæ Bonfinius attribuit Abbatias. Prima juxta modernum scribendi modum SZÉXARDIENSIS, Divinissimo Salvatori sacra, intra Diocesim quidem Quinque-Ecclesiensem, Jurisdictioni tamen Strigoniensis Archi-Capituli subest. Fundata est anno MLXI. a Bela I. Rege, amplissimisque dotata latifundiis, redditibus, juri-
bus.

bus. Habuit olim Sacerdotii hujus Præful suos, quos vocant, Libertinos, seu Nobiles Prædiales, Patrio vocabulo *Exercituanes*; quorum munus erat: militare; & præter incolas pagi FAISZ, in Comitatu Solthienfi positi, idque Privilegium etiamnum retinentis, debebant in districtu *Sár-Köz*, quem Danubius, & *Sár-viz* amnes brachiis suis interfecant, ac in Insulam triangularem eo loci, ubi *Sár-viz* ad oppidum BATA Danubio mergitur, coarctant. Prædiales hi Nobiles habebant ad normam majorum Comitatum pro Magiftratu Vice-Comitem, Judices-Nobilium, Juratos Judiciaræ sedis Assesores, qui justitiam administrabant, patente ad Abbatem, tanquam Tribunal superius, appellatione. Uberiore adhuc donati sunt prærogativa anno MCCLXVI. per Abbatem Tobiam. Verum per consecuta disturbia ad sortem ordinariorum colonorum redacti, ipsam pristinae libertatis memoriam amiserunt. Benedictinæ Familiæ primum donatum erat hoc Sacerdotium; jam vero Comitem Joannem Josephum Trautson, & in Falckenstein, Ecclesiarum Metropolitanæ Salisburgensis, & Cathedralium Passaviensis, ac Olomucensis Canonicum, Dominum, & Abbatem veneratur. Conventus, qui olim humili in colle steterat, uti & Ecclesia, per modo laudatum D. Abbatem restaurata, & in magnifici Palatii formam mutata est. Vino denique SZÉXARDIENSI eximia laus a plerisque, præcipue expertis, tribuitur, quod a Sirmiensi secundum est, Budenli autem fere præstat.

§. V.

De Abbatia BÁTENSI.

ALtera Abbatia de BATA Divi Michaëlis Arch-Angeli nomen præfert; a qua recentior quidam Báthiensem Comitatum, tanquam diversum a Bachienfi cum Ranzano suspicabatur, cum reapse ad Comitatum TOLNENSEM spectet Abbatia hujus ditio. Habebat canobium, præalti montis lateri impositum, quod rudera testantur. Oppidum nominis ejusdem, juxta *Sár-Vizium*, Danubium usque, in quem *Sár-Vizius* influit, bene populosum, protenditur, olim apprime frequens. Est ejusdem Abbatia & aliud oppidum, priore majus, ubi olim, si rem ruderibus metiri libet, magnifica stabat sedes Abbatialis, quod nunc quoque non contemnendis ædificiis cultum moderatoribus Domini hospitium præbet.

De

De Ethimologia nominis traditione fertur, ex BÁTŤA-APÁTUR-SZÉK contractam nomenclationem ferre. Redditibus ex piscatu, & generoso vino sat amplis dotata est hæc Abbatia, parebatque olim Benedictinis; jam vero Eminentissimo Principi, ac S. R. E. tituli S. Chryfogni Presbytero Cardinali e Comitibus a Kollonich Archi-Episcopo Viennensi, Protectori Germaniæ S. C. R. M. Intimo Actuali Consiliario.

§. VI.

De Abbatia FÖLDVARIENSI.

Tertia TOLNENSIS Provinciæ Abbatiarum est SANCTÆ HELENÆ DE FÖLDVÁR, ad Danubii ripam ab oppido *Simon - Tornya* quatuor Hungaricis milliaribus orientem versus posita. Quondam & hæc S. Benedicti filiorum erat; hodie amplo proventu ditata Serenissimum Josephum Darmstatt, Landgravium Hassiæ, Principem Hirschfeldæ, Comitem in Kazenellenbogen, Diez, Ziegenburg, Nidda, Schamburg, Isenburg, Ozüdingen, Episcopum Augustanum. Oppidum ipsum inter TOLNENSIA populosissimum est, exemptam habens a Jurisdictione Quinque-Ecclesiensis Episcopi Paræciam, ac proinde primæ in Hungaria fedi immediate subiectam. Addit huic Provinciæ appendix Pazmaniana Abbatiam quartam B. V. M. *de Ivan*, quæ vox, ab Illyris promanans, Joannem Latio sermone significat. Locus hic jam communiter ponitur a Geographis infra Zombor, Bachiensis Comitatus oppidum; adeoque pertinet ad Archi-Episcopum Coloczensem.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

DE COMITATU BARANYENSI.

§. I.

Ambitus, Partitio & Supremus Comes Comitatus BARANYENSIS.

BARANYENSIS Comitatus ad confluentem usque Dravi, & Danubii extenditur, habens ab Oriente vicinum Bachiensem, a quo per Danubium dirimitur; a meridie Veröczensem, antea inferiori Sclavoniæ applicatum, recens vero Hungariæ redditum, interlabente flumine Dravo discretum; ab occidente

Simeghienſem per amnem Alma; a ſeptentrione modica parte eundem, potiori autem Tolnenſem, diviſum rivis Kapos, & Egrégy; quorum hic e monte Manſcheto decurrens in Sár-Vizium, ponte jungitur ad HIDASUM pagum, inde KIRÁLY-HIDJA dictum. Ad afferendam hiſce lucem, facit adducta Cap. XII. §. IV. deciſio controverſæ inter Comitatus BARANYENSEM, Simeghienſem, & Tolnenſem, diu de metis agitatæ, tandemque ex compromiſſo partium, ſententia Palatinali in Civitate Poſonienſi anno XCVI. ſæculi ſuperioris terminatæ; quæ tamen propter mox conſecutos inſtanti belli motus ſperatum finem in præſens uſque quoad omnia ſortita non eſt. Præſtantiffimæ huic Provinciæ (cui ſemper ſumma cum poteſtate idem præeſt, qui Epifcopio Quinque-Eccleſienſi, hodieque utrumque munus ſumma cum laude, & ſubjectorum utilitate implet Excellentiff. ac Reverendiſſ. D. Comes Sigismundus Berény de Karancs-Berény, Perpetuus in Bodok S. C. R. M. Intimus Actualis Conſiliarius) datæ appellationem exigui nunc nominis oppidum BARANYA-VÁR; quod ſitum eſt ad fluvium KARASSUM; intra cujus ibidem fluxum, qua a meridie vergit orientem verſus, late protenſas paludes in inſula viſuntur prædictæ arcis rudera, adhuc exſtantia. Diviſus eſt BARANYENSIS Comitatus in quatuor diſtrictus, ſeu regiones, quas Proceſſus dicunt, nempe *Baranya-Várienſem, Sikloſienſem, Quinque-Eccleſienſem, & Trans-Montanum.*

§. II.

Fluvii BARANYENSIS Comitatus.

INter memoratos jam amnes, Comitatum BARANYENSEM alluentes, primo loco nominandus eſt *Karaffus*, qui prope oppidum PÉTS-VÁRAD ex monte ferreo (*Vas-begy*) delabens majorem partem hujus regionis interſecat, dum tandem infra antiquam, & ruinatam arcem KÖSZEGH Danubio miſceatur. Alter memorabilis fluvius *Okor* nominatur. Erumpit intra montes *Merſcbeti* a parte boreali ex profunda caverna, ac decurrit occidentem verſus uſque ad vicum HELES-FALVENSEM, infra quem cum aliis rivulis adeo paluſoſam efficit planitiem, pone pagum SANCTI GALLI, ut ponte ſexieſmille pedes geometricos longo debeat inſterni, quo in adverſam ripam trajici queat. Demum prope OKOR-AGUM

AGUM pagum Alma fluvio receptus nomen amittit. Succedit huic *Csele* rivus non tam celebris magnitudine, utpote qui vicinos intra montes e tenuibus coalescit scaturiginibus, quam periculo, quod intumescens torrentibus, pluvio cælo concurrentibus, crebro viatoribus causat. Expertus id est nullis pro merito lacrymis eluendo Hungariæ damno Ludovicus II. Regum nostrorum desideratissimus; qui dum inauspicatissimo illi ad Mohácsum prælio, rebus perditis, se vellet subducere, jamque in adversam lacunæ ripam eniteretur, a prolabente retrorsum obrutus equo, immatura, indignaque morte sublatus est, & cum eo prima gloria gentis nostræ.

§. III.

De nomine **QUINQUE-ECCLESIENSIS**
Civitatis.

QUINQUE-ECCLESIAE, Episcopalis, & clarissimi Canonorum Collegii Civitas perelegans, situs amœnitate, aeris clementia, soli bonitate, plerisque Hungaricarum felicior, nulli non conferenda, ipsi adeo climati Hesperio simillima, ætate nostra princeps, & caput est Provinciæ BARANYENSIS. Non vacat penitus immorari, unde sibi adsciverit nomen. Quid enim refert, seu sortita sit hanc appellationem a numero ordinis, quod quinto loco a sancto Stephano erectus isthic Episcopatus fuerit; seu quod quinque intra pomeria Civitatis istius, viciniave constiterint templa? Quanquam, si, quod res est, velim edicere, neutri horum aliquid deferre ausim. Nam si constitutorum Episcopatum rationem quis habet, is ipse ordo foundationum in controversia est; & ultro admisso illo, non **QUINQUE**, sed **QUINTA ECCLESIA** dici Civitas debuisset. Deinde quid nudæ illi, & omni momento destitutæ assertioni adhærere suadet, qua præfidenter Civitati nostræ propinquas fuisse quinque Ecclesias nonnulli contendunt? Budam meminimus anno XXII. supra decimum Æræ Christianæ sæculum Christiano Templo caruisse; facilis fidei audiat, qui tam remotum a Divi Stephani Regia locum ante constitutum illic Episcopium, quinque admodum Ecclesiis illustrem fuisse credat. Veritati propius accedit Ladislaus Turoczius, Civitatem dictam a Templo principe, quatuor majoribus sacellis, quæ templa dici queant, coronato. Verum si istud amplectimur,

vel nulla Civitas erat, ubi stat, de qua fermocinamur, vel ad annum usque MXL. nomine carebat, dum Basilicam illam eduxisset Petrus. Quare illud opinioni meæ accommodo, quod idem Scriptor cultissimus addit: „Ætate „ Divi Stephani nomen loco Pente fuit, quemadmodum a doctissimo „ æque, ac probatissimo Viro, Capituli ejusdem (ut vocant) Lectore ac „ cepimus, dum Urbem illam coleremus. Aiebat ille: In Diplomate San- „ cti Regis hæc verba exstare: In Civitate nostra Pente &c. quod quia „ Græcis idem sit, ac Quinque; fieri potuit, ut Ecclesia Episcopali posita, „ Latine redderetur: QUINQUE-ECCLESIAE. „ Ita ille non suo ma- „ gis, quam meo proposito accommodate. Ego enim existimo: non solum dum Templum a Petro absolveretur, stetisse Civitatem, sed Stephanæ etiam ætate. Scribit eam Münsterus Peucinis a populis constructam fuisse, atque inde Peucem nuncupatam. Accessit illi quintuplex Ecclesia; quidni, ut a candore Regiæ, vel Templi, Antianarum (seu quæcunque tandem Civitas illa fuerit) nomen in Albam transit; ita *Peuce* in *Quinque Ecclesias*? Nihil detractum volo ista opinione mea Scriptori elegantissimo, nihil illustri illi viro, de quo haustum est nomen Civitatis *Pente*. Quod ajo, illud est: hac etiam tempestate ita scribi a nonnullis *Peute* (*Pente*) ut ne scias, *Peucène* an *Pente* legas? Exemplo sit, inter innumera alia, Parte II. Chron. Turocz. Cap. XCVII. *Bercud*, quod alii clare putant scribendum: *Berend*.

§. IV.

Fundatores Civitatis, & Basilicæ QUINQUE-ECCLESIENSIS.

SECUNDUM Veteres illos, conditorem QUINQUE-ECCLESIARUM merito dixeris sanctissimum Regem Stephanum, ob constitutum anno MIX. X. Kal. Septembres illustre illud in honorem Divi Petri, Apostolorum Principis, Sacerdotium, & amplissimum Canonicorum Collegium; Amplificatores autem, tum Petrum Alemannum, tum Ludovicum I. quorum ille grandem illam etiamnum Basilicam, Principibus Apostolorum, a primo Regum Hungariæ magnificentissime construi cæptam, Regie absolvit, quæ una reliqua est e monumentis primorum Regum nostrorum, & amplitudine nulli Hungaricarum concedit. Stipat illius dextrum latus dignum Germano Rege Mausolæum, in quo Petrus ille condi voluit. In adi-

tu

tu Regii hujus Conditorii objicitur aspectui lapis, cui vitam, ac vicissitudines Petri Regis incisas legas. Habet moles eadem & Catacumbam, ter mille hominum capacem. Porro posteaquam facerrima hæc ædes anno MDCCXXXVI. dotem suam, qua olim fruebatur, parte aliqua, bona Caroli VI. Imperatoris pietissimi, gratia recepisset, illico ab inveteratis injuriis vindicari cæpit, sensimque pristinum enititur ad fulgorem.

§. V.

De Pallio **QUINQUE - ECCLESIENSIBUS**
Episcopis per Calanum emerito, ac primo
Sedis hujus Antistite.

PRæcipua loci hujus Antistitum prærogativa est, quod pallio, solis Archi-Episcopis, Patriarchis, & Papæ proprio, donari soleant. Ornamentum hoc, sane peregregium, quia paucissimis in orbe Episcopis concessum, accessit **QUINQUE-EPISCOPALI** Sedi, per Calanum, loci Præsulem anno MCCXIV. Florebat is gratiis Regum Belæ III. ac Emerici, quodque in Aulis familiare malum est, in criminationes obtrectatorum incurrit. Per has, Magnorum Principum pestes, infandi sceleris arcessitus, incredibili jactatur procella vir integerrimus, Roma diras, Rege secures minitante. Favet innocentiae clemens DEUS; canit palinodiam calumnia; in præmium Apostolicæ virtutis, inter probra exultantis, quo summis Ecclesiæ Prælati exæquetur, accipit amiculum Calanus Roma. Ita fere præsto est, qui pressam innocentiam gloriosus erigat, DEUS. Quinam primus Episcopii **QUINQUE-ECCLESIARUM** redimitus tyara fuerit? poni solet in quæstione. Benipertum (quem alii Bonipertum legunt) S. Stephani Regis Sacellanum accuratiores scribunt isto honore auctum fuisse; quibus ut accedam, relicta vulgi, de B. Mauro sententia, suadet recepta plerorumque narratio, de sancto Emerico Divi Stephani Regis filio; quod is grandiusculus, illustri sanctitate Mauro adhuc Monacho, ad S. Martini in sacro monte Pannoniæ septena, teste autem Surio, vicena admodum, in signum singularis pudicitiae, oscula libarit; quæ vulgatissima Historiographorum assertio componi nequit cum rationibus temporum, ad quæ refertur Nativitas S. Emerici, & **QUINQUE-ECCLESIENSIS** Episcopatus fundatio.

Nam castissimum illud Hungariæ Lilium natum esse constat anno MVII. uti & biennio post erectum Episcopatum. Longe testatissimam hancce sententiam reddit Diploma S. Stephani Regis, seu Bulla Aurea fundati Episcopatus Quinque-Ecclesiensis, quod Melchior Inchoffer Annalium Ecclesiasticorum Regni Hungariæ pag. 290. refert in hæc verba :

In Nomine Sanctissimæ Trinitatis, & Individuæ Unitatis!

STEPHANUS HUNGARORUM REX.

„ **N**Overint omnes fideles nostri, præsentés scilicet, & futuri, qualiter
 „ nos, cum consensu Sanctissimi Apostolici, & in præsentia ejus
 „ Nuncii Annonis Episcopi, & aliorum omnium nostrorum fidelium Epi-
 „ scoporum, Marchionum, Comitum, nec non minorum quoque Perso-
 „ narum, erectionem Episcopatus, qui vocabitur Quinque-Ecclesiensis,
 „ statuimus in honorem DEI, & omnium Sanctorum, BONIPORTO
 „ ibidem Episcopo factó, Privilegiis, terminisque ordinavimus. Primum
 „ *Zemegny* viculum, usque ad *Tapeon* vicum posuimus; secundum *Ozora*,
 „ donec perveniatur ad aliam aquam, quæ *Clupan* nuncupatur; tertium *Ra-*
 „ *pus*, usque ad *Almás* aquam; quartum, ut dicitur, *Rév-Arok*, sicuti
 „ incipiens a *Danubio*, super *Savum* fluvium terminatur. Et ut hæc no-
 „ stræ ingenuitas auctoritatis stabilis, & inconcussa permaneat, hanc char-
 „ tam, inde conscriptam, sigilli nostri impressione insigniri iussimus.

* *Signum Stephani Regis Hungarorum.*

„ Quos terminos si quis violare præsumpserit imposterum, compo-
 „ nat centum libras auri optimi, medium Camerae nostræ, ac medium præ-
 „ fato Episcopatui, ac Reçtori ejus. Et ut plus Divinæ iræ paveat, sciat
 „ se a DEO Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, & gloriosa DEI Genitrice
 „ MARIA, & sancto Petro Apostolo, in cujus honorem supra memora-
 „ tus constructus est Episcopatus, perpetuo anathemate damnandum, &
 „ ante tribunal Christi rationem redditurum. Datum X. Kalend. Sept.
 „ Indiçtione septima, Anno Incarnationis Domini Millesimo nono. Pro
 „ Stephano regnante Anno nono. Actum in Civitate Jauriana.

§. VI.

De Szakmario, Jano Pannonio, ac Andrea Duditio,
Episcopis QUINQUE-ECCLESIENSIBUS.

IN Syllabo Præfulum, qui Cathedram QUINQUE-ECCLESIENSEM illustrarunt; candido notandus est calculo Joannes Vitézius, & Szakmarius; iste ab instructa Urbe sua ædificiis, ille ab excolta literis. Vitézius enim noster idem omnino est, quem communiter Janum Pannonium dicimus, vates nulli non veterum comparandus. Extat de eo Lipsii testimonium, in Epistola ad Janum Lernutium, in qua sub initium ait : „ Inter „ nostros Poëtas Lotichium amo; Janum Pannonium æstimo; Scaligerum „ Patrem admiror. „ Existimarunt nonnulli, Joannem hunc in Academia QUINQUE-ECCLESIENSI Poëticen didicisse; verum refragatur ipsemet duobus testimoniis. Alterum inferuit Elegiæ, quam scripsit de morte Matris; alterum tumulo suo inscribi voluit. Priore sic Matrem affatur :

*Cum tuus Ausonias tradit me frater ad oras,
Longinquo & Musas quærere in orbe jubet &c.*

Posteriore autem gloriatur se Musas, literasque in Pannoniam invexisse, dum canit :

*Quin etiam tacita jaceam ne ignotus in urna,
Signari hoc cineres carmine, mando meos:
Hic situs est Janus, Patrium qui primus ad Istrum
Duxit Laurigeras ex Helicone Deas.
Hunc saltem titulum, livor, concede sepulto;
Invidiæ non est in monumenta locus.*

Ferunt : Guarino Veronensi usum fuisse Magistro Ferrariæ. Floruit circa initia Corvini Regis; cujus pueritiam cum virtute, literisque excoluisset, & Purpura Romana, & Archi-Episcopatu Strigonienfi donatus erat. Non semper ita castigatum fudit metrum, ut castiorem non desideres. Ne studio partium teneri videar, addo æternis involvendam tenebris Andræ Duditii Sbardellati, viri sapientia, ac rerum usu pollentis, sed ambitione, avaritiaque notati, a Romanis sacris defectionem. Nam repudiato cum Ecclesia sua spiritali connubio, e Gynecæo Catharinæ, Poloniarum Regi-

næ,

næ, procaciorē puellam, ea vero demortua, illustrem de gente Zborovia viduam sibi sacrilegis copulavit nuptiis anno MDLXVIII. ac post annos aliquot odibilem DEO, ac hominibus vitam fulmineo apoplexiæ profra-tus ictu Wratislaviæ finivit. Nimirum nihil in creatis rebus ita sanctum, firmumque est, quod labem pati nequeat; quando nec Christi Collegium ab avaro Juda, nec a fastu Luciferi Cœlum, nec prima in Paradiso innocen-tia a mulieris illicio immunis fuit. Extenditur Diœcesis QUINQUE-ECCLESIENSIS per Provincias BARANYENSEM, Tolnensem, ac Valkoniensem, seu Veröczensem.

§. VII.

Veteres QUINQUE-ECCLESIARUM sacræ ædes.

INtra Pomæria QUINQUE-ECCLESIARUM, præter Cathedralē Basilicam frequentabantur amplissimæ aliæ; puta Collegiata S. Joannis Baptistæ, duodecim Canonicis, Præposito, Regni Tabulario, ac sigillo insignis, cujus vix rudera prostant. Deinde Prædicatorum, quæ jam anno MCCXXXVIII. florebat, hisque diebus reperta in ejus fundamentis ad regulam secta saxa abunde ejus magnificentiam loquuntur; tum Benedictinorum, Franciscanorum, Paulinorum, ac D. Bartholomæi. Suam Seraphicus ordo debebat magnæ Korodiorum (alii Cserodorios vocant) genti, jamque partem ruinarum, per Turcam illatarum, repararunt magni illius Patris Minores filii. Sacræ Benedictinorum ædi sæculo XI. Abbatialis quoque sedes annexa fuisse creditur. Paulinam cum primo omnium Monasterio fundavit Episcopus hujus Urbis Bartholomæus anno MCCXXV. in Pago PATACS, ubi rudera Templum, & Cænobium stetit pro-dunt. Occasionem errandi dedit nominis affinitas, ut *Patakini* in Zem-plinienfis Provinciæ oppido scriberet nonnemo princeps illud Paulinorum Eremitarum Asceterium exædificatum fuisse.

Juverit hoc loco de clarissimi hujus Ordinis institutione quædam ad Lectoris eruditionem ex Bollando, supra dictis, attexere; qui Tom. I. de SS. Actis ad diem XIX. Januar. hæc habet e Sylvestri Maurolici Oceano Religionum deprompta: „ Eusebio cuidam Strigonienfi, fociisque, vitæ „ perfectioris studiosis, tradita quædam fertur pie vivendi regula a Bar-tho- „ lomæo Quinque-Ecclesiensi Episcopo, eo, ut remur, cujus consilio, & „ forti-

„ fortitudine reliquias aliquas profligati a Tartaris exercitus Belæ IV. anno
 „ MCCXLI. servatas scribit Bonfinius Dec. II. Lib. VIII. Rogatus dein-
 „ ceptus Urbanus IV. Pontifex, uti hanc Congregationem sua sanciret aucto-
 „ ritate, juberetque S. Augustini regulam observare, abnuit. Ergo Pau-
 „ lus, Vesprimiensis in Hungaria Antistes, quasdam eis leges scripsit anno
 „ MCCLXIII. Tum primum a S. Paulo primo Eremita nomen Ordini
 „ impositum. Anno deinde MCCC. primus toti Congregationi Præposi-
 „ tus est Prior Generalis F. Laurentius Strigoniensis. Joannes XXII. hunc
 „ Ordinem, prius per Nuncium Apostolicum, Gentilem de Monte Floris,
 „ probatum, confirmavit, auxitque privilegiis circa annum MCCCXVII. „
 hæc ibi. Denique in Sancti Bartholomæi honorem constructum Tem-
 plum in corde Civitatis Paræciale fuit, quod post ejectum Turcam Societa-
 ti JESU transcripsit Victor Leopoldus.

§. VIII.

De Academia, pristino splendore, & hodierno statu
 QUINQUE-ECCLESIARUM.

VETERIBUS DEO sacris ædibus hodierna Urbis decora succedant. In pro-
 minente ad radicem Montis *Merscbeti* rupe eminent arx, Episcopi se-
 des, quam Franciscus Neslerode, loci Pontifex, in integrum reposuit. Ex-
 tra arcem, qua civitas amplius objicitur aspectui, decoratur ædibus Cano-
 nicorum. Ad portam ferream, qua egressus in vineas, & montem Cal-
 variæ patet civibus, nominatum montem versus, sub Patrocinio S. Pauli
 Apostoli eminentiore in loco affurrexit Seminarium junioris Cleri, paucis
 Hungaricorum structuræ suæ magnificentia concedens. In hujus vicinia
 visitur digna Inclytis statibus BARANYENSIS Provinciæ Curia, in qua
 suos agunt Conventus, in publicum consulturi. Privatorum ædes, quan-
 quam & ipsæ multum a Turcico squalore vindicatæ sint, plateæque ad om-
 nem nitorem excultæ, nondum tamen ad veterem civitatis hujus ornatum
 eluctatæ. Quam nobilis ille fuerit, declarat rhythmicum Hungarorum ada-
 gium: *Németnek Bécs, Magyarinak Pécs*; id est: Quod est Germano Vienna
 Austriæ, hoc Ungaro QUINQUE-ECCLESIAE. Augebat non medio-
 criter dignitatem Civitatis istius celebris Academia, anno MCCCCLXIV. a

Ludovico I. fundata, ab Urbano autem V. Papa confirmata; nam nonnulli bis mille Scholarium, alii altero tanto frequentem fuisse scribunt ante tyrannidem Turcicam; ut mirum non fit, tercentum armatos non calamis, sed ensibus hoc e Gymnasio, Duce Moderatorum uno, funestam illam ad Mohácsum arenam ingredi potuisse, vitamque pro aris, focusque cum Rege posuisse.

§. IX.

Hodierna Religiosorum QUINQUE-ECCLESIIIS Domicilia, ac erecta hoc sæculo Marianis honoribus ædicula.

Regio Ludovici Pædagogio suffecit alterum de suo Pater ille Patriæ Georgius Szecfénius, ac anno MDCXCIV. JESU Sociis transcripsit. Promeritus videri potest hanc stationem Religiosus ille ordo, quod jam ante sæculo propemodum integro Catholicos iis in locis, rerum potiunte Barbaro, procurarit sacris, addiçto, annutu Tyranni, Andotsiensibus, ac Lendvensibus prædictæ Societatis Sacerdotibus illo Sanctorum Omnium Tempello, ad quod jam degunt Augustiniani, in suburbio Budensi. Fixerat illi zelotes animarum stationem, memoratam ad ædiculam, deductis Lendvensi ex arce coloniis primum anno MDCXIV. datis a Turca Banffio Lendvensi securitatis tabulis; deinde anno MDCXXXI. Quam amplam hic pro DEO agendi, ac dura ferendi naçti sint arenam, strictim percenset P. Franciscus Kazy in Historia Universitatis Tyrnaviensis Parte III. Lib. I. §. X. Historiæ vero Hungariçæ Tom. I. Lib. II. & Tom. II. Lib. V. Nec solum sudore stetit ager ille sacris illis colonis; sanguine quoque irrigatus est quatuor sciorum anno MDCCIV. quo veræ fidei victimæ facti sunt, barbare a Schismaticis perempti. Stationes reliquarum, quæ ætate nostra QUINQUE-ECCLESIIIS merent, Religiosarum familiarum sunt sequentes: Ad portam Szigetanam Ladislaiianæ Provinciæ Seraphicæ; ad Budensem Paulinæ; Capucinæ ad Siklosiensem; forum versus non procul ab Jesuitarum Gymnasio, Dominicanæ. Ad orientem in vertice montis, vineis quaqua versum exculi, ex voto civium tempore pestis anno MDCCX. erecta est nullius pecudis admisso ad onera devehenda adminiculo Ecclesia honori DEI Genitricis MARIÆ ad Nives; cujus festo quot annis a numero

roso concurrente populo solennes gratiæ DEO, & Sospitatrici Matri referuntur. Ultra ædem Augustinianorum anno MDCCXLIII. reparatam, in loco TETYE dicto (ubi adhuc magnifici quondam æstivi Episcopalis Palatii visuntur ruinae) ad radicem rupium, non sine admiratione aspectantium, prorumpit amnis, qui per suburbium, a Buda, quam respicit, denominatum, spatio mediæ horæ decurrens, impellendis quinque, ac decem molarum rotis sufficit.

§. X.

De SIKLOSINO.

SECUNDAS in oppidis Provinciæ BARANYENSIS tenet SIKLOSINUM, duobus milliariibus ad Euro-Notum Quinque-Ecclesiis recedens, propter Dravum flumen situm. Arce sua aliquando probe munita, cum primis memorabile est. Erat in hac altus pedes LXXX. oblongus, & per angusto aditu carcer. In hunc, auctor est Bonfinius Decad. V. Lib. II. & Petrus de Rewa centuria V. de Monarchia, & sacra Regni Hungariæ Corona, Sigismundum Imperatorem, ac Regem compactum fuisse a quibusdam Nobilibus, Coryphæo Pro-Rege Nicolao Marczaltheo, ob bellum improspere cum Turcis gestum anno MCCCCII. Integri semestris noctes duro illo in ergastulo exegit tantus Monarcha, cum ei daretur precario, ut per diem digredi possêt ad pone positum conclave. Hæc, secundum laudatorum Scriptorum fidem non solum continua incolarum traditio, sed sequens quoque camino Italico apposita inscriptio: *Misit DEUS misericordiam suam, & eripuit me de medio catulorum leonum; dormivi conturbatus.* A Turcarum rabie arx prope deleta erat; initio tamen sæculi nostri impensis Comitum Caprara, per id tempus dominatum ejus obtinentis, restaurari cæpit. Nunc autem in Excellentissimi D. Comitum Caroli de Battyán, Croatiæ Bani, jus redacta, nova capit incrementa, in totum (quod spe præcipimus) pristinum decus reponenda. Conferet ad ejus decorem plurimum, marmor coloris varii, cujus copia infra ipsam arcem eruitur, atque in opposito monte aperta recens latomia ubertim illud subministrat. Oppidum intra, extraque muros bene populosum, etiam de cæmentis nobiliter instructas aliquot ædes numerat. Si qua olim ornabatur Abbatia, ætas hæc ejus nec locum novit. Intra tamen muros in angulo, meridionali plagæ objecto,

ad pervetustam Ecclesiam Sanctissimæ Trinitatis, Ordo Minorum S. Francisci Provinciæ Ladislavianæ, novum exstruxit cænobium. Huic, dimidiæ horæ itinere hinc recedens subiectum est minus Domicilium ejusdem Religiosæ Familiæ, ad celebrem imaginem B. V. MARIÆ, miraculisque claræ; ubi ex piis elemosynis confluentium eo populorum magna ædes cum turribus erigi cæpit. Pagum hunc, GYÜD dictum, infident coloni, Calviniana hæresi infecti, SIKLOSIENSIS arcis ditioni obnoxii.

§. XI.

De MOHACSIIO.

Siklofino quatuor miliaribus ad orientem occurit MOHACSIUM, quorundam opinione respondens *Anamantia*, sive *Amantia*. Hinc Lazius Reipubl. Rom. Lib. XII. Sect. III. Cap. VII. Anamantia, nostra ætate Hungarorum, Regisque illorum Ludovici interitu cognitissima. Nihilominus hæc sententia haud respondere videtur Tabulæ Theodosianæ rationibus; per quam *Anamantia* inter *Vetusanum*, & *Lufionem* ponitur; *Lufioni* vero respondet ad Austrum *Alta-Ripa*, sive *Ad-Statuas*; quam Civitatem aliqui Colociam interpretantur. MOHACSII positum Istvanfius Historiar. Libr. VIII. ita describit: „ Fatalis nomini Pannonico is locus, ab occasu Quinque-Ecclesiarum Urbem celebrem, ab oriente alterum Danubii latus (nam non procul supra oppidum in duo scinditur, & Insulam efficit;) a Meridie Dravi ostia, & Illyrici partem, quæ Sclavonia vocatur, respicit, interposita late planitie, nullis fylvis, aut vepribus impedita; quam tamen interfecat amnis, quem incolæ Carassum vocant, adeo palustris, & stagnans, ut discernere, etiamsi diligentius intuearis, nequeas, in quam partem fluat, arundinetis, & carectis, profundoque cœno impervius, nisi hyeme, dum gelu constringitur. „ Hæc, ut alias ingemui, Hungarorum Allia, Pannonicis Fastis semper damnanda; ad quam anno MDCXXVI. Hungarica natio, amisso Præfulum, ac Nobilitatis pulcherrimo flore, ipsoque Rege Ludovico II. ætatis suæ anno XX. in lutulento rivo, *Csele* dicto, dum fugiens in altiore ripam evadere conaretur, una cum equo prolapsa, suffocatoque, cladem, nunquam satis deplorandam, a Solymano accepit. Subsecuta continuo undecunque demum (qua super re inter Scriptores contentio) Hungariæ fere totius populatio;

latio; in qua præter Civitates nobilissimas, ferro, flammaque miserum fœdatis, centum, secundum alios tercentum Christianorum millia in dirissimam servitutum sunt abacta. Accepit acerbissimum hoc vulnus leniminis aliquid anno MDCLXXXVII. quo Leopoldi M. armis inter Siklosum, & MOHÁCSIUM, sub editi montis, & a multis milliaribus, ultra Danubium, Dravumque aspectabilis *Harfani* (in cujus cacumine eminent dirutæ arcis rudera) planitie, ad Karassum usque fluvium protensa, Vezirio Turcarum insignis clades reddita est; secundum quam non modo magna Hungariæ portio ad nos recidit, sed insuper pannica, nescio, qua formidine barbaris exinde immissa, ingentibus prolusum est victoriis, quibus tandem Turcica tyrannis infracta omnino est. In lateribus prædicti montis vineæ, VILLANYIENSES præsertim, tam generosi vini sunt feraces, ut, favente cœli temperie, nihilo concedant exterarum Provinciarum famigeratissimis; modo ad felicitatem soli, ejus præstantissimos fructus in æs convertendi accederet facultas.

§. XII.

Cætera BARANYENSIS Comitatus nobiliora loca.

Reliqua, BARANYENSIS Dynastiæ, potiora loca, sunt sequentia: oppidum PÉCS-VÁRAD, adhærens lateri montis ferrei vulgo *Vasbegy*, in quo Abbatia B. V. M. in cœlos assumptæ, olim quemadmodum proventibus, ita Monasterio, & Ecclesia nobilissima. Refert ortum suum ad annum MVII. quo amplissime a S. Rege Stephano dotata, & sancti Benedicti filiis transcripta fuit. Sæculo nostro, tametsi quoad domicilium, jussu, & impensis Comitum a Zinzendorff, dum Sacerdotio hoc potiretur, restaurata, contractum dominatu Turcico squalorem deterferit; tamen quoad Ecclesiam alterius liberalem præstolatur pietatem. Ab opposito latere ejusdem montis ferrei, puta boreali parte, huic Abbatia contermina est terra MAZA, quam Bela III. hujus nominis Rex Hungariæ, dedit Episcopo Quinque-Ecclesiensi Bartholomæo, in remunerationem fatigiorum, & compensationem sumptuum, quos fecit ille Præsul in itinere, dum filiam Regis, matrimonio junctam Regi Aragonum, deduceret. In terræ illius fere medio, propter decursum amnis *Egrygy*, in planitie vallis amœnissimæ, visuntur reliquæ arcis, æque ad securitatem, ac delicias ædificatæ;

supra cujus portam in latere eminentioris turris vetus pictura memoratam donationem Regiam exhibebat. Addendum his Castrum BELLYE, itinere unius horæ Esékino distans, fossa, & muro cinctum. Conditorem agnoscit gloriosæ memoriæ Heroem Principem Eugenium de Sabaudia. Modo sedes Officialium, & caput domini nominis ejusdem est, ad quod pertinet divitis nauli trajectus cum telonio, prope desolatam in ripa Danubii arcem KÖSZEGHIAM. Attributum eidem BELLYENSI castro est etiam alterum BARANYA-VARIENSE vicinum dominium; quorum omnium jura translata jam sunt ad Augustissimam Imperatricem Vi-duam Elifabetham Christinam. Claudat omnium agmen SZÉKCSÖ in ripa Danubii supra MOHÁCS eminens oppidum, ex diversis nationibus conflatum. In hujus medio extant muri vastissimi, arcis vetustæ, qui minus detrimenti acceperunt a Turcis, quam ab ipsis incolis, quot diebus ruderata suas in ædes convertentibus. Arcem hanc incolentes, præter salubritatem aeris ex adverso late patentis Insulæ amœnitatem, & collibus vitiferis subjecta viridaria pro oblectamento, ac oculorum recreatione habebant. Huc unam e veteribus Urbibus non injuria quispiam referre potest.

LIBER QUARTUS.

HUNGARIÆ INTERAMNANÆ.

PARS PRIMA.

P R O Æ M I U M.



Itra - Danubiales Hungariæ plagas emensi ingredimur vastissimam Interamnanæ Regionem, Marcomanis olim potissime, Quadis, Jazygibus, Sarmatisque habitatam. Quibus gentes illæ limitibus ditones suas definitas habuerint? non attinet operosius hoc loco perscrutari; quod e tenebris ejus ætatis protrahi poterat in lucem, prioribus Libris complexi sumus. Metari ibidem fines Quadiæ, Marcomaniæ, Jazygiæ, Sarmatiæque nitebamur; sed invita fere Minerva. Nam quod acres illas armis gentes, ut plurimum in belli societatem coire solitas, Scri-

Scriptores ad nos transmiserint, hocque pacto vix invicem eos populos, ne dum fedes discreverint; opinione durior evadit provincia, singulis istarum nationum congruam veritati stationem assignare. C. nisi fallor, Cornelius Tacitus dubiæ quiddam lucis affudit in libro, quem de moribus Germanorum inscripsit. Verba ejus sunt: „ Juxta Hermunduros Narisci, ac dein- „ de Marcomani, & Quadi agunt. - - Eaque Germaniæ velut frons est, „ quatenus Danubio prætexitur. - - Nec minus valent retro Marfigni, Go- „ tini, Osi, Burii: terga Marcomanorum; Quadorumque claudunt; e „ quibus Marfigni, & Burii sermone, cultuque Suevos referunt; Goti „ nos Gallica, Osi Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos; & „ quod tributa patiuntur, partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ut „ alienigenis imponunt. Gotini, quo magis pudeat, & ferrum effodiunt. „ Omnesque hi populi pauca campestrium, cæterum saltus, & vertices „ montium, jugumque infederunt. „ Ita Tacitus. Nariscos, Palatinatus incolas fuisse arbitratur Timon, Marcomanis finitimos; hos Quadis; utrosque Danubii accolas. At quos a tergo Quadorum, Marcomanorumque locat Tacitus, Osi, Gotinos, Burios, Marfignos, ac alienigenis accenset; merito retrudendos existimes ad montana, in quibus fere infelix lolium, & steriles dominantur avenæ. Si quem explicatioris narrationis tenet cupiditas, ad hodiernam Hungariæ partitionem, Quadiam, Jazygiam, Sarmaciamque dispescet non inficete, si QUADIÆ attribuat Comitatus: Pofoniensem, Nitriensem, Barsiensem, Hontensem, Zoliensem, Turocziensem, ac Trenchiniensem, nempe Regionem Morava, Granoque fluminibus fere contentam; SARMATIÆ vero: Arvensem, Liptoviensem, Gömöriensem, Scepusiensem, Sárosiensem, Ungensem, Bereghiensem, Maramarosiensem, & Districtum Kövariensem; JAZYGIÆ denique: Zempliniensem, Abaujvariensem, Tornensem, Borsodiensem, Nogradiensem, Hevesiensem, Exterioris Szolnok, Pesthinens. Zoldiens. Bachiensem. De Marcomanis, extra ambitum hodiernæ Hungariæ positus, non est, cur disputemus. Patria pro illis decertent ingenia, quos irrequietus labor non perinde, ac nos obsedit. Jam vero & si hac partitione omnium vota nos haudquaquam explevisse putemus; ab ea tamen juvandæ causæ memoriæ non discedemus, tres in libros amplissimam hanc Magni Regni portionem contracturi. Itaque sit


CA-

CAPUT PRIMUM.

DE COMITATU POSONIENSI.

§. I.

Comitatus POSONIENSIS Appellatio, Partitio, Amplitudo, Supremus Comes.



Uem inter universæ Hungariæ Comitatus sibi locum vendicet POSONIENSIS, ex eo elicias, quod ejus ablegati in ipsis Regni Comitibus principem, inter sui Ordinis Viros, locum obtineant. Sortitur nomen a Libera, Regiaque Urbe POSONIO; cui, ætate nostra, nulla omnino Hungaricarum cultu conferri potest. Dabimus illustria ejus ornamenta secuturis hoc capite paragraphis. Provincia, quam hic generatim adumbro, ad meridiem objicitur (interjecto Danubio) Austriæ, Mosoniensi item, Jaurinensi, & Comaromiensi Comitibus; ad orientem, & septentrionem Nitriensi; ad occasum Moraviæ, ac iterum Austriæ parti amne Morava diremptis. In longum excurrit ad XII. in latum alicubi ad VIII. milliaria, facile tricennæ ambitu exæquans. Præter Vaikensem Nobilium Prædialistarum Sedem, Csálöközia diffusam in Insula, Primatis juri obnoxia, POSONIENSIS Comitatus in quinque Provinciolas, quas Processus dicimus, divisus est. Horum primus Trans-Montanus est, duo Insulani, totidem extranei; utrique a situ superiores, ac inferiores appellati. Singulis horum sui præficiuntur Magistratus minores, quos Judices Nobilium, ac eorum Vicarios dicimus, tum Juratos Sedium Judiciariarum Assessores; universæ autem Provinciæ amplissima cum potestate jus dicunt duo ordinarii Vice-Comites, quos, Provincialium Comitiorum suffragiis legendos, proponendi potestas est penes Supremum Comitem cujusvis Comitatus; quæ dignitas hac in Provincia hæreditaria est Nobilissimæ Pálffianæ, Genti ab anno MDXCIX. eamque sustinet hodie Excellentissimus Heros Comes Joannes Pálffy, Regni Pro-Rex, alias nobis laudatus.

§. II.

§. II.

*Commoda, ac stemmata POSONIENSIS
Provinciae.*

Nihil in hoc Hungariæ solo five ad fecunditatem glebæ benignitas naturæ, seu ad æris salubritatem cœli bonitas, five ad humanos usus necessarium providentia, five ad honestas delicias ars negavit. Clauditur fluvii Morava, Vago, Blava, & Danubio; qui in plura sectus brachia grandem illam Cituorum, Hungaris Csälököziam, Insulam efficit, ac interluit; non solum præstantissimis piscibus, sed auri quoque ramentis, large delectis dives. Præter hos limitaneos amnes, interfecant Provinciam hanc minores alii, Dudvagus, quasi alter Vagus, cui parallelum cursum tenet; Tyrna deinde, cognominem urbem, lacuna insalubrem reddens; tum Nigra Aqua ultra alneta civitatis, a S. Georgio vocatæ, enata; quam non prorsus ex vano esse reliquias autumant lacus Peifonis, qui hunc olim stagnasse ad Basinium, Slavis, & Germanis hodiedum Peifingum dictum, atque Nigræ Aquæ alveo in Danubium deductum. Obtrudo rursus orbi erudito hanc opinionem, ut eum mihi sensum quispiam detrahat, quem a communi de lacu *Peifonis* alienum inde hausi, quod eum in Danubium derivatum grandi molimine legerim; id quod in illum ultra-Danubialem, Fertö vocatum, ob interjacens *Laitbam* flumen, nullaque deductionis vestigia congruere non potest. Amniculos, ac rivos cæteros, facile vicenos, pisciferos illos, plerosque, ac salubres, brevitatis causa prætermitto. Utilitatis fluminum merito accenseas ferarum omnis generis greges, Phasidum vivaria, cæterarum autem avium examina; sylvarum, montiumque fructus, vini generosissimi juxta, ac suavissimi copiam, pomariorum, ac hortorum delicias, pulcherrimorum castellorum, arciumque ornamenta, urbium, oppidorum, pagorum frequentiam, novalium, ac pratorum fecunditatem, antra, fontes, &, quod caput est omnium, complurium Nobilissimorum stemmatum natales, aut sedes. Principem in his tenent Pálffianum, Eszterházianum, Csákianum, Erdödianum, Illyesházianum, Kolonitfianum, Amadeanum, Maholányianum, Péterffianum, Sigraianum, Korlátköianum, & sexcenta alia, hac tempestate Patrium solum, & utramque totius regni publicam rem illustrantia; ut prorsus non sit opus

ad vetustiora illa respectare tempora, quibus robustior sibi privati unius, Comitem intelligo Sancti Georgii, videbatur esse potentia, quam ut Regis majestate minor esse vellet.

§. III.

De origine POSONIENSIS Civitatis variorum opiniones.

PISONIUMne, an POSONIUM, Princeps Comitatus hujus, totiusque inferioris Hungariæ Civitas dicenda sit? Grammatici certant, & adhuc sub Judice lis est. Geographi perinde Urbis hujus elevationem Poli non eadem tangunt acu. Quidam enim subjectam esse contendunt latitudinis gradui 48. cum minutis 19. longitudinis vero uni supra quadraginta, cum sex minutis; alii contra, cum in gradibus consentiant, multum discedunt ab invicem quoad minuta; latitudini, quintum & vicesimum, quin octavum duntaxat; longitudini quintum, & quadagesimum assignantes. Major contentio de ætate, ac auctore. Nam etsi nequeat vocari in controversiam, celeberrimum fuisse Romanorum isthic municipium, sub ipsa Christianæ fidei primordia, atque adeo sedem Præsidis, qui Pannoniæ primæ imperitabat, stativisque decimæ quartæ legionis illustratum, & Auspiciis Constantini M. post vulgata inter veteres Pannonios Christina sacra Episcopo consecratum, utpote cujus Antistes Ursus septimæ Synodo interfuisse legatur; de Conditore tamen non coalescunt in unam eruditi opinionem. Brietius Tom. II. Lib. II. Cap. II. de auctore parum sollicitus, situ Flexo Ptolemæi respondere Posonium autumat, quod isthic Danubius in Austrum curvetur; sed Flexi in adversa ripa grande rudus indicia majora facit. Lazius suis in Commentariis Sect. III. Cap. VII. pag. 973. Bregetium Antonini in ea Carpatiorum Montium radice mavult dicere constructum fuisse, ad quam diffunditur Posonium. Lazium affectatur Lambecius in Comment. Biblioth. Lib. II. Cap. IX. At Bonfinius Dec. I. & plerique Scriptores domestici, majorum traditione persuasi, a PISONE, Romano Cive, qui juxta Tacit. Lib. III. & XIII. Orosiumque Lib. VI. Cap. XX. Pannoniæ partem Romanis adjunxit ditionibus, conditum, dictumque affirmant. Cum his consentit recentiorum nonnemo quoad nominis, non tamen Urbis initia, ut quæ rejicienda putet ad ipsam Vanniani Regni ætatem,

tem, imo superiorem quoque, Tacito, ac Friderico Wilhelmo Sommersbergio Ducibus; quamvis ultra levem conjecturam ex eorum monumentis nihil extundas. Confule Annalium Taciti Libr. XII. Cap. XXIX. & XXX. Sommersbergii vero Cap. III. de Regno Vannii. Denique non defunt, qui POSONII, aut PISONII nomen a Peifone, five Pelfone lacu derivent, etsi hunc in agro Mosonienfi stagnare putent, quod nos adhuc in quæstionem vocabimus, dum ad lustranda Bafiniensis Civitatis pomæria delabemur.

§. IV.

Cui potissimum ex his conjecturis deferendum videatur ?

NE sæpius errandi periculum Lectores adeant, quando recentiorum Geographorum sententias, vetustioribus monumentis destitutas, offendunt, edocendi hoc loco videntur : nec Antonini Itinerarium nævis, nec asserta Brietii veterum suffragiis, nec Lazii Commentaria carere commentis. In Strabonis adeo, Ptolemæi, Lambecii, cæterorumque Scriptorum, sane gravissimorum, volumina irreplisse pariter menda quædam, nemo non novit, qui locorum positus curatiore indagine explorarit. Non meum est, Viros de re literaria meritissimos, insectari ; commoneo, quo cæcam credulitatem, primam illam in Historiæ studio ad errores viam, obsepiam. Alios, quod in rem præsentem non plurimum conferant, dissimulatione prætereo. Quam firmo sententia Lazii nitatur fundamento, suo quisque definiat iudicio. Is, pro solemnibus, affinitate captus nominis, Slavicam, Germanicamque vocem cum Latina confundens, Preszburgum (quo vocabulo gentes illæ appellant POSONIUM) a Bregetione, tot millibus passuum hinc disjuncto, dictam esse auguratur ; minime advertens, quod torculari (id enim Slavis, Germanisque prima in Preszburgo syllaba significat) sese incautus subjecerit ; cum insuper nec initialis *Preszburgi* litera cum Bregetio consonet, nec ejusdem literæ S, & Z, in Bregetio reperiantur. Graviorem fert censuram Lambecius in insignem hunc (si eruta duntaxat per cum saxa spectes) Veteramentarium. Ait enim sæpe sæpius : amantem veritatis Geographum vix aliquid præsidii in operibus Lazii reperiturum. Lazio proxime citra injuriam accenseas illos, qui POSONIUM

a Peifone dictum autumant, majorum narrationes Peifingo (ita Bafinium Slavi, Germanique vocant) Pofonium usque, idque nullo fat idoneo ducti motivo, proferentes. Missis proinde utrisque istis, quemadmodum vero simillimum opinor, a frequentioribus torcularibus appellatam esse Urbem nostram per Germanos ac Slavos Prefzburgum, id quod Teutonica quoque Historia confirmat; ita a Pifone conditore PISONIUM, ac unius literæ mutatione POSONIUM; qua denominatione semper usos fuisse Hungaros, tamdiu sustinendum est, dum oppositum quis evincat.

§. V.

De quo Pifone in POSONIUM nomen promanarit?

Porro quisnam Pifō iste, a quo amplificatore, sin minus authore in Prefzburgum nomen defluerit? variant iterum Scriptores. Qua in re admodum implexa constanti majorum traditioni deferamus aliquid, secuti Bonfinium, Inchofferum, ac Timonem, ortum Civitatis hujus Pifoni, qui Thraciam domuit, attribuimus; quod ad ipsa Natalis Christi tempora commode refertur. Nam summa cum potestate Romanas res moderante Octavio Augusto, Drusus quosdam Germaniæ populos; Dalmatas, & nonnullos Pannonios Tiberius; Mysios, reliquosque Pannonas PISO Romanis Ditionibus adjecit, sub annum salutis duodecimum. Agebat idem PISO in Pannoniis, & confinio, dum Regiones illæ in Provinciam redigerentur, non evolutis ab hinc annis tribus supra decem. Quare opportunissimum hunc locum ad cohibendos Marcomanos, & Quados teste Tacito Annalium Lib. II. Cap. LXXXIII. inter Marum, & Cusum (Moravam, Vagumque) flumina retrufos, munierit, ædificiis ornarit, Præsidis Pannoniæ sedem constituerit. Hæc ut ita accidisse existimem; tamen tres illas turres, quas suo in Insigni habet POSONIUM, majorum narrationibus ante Verbi Divini Incarnationem constitisse, non detraho. Addunt hic dictis pondus tum Q. Pomponii, Attici, Julii Cæsaris, Octavii Augusti, varie facta numismata in Dévén-Ujfalú forte fortuna eruta, tum Inscriptiones aliquot, in Agro Pofoniensi, viciniaque repertæ. Earum prior est, cujus meminit Lazius Rerum Viennensium Lib. II. Cap. II. in hæc verba:

VICTORIÆ AUG. N. N.

ET LEGI. I. AD. P. J.

ANTONINIANÆ.

P. MARCUS D. SEXTIANUS.

EPHESO. PP. DD.

DEDICANTE EGNATIO.

VICTORE LEG. AUG. C.

PR. PR.

ET C. L. PISONE.

Affinis huic est altera, affixa Danubiali columnæ Templi Cathedralis Jaurinensis, quam refert Laurentius Károly in Speculo Jaurinensis Ecclesiæ pag. XII.

VICTORIÆ AUG. G. N. N.

ET LEGI. ADIPF. P. MARCIUS.

P. FILIUS SEXTIANUS.

EPHESO PP. D. D.

DEDICANTE EGNATIO VICTORE LEG. AUG. C.

PR. ET. C. L. PISONE LEGATO LEG. V. IDUS.

JUNIAS AP. RCET. MAXIMO COS.

Cumulat POSONIENSIVM gloriam Conradus Celtes Protucius, primus e Germanis Poëtis lauro donatus, dum nativitate Pisonis illius POSONIUM nobilitatum fuisse ita canit:

Hic Piso est, docto qui scribit carmine versus,

Editus, & lauro tempora cincta gerens.

Conjecturæ huic suffragari ultra majorum fidem videntur, qui Urbem hanc Pisonii præ, quam POSONII nomine vocare malunt. Appellavit eandem Corvinus Rex Histropolim in Diplomate, quo reddebat causam moti adversus Bohemos Hæreticos belli; Diploma illud in hæc verba exit: „ Datum Histropoli, sive POSONII vigesima octava die Septembris Anno Domini MCCCCLXVIII. Regni nostri anno undecimo, „ coronationis vero quinto; „ tamdiu enim detinebat Imperator Coronam Hungariæ, ingenio Elisabethæ Vifsegrado ablatam.

§. VI.

Situs, ac Insignia POSONIENSIS Civitatis.

Sinistrum Danubii defluentis latus in declivi extremorum Carpaticorum. posita urbs nostra occupat, ad quam ex adverſa ripa commeantibus interdum naves, alias ponto aditum facit. Munitionem ejus vetus, ſolidus tamen murus, crebris diſtinctus turrulis, & ſtagnantibus in foſſa aquis undique incinctus, abſolvit ambitu non maximo; at ſuburbis latiffime diſfuſis. Ornavit eam ampliffimis Privilegiis, ac Inſignibus Sigismundus Imperator, & Rex, cujus beneficium ratum habuere ſucceſſores, cumularunt imo. Privilegiis exæquatur Budenſi Metropoli; Inſignium vero numeros implet campus (uti dicimus) ruber, portam, ferratis clathris munitam. ſuſtinens, cujus ſaſtigiū occupant tres albæ turres, ſolido eductæ opere, ædes illas turritas referentes, quæ ante Chriſti natalem traditione feruntur fuiſſe hoc in loco excitatæ. Quænam autem illæ? nec ii definiunt, qui cum ætatem exegerint POSONII, minutiffima quæque eruderare poterant; & vero eruderarunt quoque cætera diſfuſe, iſtud non item. Perhibent quidem nonnulli, ſubeſſe quandam arci extra urbis mœnia domum vetuſtum quid ſpirantem; eam ipſam puta, quæ hodie in Regium abiit promptuarium, eminetque Vedritzienſi in vico, in quo olim ſtetiffiſſe Belæ IV. Regiam, ac Vitézianam Academiam, ſatis conſtans eſt traditio. At ex his dubie nonniſi conficias, unius primorum illorum urbis noſtræ monumentorum ruderibus Belæ Regiam fuiſſe ſuperſtructam. Certiora duarum reliquarum extant indicia, civico in Prætorio, vetuſtiſſimum architectum tota ſtructuræ compoſitione prodente; & Mednyanzkiána in domo, occidentalem majoris fori plagam occupante. Legebantur quondam in hujus fronte ſequentes verſus:

*Cerne domum; fuerat turris; primordia POSONY
 Duxit ab hac; majus nomen, & omen habet.
 Nam Numen, Virgoque Parens, cœlique poteſtas
 Suſtinet orbe Urbem, ſuſtinet Urbe domum.
 Sic venerare DEUM, Matrem, cœlique pbalangem,
 Ut tibi ſit cœlum turris, & aſtra domus.*

Pri-

Prisce huic inscriptioni, dudum oblitteratæ, alia suffecta est in hæc verba:

*O Maria! cum tenello
Nos a peste, fame, bello,
Serva! & in hora mortis
Dignos fac beatæ fortis.*

§. VII.

De Arce POSONIENSI, Regum Coronatione POSONIUM translata, ac Apostolici Diadematis Sede.

In signum POSONII prærogatarum facile prima est, quod isthic non modo fiant Regum Hungariæ inaugurationes, sed ipsum illud, genti nostræ semper summe cultum sacrum Diadema asservetur. Mohacensis clades, quemadmodum Pesthanis e campis Comitibus, Buda Regiam, & cum hac ærarium, sanctiusque Consilium, ita Vissgrado Coronarum sacerrimam anno primum MDLII. lege Regni perpetuum domicilium nactam, Alba-Regali Solemnia Coronationis POSONIUM traduxit. De augustissimo hoc apparatu scribere non attinet, quando domestici istud, exterique Scriptores egregie persequuntur. Attracti sunt ad pompam hanc Europæarum pulcherrimam remotissimis etiam e sedibus variarum nationum populi copiosius, quam superiores per ætates, anno MDCCXII. ad diem XXII. Maji, quo Carolus VI. pluribus jam antea Coronis ornatus, non alias audito applausu salutatus est Rex Apostolicus. Nimirum jam tunc præfagebant subditorum animi, hunc denique toties optatum amplissimi Regni Reparatorem fore. Crevit Hungariæ magnificentia, seque ipsa major visa est octavo abhinc anno, dum sacra Dominico Præcursori luce cœlesti illud cymelion sacro Regis MARIÆ THERESIÆ capiti imponeret; magnis de Materno-Regia desideratissimæ Dominæ suæ pietate spebus conceptis, quas operibus vinci ex vero gloriamur; jugibus cœlo affixi votis, ut piissimam hanc clementiam porro quoque experiri, tot post funera Regno huic respiranti liceat in Augusta quam diutissime; æternum, Regia sua in prole! de conditorio Apostolici Diadematis, Arce POSONIENSI,

ex ipsis Regni Tabulis constat, structuram ejus, qualis hodie vifitur ad regulam exacta, nitida, Regioque cultu, dum ufus fert, prædives, excitatam a Paulo IV. Comite Pálffi fuiſſe; eo inquam Patriæ Patre, qui fumma fide ærarium primum Regium, tum controverſias inter Regnum ac Reges, dignitate Palatini moderatus eſt. Occupat bene altum, & commode ſpatioſum collem validiſſimo compacta muro moles quadrata, eminentibus quatuor turribus, quibus totidem anguli præcipuæ ædis faſtigiantur. Turrium illa, quæ ſeptentrionem ſpectat, receptaculum eſt Diviniſſimi illius Hungarorum Palladii, & miſſi de cœlo ancilis; quod ne perinde, ac poſt Mohacſianam cladem, quin etiam turbante Patriam Bethlenio peregrinaretur unquam deinceps, ſanctiſſimis Regni legibus cautum eſt: perenne ut POSONII domicilium habeat. Non quotidianam ſane Providentiam Numinis commendat, tot inter discrimina munus hoc Apoſtolicum ſervari potuiſſe, ſive dum per Elifabetham, Poſthumi Matrem ſublato, ac pedifequæ caſtula obvolutum in cavæ arboris foramine pernoctaret; ſive ligneo vaſe abditum incurii equitis valiſis evolutum, publica in via perderetur; ſive poſt duorum Regum inaugurationem ad Solymani veniſſet manus, ab eoque traditum Joanni Regi, viginti admodum annis in ejus, ac Iſabellæ viduæ captivitate attineretur; ſive denique anno MDCXX. decimo tertio Kal. Decembres cederet in ſpolium Gabrieli Bethlen, detinendum aliquantisper Veteroſolii, biennio autem Eſchedini; quo exacto, e pactis Nickelspurgensibus, reſectum eſt POSONIUM, priſtinam (quod habent quartæ ſanctiſſionis anno MDCXXII. Sopronii conſtitutæ verba) conſervationis ejus ſedem ſolemniter reponeretur. Reliquas Sacræ Hungarorum gazæ, extra ſedem, publico Regum, ac Regni placito attributam, atque adeo extra ipſum interdum Regni ambitum detentiones, non tam exilium, uti appellat Petrus de Reva, quam præſidium dixerim, quo turbulentis illis temporibus legitimi Reges tutabantur ſacram Coronam, hujus abſentis Religio Regnum in officio continebat.

§. VIII.

Paræcialia POSONIENSIIUM Templâ.

TRes, ad Mohacſienſem uſque cladem, fuere POSONII Paræci: ad Divi Martini in Urbe unus, duo reliqui extra mœnia, proxime ad portas cognomines ſanctorum Michaelis Archangeli, & Laurentii Martyris.

At

At posteaquam indigno casu periit Ludovicus, ac Regina acerbissimo dolore juxta, metuque concussa, confugit POSONIUM; his, penes quos tuendæ Urbis potestas erat, visum est, universâ demoliri ædificia, sacra perinde, ac profana, quæ propius muros essent, quo barbaro victori magis ardua redderetur oppugnatio, si capta Buda, præsidio vacua, isthuc arma proferret. Eam ergo per occasionem solo æqualis Laurentino, ac Michaelæo Delubris, Urbicum duntaxat perstitit, sua vetustate, cultu, amplitudine imprimis spectabile. Jam anno MXC. a S. Ladislao Rege quadratis e lapidibus conditum esse perhibetur; sive ut insignem de Ruthenis per ea tempora relatam hoc monumento in acceptis DEO, Divoque Militi, ac Pannoniæ Civi Martino referret; sive ut votum exolveret, quo Sanctus ille se se creditur obstrinxisse, dum POSONII premeret obsidione Salomonem Patruelem, memorabili Numinis favore soluta. Persequitur hæc Bonfinius Dec. II. Lib. IV. Præplacet aliis opinari, vastam hanc sacram ædem perinde, ac Montis Pannoniæ Cænobium fructum esse edomiti per S. Stephanum Kupæ, Simeghienfis Ducis, ac suppressæ in eo per Hungariam idolomania; cui S. Ladislaus ultimam imponere manum potuit, cum ejus decessores continuis distinerentur bellis. Cur autem illustris hujus Fani ipsa primordia non referantur ad S. Ladislaum, rationem dant nostræ sententiæ Patroni: quod Marianus hic Rex suo quodam more eam Virginis Sanctissimæ, præ S. Martino, consecraturus fuisset honoribus; nec S. Stephanus, citra injuriam, credi possit templo vacuum reliquisse, quam incoluerat, Civitatem. Utraque hæc conjectura, ut rem plane non conficiat; sat firma tamen est. Confert ad vetustatem ejusdem Templi adstruendam, sub ipsa Colomanniani Regni initia celebre fuisse; cujus prisca majestatis situ, pulvereque obsitas reliquias, ætatis, quam vivimus, ornatu commutavit Celsissimus, ac Reverendissimus S. R. I. Princeps, & Hungariæ Primas Emericus e Comitibus Eszterházy de Galantha, grandi ære cum in faberrima subsellia, tum vero præcipue principem in aram, adjectumque S. Joannis Eleemosynarii sacellum, profuso. Vægrandis aræ moles ad novissimæ Architectonicæ leges exacta est, cujus cor occupat piissimus miles S. Martinus, pallium dividens cum mendico, fusili ex ære una cum vectore caballo conflatus, ac perquam scite Emerici Patroni vultum repræsentans.

§. IX.

*De Sacris Exuviis, ac Sacello S. Joannis
ELEEMOSYNARII.*

Visendum olim fese Martiniana in Basilica offerebat insigne Mausolæum, sinu suo Divi Joannis ELEEMOSYNARII, Alexandrini olim Episcopi, ossa complexum, atque e Rhodio, Parioque marmore non minus ad elegantiam, quam venerationem mira arte elaboratum. Inferne Rhodii marmoris basis molem inchoabat, cui ex Pario quadrata incumberebat tabula inscriptionem historicam oculis intuentium exhibens in hæc verba :

S. JOANNIS ELEEMOSYNARII EPISCOPI ALEXANDRINI
CORPUS INTEGRUM, REGI MATTHIÆ CORVINO
TRANSMISSUM FUIT CONSTANTINOPOLI A
CÆSARE TURCARUM. IN CAPELLA REGIA BUDÆ
ASSERVATUM MIRACULIS CORUSCAVIT. ÆVI
ILLIUS SCRIPTOR PELBARTUS IN POMOERIO
ID TESTATUR, ET POST HUNC SURIUS XXIII.
FEBRUARII. MANUSCRIPTI LIBRI DE CLADE BUDENSI
ALTER LUPOCLAVÆ IN SCLAVONIA, ALTER
ROMÆ IN BIBLIOTHECA AUGUSTINIANORUM
RECENSENT, QUOMODO AMISSA BUDA PER
EREMITAS ORDINIS B. PAULI VENERABILE CORPUS
IN VALLEM TALI PROPE POSONIUM TRANSLATUM
VETUS SCRIPTUM, IN CAPITULO POSONIENSI
ASSERVATUM, INTEGRA FIDE REFERT, ANNO
MDXXX. DIE PENTECOSTES, JUSSU IMPERATORIS
FERDINANDI I. PER COMITEM POSONIENSEM
JOANNEM SZALAI CORPUS S. JOANNIS, UNA CUM
SACRIS EJUS CLENODIIS, INGENTIS PRETII, CAPITULO
POSONIENSI ASSIGNATUM FUISSE. HOC ANNO
MDCXXXII. EMINENTISS. ET REVERENDISS.
CARDINALIS ARCHI - EPISCOPUS PETRUS PAZMANY
EX HUMILI LOCO CONSERVATORII SACRUM
CORPUS, ARGENTEO LOCULO DOTATUM, HOC IN
MAUSOLÆO REPOSUIT, AC LUCERNA PERPETUA
ORNAVIT. AD DEI GLORIAM, IN SANCTIS AUGENDAM,
ET PATROCINIUM S. JOANNIS IMPETRANDUM.

Hæc

Hæc e Bollando ad XXIII. Januarii, qui ex Historia Translationis anno MDCXXXII. a Georgio Draskovitsio, Episcopo Quinque- Ecclesiensi, peractæ, conscripta eadem hausit. Subinde facer hic thesaurus in Sanctuario parieti, loco elatiori, insertus, piorum devotioni proponebatur; nostra denique ætate puta anno MDCCXXXII. die XXVIII. Octobr. depositus est in sacello, Regie prorsus, & ad exquisitissimum nitorem, sumptu, sexaginta florenum millia superante, per laudatissimum Primatem Emericum Eszterháziûm constructo. Adhæret moles pulcherrima, aquilonari Basilicæ angulo, ubi dirimitur Templi navis a choro, habens aditum ex ipso Templo. Pretio, quod ex modestissimi conditoris ore haustum inscripsimus, metiri quisque majestatem operis potest, ne illi immorari sit necesse. Trium quas exhibet, inscriptionum non meminisse non possumus. Prolixiorem reliquis exhibet marmor, sinistro parieti pro limine insertum, in hæc verba :

D. JOANNIS,
MAGNI ALEXANDRINI PATRIARCHÆ,
ELEMOSYNARII MAXIMI,
LIPSANIS SACRIS, EX CYPRO BYZANTIUM,
INDE BUDAM, ISTHINC IN VALLEM MARIANAM,
AC DEMUM POSONIUM IN MAUSOLÆUM PAZMANIANUM,
TANDEM EX MAUSOLÆO
CUM LOCULO PRIORI ARGENTEO REFORMATO
POST SÆCULUM UNUM ISTHUC TRANSLATIS
IN PERPETUUM OBLIGATIONIS SUÆ
MONUMENTUM,
HAS ARAS DICAT,
HANC ÆDEM PONIT.
D. XXVIII. OCT. A. C. MDCCXXXII.
FRATER
EMERICUS ESZTERHÁZY.

Altera, quam apsis pandens aditum in ædem pulcherrimam, sustinet, sequente notatur sententia :

NULLI SANCTORUM,
SED IPSI DEO SANCTORUM,
QUAMVIS IN MEMORIAM SANCTORUM,
CONSTITUIMUS ALTARIA.

S. Aug. L. XX. Cont. Faust. Manich. C. XXI. Sect. IV. seu Anno Christi 396.

Postrema Inſcriptione æmulatur magnus Fundator factum ſanctiſſimi ELEEMOSYNARII, cujus benefaciendi ſtudium, tota vita, meritis, & annis plena, ampliſſimis largitionibus exæquabat; cryptam quam ſibi vivens condidit, hiſce inſcribendo verſiculis:

SUB HOC
ADMIRANDÆ COMMISERATIONIS
PRODIGIO,
DIVO JOANNE ALEXANDRINO,
EGO IN TE,
DEUS MEUS, MISERICORDIA MEA,
ASSISTENTE MIHI
DULCI MISERICORDIÆ MATRE,
DORMIAM, ET REQUIESCAM,
FRATER
EMERICUS.

Plurima, quæ ſtudio brevitatis prætere cogimur, ſuperſunt alia, memoratu digniſſima, ædiculæ hujus belliſſimæ, ac Baſilicæ Martinianæ ornamenta, altaria, beneficia; quorum ad vulgus primum eſt: in hac Regum inaugurationes, & quidquid ſolemnium ſacrorum habet Regnum, in Comitio collectum, inſtitui ſolere. Sacra in eadem faciunt Canonici, & Paræcus, quin Jeſuitæ quoque, vicino in domicilio, per Cardinalem Pazmanum adornato, reſidentes.

§. X.

De Venerabili Capitulo POSONIENSI.

NEotericorum quidam copioſe ſcrutatur origines Capitulorum, Canonicoꝝ item, Sæcularium juxta, ac Regularium. Horum inſtituta refert ad Ludovicum Pium, ita ſcribens: „ Poſtea Ludovicus Pius, quia „ Canonici ſine regula vivebant, primus eis regulam præſcripſit, & ad „ modum Monachorum juſſit vivere &c. „ Fallor, niſi aliquot ante Ludovici ætatem ſæculis florens erat Canonicoꝝ utriuſque ordinis ſtatus; qui a S. Auguſtino ad Ludovici illius tempora pluribus in locis integer perſtitit. Quare non erat opus vel reparatione Imperatoris Piſſimi, nedum ut prima inſtitutio illi deſerri queat; cum præfertim Ludovicus ſuis in Capitularibus proprietatem privatis indulgeat, quod religioſam vitam penitus

con-

convellit, atque idcirco in Romana Synodo rejectum fuit. Videatur Ludovicus Du-Mefnil. Tom. IV. Doctrinæ, & Disciplinæ Eccles. pag. 119. & alibi; ne rem vulgo notissimam cum tædio referamus. Ambiguum quoque sensum, ne dicam erroneum, habet illa ejusdem Scriptoris narratio, qua asserit: „ Hujus (Presbyterii, sive Capituli) erat potestas gubernandi Ecclesias, quæ tunc in administratione sacrorum, seu actibus, quos „ vocant, ordinis, consistebat; qua quidem potestate absente etiam Episcopo usum fuisse Presbyterium, passim legas in monumentis veterum. „ Hæc ut vera sint, at mentem Auctoris non satis assequor; vel enim Presbyteri exercuisse scribuntur actus sibi proprii ordinis absente Episcopo; atque istud supervacaneum esset, tanquam characteristicam Presbyterii memorare; vel ordinis Episcopalis, hoc autem sustineri cum veritate nequit, nisi suis limitibus circumscribatur, absenteque Episcopo, aut vacante sede, Capitulum actus ordinis Episcopalis dicatur exercere per alium, eumque verum Episcopum. Hac præmonitione, non abs re, inserta, institutisque Canonicorum Sæcularium, ac Regularium ad ætatem Ludovico Pio vetustiore reductis, cujus beneficio Præpositus, & Canonici POSONIUM inducti sint? operosius est, quam ut confici a nobis queat. Jam tum Colomanno Rege annum circiter MXCVII. floruisse hoc Sacerdotium loquuntur quædam Privilegia: atque hæc internominatim illud de judicio ferri candentis, & ferventis aquæ, quod quam callide, tam destitutum graviore aliquo momento a Judæis, aut Scythis in Hungariæ Christianæ Leges dimanasse commentari eundem, cætera non inficetum Scriptorem norunt in Historia Ecclesiastica probius instituti. Consule mox citatum Ludov. Du-Mefnil. Tom. citato Lib. XLV. pag. 130, & vel me tacente disces, qua fide alieni res, ad Ecclesiam, quacunque tandem ratione pertinentes, tractent, qua calliditate suas in eam calumnias, toties confutatas, iterum, iterumque ignaris instillent. Confici hinc existimo Petrum Gayzmir, quod vult Turoczius, non fecisse initium Capituli POSONIENSIS, ad annum MCCCXXIV. & si minorem numerum ad duodecimum, aut quartum, & decimum provehere potuerit; nam quatuor supra decem Canonicis frequens esse Illustrissimum hocce Collegium, quanquam duorum census inegentes, ac Symphonicos dispesci soleat, habet in Appendice I. Synodi Tyrnaviensis Pazmanus. Facit ad cumulum laudis amplissimi Collegii,

quod ejus fidei creditum sit Regni Tabularium, cujus sigillum exhibet salutis nostræ vindicem Christum, Templi tecto, duas intra turres, insistentem, dextra benedictis in morem composita, sinistra vero globum, cruce coronatum, sustententem, cum circumfusa inscriptione: S. ECCLESIAE SALVATORIS POSON. Ex hoc, aliisque monumentis non inficete conficitur: Civitatem POSONIENSEM Salvatori Christo dedicatam fuisse, una cum principe Templo in memoriam S. Martini constructo. Idem hoc clarissimorum virorum contubernium semper abundavit viris doctrina, pietate, rerum usu, zelo fidei, omni virtute spectatissimis, Præpositis præsertim; quorum nonnulli ad amplissimas dignitates hoc e subfello subvecti, ac Legationibus quoque maximis perfuncti sunt; alii mitram POSONIENSEM intra Cancellos Regni, nonnulli cum ipsis Romanæ purpuræ Galeris conjunctos habuere. Veniunt his nominibus Hieronymus Balbus, Ludovico I. a secretis Epistolis, Emericus Cardinalis Csákus, & (ne longum Syllabum texere cogar) anno hoc Varadinensem ad Episcopum urgentibus meritis, evehctus Paulus Stephanus Comes Forgachius; quorum vestigia magnis passibus insistit Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Josephus Carolus Zbisko de Kis-Kolacsin, Episcopus Vegliensis, Abbas B. M. V. de Batta, Ecclesiæ Metropolitanæ Strigonienfis Canonicus, S. C. R. Majestatis Excellsi Consilii Regii Locumtenentialis Consiliarius, Ecclesiæ nostræ, & Capituli Præpositus, ac POSONIENSIS Archidiaconus. Amplissimæ sunt ædes hujus Antistitis pone ipsam Ecclesiæ aulam; hospitio, ac epulo Ferdinandi I. ejusque Filii Maximiliani, recens tunc inaugurati, una cum Maria conjuge, nobilitatæ, ut legere est apud Istvanffium Lib. XXI. In eorum possessionem venisse Præpositum crediderim primum anno MCCLXXIII. quando post cæsum Ottocarum sua latifundia recepit cum Capitulo; quod e Vedriczienfi in hodiernum immigravit vicum sub idem tempus. Excoluit easdem elegantissimus ille Balbus; ad hodiernam autem majestatem instruxit purpuratus Ecclesiæ Princeps Emericus Csákus, alibi nobis laudandus. Secundum insignia Præpositorum, Capituli que Privilegia, nec sua, Notario ejusdem, defuit prærogativa. Is enim ad annum fere MDC. legi solebat e Canonicis, ac Testamentis, litibusque nomen suum hoc modo subscribat: Ego N. N. auctoritate Imperiali (aliquando addebatur: Apostolica) subscripti.

§. XI.

§. XI.

*Vetera, ac Nova intra Urbem POSONIENSEM
Religiosa Claustra.*

BEla IV. Rege, cujus Regiæ POSONII in vico Vedricz ante annum Christi MCCLIV. Joannes Abbas Pilisifensis domos, ac turre adjevit, vicem propugnaculorum obituras adversum Tartaros, si porro inundarent Hungariam, duorum Religiosorum Ordinum Domicilia stetitisse hac in Urbe reperio; non item, quorum fuerint. Nam etsi non desint, qui Xenodochium ad D. Antonii cum Templo procurasse Franciscanos opinentur; id tamen in dubium revocant, quibus obtigit comperisse, in eodem Ptochodochio ægris ministrasse Religiosos Hospitalarios; quo nomine vulgo accipimus diversos a Divi Francisci filiis. Intercidit jam omnis memoria domus illius; ex adverso, sacrae Thaumaturgo Regi Ladislao, successus est a Ferdinando I. fundus Ecclesie S. Laurentii, quam supra meminimus, solo æquatam fuisse. Testatius illud: quinto æque ac sexto supra decimum sæculo floruisse sodalitia Divi Sebastiani, ac sacratissimi Corporis Christi; cui Divinissimo fortium cibo, publico in comitatu ad ægros deferendo, censum perpetuum attribuit Cardinalis Pazmanus anno MDCXXXIII. Adjecta piis hisce contuberniis duo alia sunt: Virginis puerperæ, & morientium Patronæ Barbaræ; quas jam anno MDCIII. floruisse lego, quin tamen eruderare licuerit, sub quorumnam sacrorum hominum cura coaluerint, ac adoleverint. Planiora sunt, quæ propinquioris ætatis homines, augendæ religionis ardore incitati, excitarunt, aut dudum suscitata, pietate continua ad nos dimanarunt. Primas in his merito tribuimus Templo, ac Cænobio Seraphici Patris Francisci filiorum. Posuit hoc, teste Joanne de Turocz, Samuele Timon, ac pluribus aliis, Ladislaus IV. vulgo Cumanus, Anno MCCLXXX. jussu Nicolai Papæ III, ut aspersam Regio nomini labem solutiore vita, insigni hoc pœnitentiæ monumento obruisse æstimari queat. Fanum hoc Virginæ Parentis memoria illustre, clarum reddit prima Regum functio, quam obeunt illico post suam inaugurationem, Auratos, patrio ritu, Equites creando. Pone grandem hanc Basilicam stant Sacella: Patientis Domini, Lauretanum, Divi Sebastiani, ac mortuorum. Postremam hanc structura prodit multo vetustiore esse opere Cumani, atque
adeo

adeo sacrario Templi, quadraginta passus longi; ad quod ingens matronarum, cæsis viris, numerus se receperat, dum Ottocarus POSONIUM evastaret. Coævum, aut vetustius est odæum, ad quod Sanctimoniales Divæ Claræ claustrum habent, quod olim Cisterciensium fuisse Sororum, annotavit Turoczius, quæ anno MCCXCVII. penitus interierint, bello, ut reor, inter Albertum Auftriacum, ac Andream III. perditis cænobii fundis. Cujusnam Regis indulto Cisterciensibus successerint S. Claræ Sodales? non proditur. Mohaciensem post cladem hinc ad tutiora confugisse, Monasteriumque in ægrorum usus concessisse, quod aliquot post annos annutu Ferdinandi I. Regis receperint Clarissæ, scribit nonnemo. Insuper Asceterium istud præbuit hospitium Monialibus Dominicanis, quæ metu Solymani de Budensi Leporum Insula primum in vicino Urbi Varadinensi ad S. Joannis Monasterio se abdidierant; deinde Tyrnaviæ in deserto sui Ordinis Virorum claustro; donec jubente Paulo V. Pontifice aliæ ad Tyrnaviensem Clarissarum, aliæ ad hoc ipsum POSONIENSE, religiosæ vitæ rigore florentia, fuissent traductæ. Attulere sacræ illæ Virgines incomparabile secum Cymelion, Lipsana Sanctissimæ Virginis Margarethæ, Belæ Regis IV. filiæ. Digna lectu sunt, quæ de his refert Sigism. Ferrarius in libro, quem scripsit de Rebus Hungaricæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum Parte II. Cap. XXIX. & seq. Deductas hinc fuisse sacrarum DEO Virginum Colonias Budensem ad Metropolim, in descriptione Budæ meminimus. Ne hoc in argumento solito prolixiores simus, consulto præterimus, quæ de religiosissima hac domo typis digna operose congestimus; ut autem præcipuorum Benefactorum nullam omnino mentionem faciamus, impetrare a nobis non valemus. Loquitur eos insculpta portæ cænobii Lofiana inscriptio in hæc verba:

PETRUS CARDINALIS PAZMANY, ARCHI - EPISCOPUS STRIGONIENSIS, HOC CLAUSTRUM RUINOSUM DIRUIT; A FUNDAMENTIS AD SUMMITATEM EDUXIT, IN OPEREQUE OBIIT ANNO MDCXXXVII. DIE XIX. MARTII. EMERICUS LOSSY, ARCHI - EPISCOPUS STRIGONIENSIS FELICITER FINIIT, BENEDIXIT, ET VIRGINES SUB REGULA SANCTÆ CLARÆ, DEO DICATAS, INTRODUXIT ANNO MDCXL.

Res ipsa postulare videtur, ut Divæ Claræ secutis regulam Virgibus, Ursulinas Sanctimoniales annectamus. Referunt initia sua ad Leopoldi
Re-

Regis, & alterius Leopoldi Hungariæ Primatis, puta Kolonitsii ætatem, in Urbem hanc inductæ, ac æde sacra donatæ, quam ingratis Regis hæterodoxi pro natione Hungarica, Slavicaque excitarant, dum anno MDCLXXII. ejusdem possessione depellerentur; cum Regno donatæ sint primum anno MDCCXXIII. quod planum fit ex Articulo XCVI. celebratæ anno illo Diætæ. Institutum sacri hujus cætus ita contemperat contemplativæ vitæ activam, ut non modo ad probitatem, sed opera quoque, & artificia suo sexui propria, honesto loco natas instituat puellas. Plurimum valentis hujus ad publicum palæstræ fructus expendens Celsissimus Princeps, ac Hungariæ Primas Emericus e Comitibus Eszterházy, angustias claustris laxare cocepit anno MDCCXXXI. nec ante liberalem contraxit manum, quam omne prorsus incommodum submovisset. Claustris accenseri potest Domus Eremitarum Divi Pauli, Tallensi Monasterio candidi ejus ordinis partim a Ladislao de Rozgon anno MCCCCLXX. partim secutis temporibus ab Helena, Georgii itidem de Rozgon, Comitis Posoniensis filia, annuente Corvino, in perpetuum transcripta. Sita est in vico urbis longissimo, gaudetque immunitatibus, totius regni placito anno MDCXLIX. affirmatis, ac Beneficio S. Andræ Apostoli, cujus sacellum domicilio inædificatum est.

§. XII.

*De Domiciliis Societatis JESU, ac Vitéziana
Academia.*

DUOBUS domiciliis donata est JESU Societas POSONII; altero pone principem Divi Martini Basilicam; altero in orientali urbis regione, claustro Franciscanorum contiguo. Prius illud assurrexit Pazmaniana in Ecclesiam, ejusque ministros largitate, anno MDCXXVI. in quo non amœnioris duntaxat palladis frequens, ac nobilissima juvenus, sed severioribus quoque disciplinis formabatur junior Clerus; posterius vero alterius Purpurati Strigonensium Præfulis, Leopoldi Kolonitsii, anno MDCXCIX. sumptibus adjungi cæpit Templo S. Salvatoris, per Luthericos in honorem Divinæ Triadis anno MDCXXXVI. & sequente, præter jus, ac citra annum Regis constructo. Delubrum hoc, Gymnasium, ac Domicilium, non immerito Kolonitsiani erga Religiosam Familiam illam amoris, ac in

provehenda orthodoxa fide zeli monumentum dixeris; quod præcipuorum quorumvis Regni optimatum gratiis hodie dum (quæ eorum est bonitas) affatim excolitur. Collegium cum Gymnasio, illustri illo, ac frequentissimo, e vicina Martinianæ Basilicæ Residentia, a Pazmano uti dicebamus, condita, idcirco ad S. Salvatoris translatum est, ut partitis operis utrobique præsto sint focii populo, hic quidem in Salvatoriana, vicinaque Urfularum Sanctimonialium, illic vero in Collegiata, ac Sororum Divæ Claræ Ecclesiis, verbo DEI, ac Sacramentis procurando. Hæc de Jesuitis; quos non raro indolere audias occasui Istropolitanæ Academix, quam anno MCCCCXCIX. Vedricenzi in vico erexerat Doctissimus Joannes Vitézius, Strigoniensis Archi-Episcopus, breve ævum laturam. Extincto enim Joanne, desit & ipsa, sufficienti dote destituta. De nomine, quo insignita erat, litigandum non existimo. Nam etsi flumen, quod alluit POSONIUM, nondum isthic Danubii ponat appellationem; quia tamen Corvinus Urbem hanc Histropolim dixerat, adblandiri discipulo Vitézius voluerit, dum POSONIENSE Lycæum Histropolitanum dixit.

§. XIII.

De Curia Archi-Episcopali, Seminario Clericorum, minoribusque sacris ædibus.

Salvatoriano Jesuitarum Collegio objicitur Archi-Episcoporum Strigoniensium Palatium, conjunctum Civico Prætorio, amplitudine sua jam inde ab anno MDLXIII. commendabile, quo Corona Hungariæ redimiendum Maximilianum, cum Coniuge, liberisque accepit hospitio; cultu autem a Christiano Augusto Cardinali de Saxoniam, & Emerico Eszterházy ad sæculi nostri majestatem instructum. Postremorum horum Archi-Præfulum opus est publicæ pietatis monumentum, statua S. JOANNIS NEPOMUCENI, pro fronte Palatii candido e saxo bellissime vermiculata, quam Augustus ex voto, rudiorum posuerat; Emericus ad omnem excoluit nitorem, elegantibus clathris ferreis circumdedit; luminibus instruxit; artifice penicillo picturatis vicinis parietibus plurimum adornavit; comprecationem, sacrasque symphonias eo hebdomadæ die, in quem quot annis Divi illius, fama laborantium Patroni, gloriosæ mortis incidit memoria,

ria,

ria, instituit. Vetusius in ipsa Archi-Episcopali Curia sacellum est, S. Ladislai Regis honoribus dedicatum; a Georgio Lippai, Metropoli Strigoniensi, reparatum, urbicoque ejusdem Divi Xenodochio, quorundam opinione, coævum, cujus jam ante memini. Primus, quod sciam, Strigoniensium Antistitem, volente Ferdinando I. sedem POSONII Vardanus fixit, anno MDXLIII.; quem secuti sunt in munere Pastoralis Successores, ob insignes opportunitates, quas indispicuntur ad promovenda Hungaricæ Ecclesiæ commoda, e vicina Regum sede, Vienna. Ædiculæ, de qua jam locuti sumus, sancto Regi Ladislao sacræ, confimiles binæ aliæ POSONII visuntur: Divæ Catharinæ, sita in vico S. Michaëlis, & Sacratissimi Corporis Christi in longa Platea, quibus Beneficia quoque annexa sunt; penes Urbicos Magistratus utriusque jure Patronatus residente. Restat hoc loco, ut junioris Cleri contubernium subeamus. Ornavit eo Civitatem nostram Emericus Losy, Divoque cognomini suo sacrum esse voluit; ut essent, qui tot Præfulibus, POSONIUM confluentibus, sacra facturis, pro dignitate assisterent, atque a teneris disciplinæ Ecclesiasticæ infuescerent. Piissimi Fundatoris mentem declarat inscriptio metrica, fronti ædi illius, Sacerdotum plateam (ut eam vulgus vocat) occupantis præfixa:

*Hoc, Emerice Losy, plantasti lilia fundo,
Liligeræ Matri, liligeroque Duci.
Ergo Emericanæ hic crescant virtutis Alumni,
Quos DEUS, & Virgo, quos Emericus amet.*

§. XIV.

POSONIUM Regni Comitiorum Sedes.

A Nimam Reipublicæ leges esse, dixit non nemo. Dat has Hungaris fere POSONIUM ab anno MCCCCXI. quo primum isthic collectum est Hungariæ comitium, Sigismundo Rege. Egit idem Imperator alterum quoque conventum POSONII annis admodum quatuor supra vicenos evolutis. Convocavit tertio Regni Optimates, cæteramque Nobilitatem, cui per leges nostras ferendi suffragii in publicis congressibus est potestas, Corvinus Gubernator, dum eam poneret dignitatem anno MCCCCLIII., Posthumusque fors non inauguraretur (nam incinctus Diademate sacro, eodem, quo natus est, anno MCCCCXL. fuerat) verum Sacramento

jurisjurandi adstringeretur. De cæteris comitiis scribere non attinet. Ad salutem Hungariæ plus attulisse superioribus universis merito dixeris illa, quæ anno sæculi hujus supra vicesimum tertio terminata sunt; quod eorum sanctione Augustissimæ Domus Austriacæ fæmineo sexui factum sit hæreditarium Regnum hoc Mariano-Apostolicum, atque ita vastationibus illis subductum, ad quas exterorum quorundam Principum ambitione destinabatur. Ad hanc gentis nostræ felicitatem, quia plurimum contulit Purpuratus ille Princeps Ecclesiæ Emericus e Comitibus Csakiis, Metropolita Colocensis, merito ab æquis rerum æstimatoribus dictus est Pater Patriæ, dignus, cui, sacrationibus suis in adytis, illa ponat monumentum. Plena sensu est oratio, qua Magnus ille Præsul e communi Regnorum, sacræ Coronæ subditorum, placito unam hanc tot capitum voluntatem deferret, amplissimæ sexaginta admodum Virorum Legationis ad Carolum VI. Imperatorem gloriosissimum, ea causâ adornatæ, Princeps. Ea, cum non passim extet, digna mihi visa est, a qua paginæ huic ornamentum accedat. Verum perinde commodus inferendæ illi dabitur infra locus. Hic innuisse satis esto: Magna propensi in Oratorem, Comitesque Legationis, ac universam gentem animi significatione verba Purpurati excepisse Augustum, utque Articulo ejusdem Diætæ II. infereretur, Ordinum petitio, annuisse.

§. XV.

De Consilio, & Ærario Regio, POSONII constitutis.

E Præstantissimis Hungaræ Reipublicæ, ad pristinam dignitatem reponendæ, mediis, a Carolo VI. Imperatore, ac Rege nostro sapientissime constitutis, unum est, Excelsi Consilii Locumtenentialis Regii *crectio*. Præses illius idem est, qui Pro-Rex, aut, hoc impedito, Regiæ Curiaë Judex; Consilarii vero e Prælatis, Regni Baronibus, Magnatibus, ac Equestri Ordine duo supra vicanos, præter numerosam minorum gentium, honoratissimam & illam Ministrorum catervam. Systema, potestatemque summi hujus Tribunalis Regii, legere est in Articulis Anni MDCCXXIII. ad quos, brevitatis causâ, Lectorem remitto. Utilissimo huic instituto, quod minorum comitiorum appellatione primitus veniebat, sedem in corde Regni,

gni, quo commodius propagaretur communis *salus* in universa membra, & petiere comitia, & addixit Carolus. Quare temporariam duntaxat, at nihilominus summe honorificam, utilemque interim stationem POSONII figit. Hæc facies administrandæ Reipublicæ Carolo rerum potente. Nam quæ fuerit seu post Mohaciensem cladem, seu dum Hungariæ libertatem sinistro nimium intuerentur oculo, sua, non Regum commoda respectantes nonnulli rerum administræ, odiosumque Palatini munus exteris, at Regibus, & Regno salutare, eversum irent; meminisse non attinet. Firmius hac in Urbe refedit munus quæsturæ (Cameram vocamus) Regiæ, jam inde ab anno MDXXXI. Thesaurii abrogato nomine, ejusque onere in plures diviso, dum instructio Cameræ per Ferdinandum I. die II. Julii signaretur, Budenitii, Præses & Consiliarii nominarentur, POSONII primum hospitium Maxnerianis in ædibus, mox, ære numerato, in jus Regium translatis, domicilium fixit. Affirmatum legibus jam est Consiliariorum ærarii Regii munus tum anno MDXL. Articulo VII. tum exacto hinc lustro; at ne redituum Regionum exactores ad extraneorum judicum tribunalia deferrent controversias, si quæ nascerentur, ante anni MDLIV. Articulum XI. sequentisque nonum, non reperio. Constituto hunc in modum ærario Regio aliquamdiu præfiebantur Ecclesiastici, dum Lupo Unferzagtio præter jus procedenti adversus Stephanum Illyéshazium, & Joannem Jó, coluisse putati Stephanus Szuhaius Vacziensis, & Nicolaus Micatius Varadiensis Antistites, Botskaianæ factionis rabiem experti sunt, officio, & Regno indigne moti. Notabilis inde secuta est conversio quæsturæ; anno enim MDCIX. Thesaurarius Thomas Vizkeleti constitutus est; cui num vel unus datus sit successor, non habeo, unde adstruam; at ex adverso Ladislaum Pethe nondum evolutis hinc novem annis, titulo Præsidis Cameræ insignitum fuisse, satis exploratum est; anno autem MDCXXII. in tabulas etiam relatum, qua potestate quæstura Hungarica polleret. Serebantur sub hæc semina quædam mutui Camerarum Hungariæ, Aulicæque consensus; sed quo convelli auctoritas Hungariæ visa est congregatis non uno in comitio Patribus; cum optimatum stomacho, & ingratis Regum. Recruduit vetus plaga sævius anno MDCLXXII. dum ærario præfecisset Imperator Leopoldus suum illum cognominem nunquam sine fausta comprecatione nominandum, Kollonitsium, Nitriensem Episcopum. Ne porro procederet,

cautum est Articulo XIV. anni MDCLXXXI. sicque tandem obstructus est fons querelis ; insigni prorsus fide , Regum , ac Regni expectationem superante dexteritate Præfectorum , de gente Erdödia , jam inde ab anno MDCLXXXIV. lectorum , Christophori , Alexandri , Georgii ; quorum primi incensam in DEUM pietatem , alterius raram in agendo æquanimitatem , postremi in octavum supra vicesimum annum laudatissime gerentis spectatissimum hoc munus Religionis Catholicæ zelum nulla tacebit ætas.

§. XVI.

Privilegia , & Magistratus Civitatis POSONIENSIS.

PRiusquam digrediamur in suburbana , non abs re fuerit recognoscere Privilegia quædam , & Magistratus Urbis nostræ . Multi in adfciscenda utroque hoc e capite , dignitate sunt nonnulli ; quorum institutum uti probare non possumus , ita ne paginas totidem verbis (quod Diplomatum fides exigit) farciamus , prohibemur . Compendia professis veniam dabit Urbs ornatissima , si unum dicamus : nullam ei Hungaricarum anteferri posse , Regum gratiis , immunitate tributorum , civium libertate , municipalium legum præstantia , Magistratuum in Rempublicam fide . Quem proluxior istorum narratio delectat , Regni leges , atque cujuslibet liberæ , Regiæque Civitatis Bullam auream evolvat , aut Notitiam Hungariæ Novæ Tom. I. Cap. VI. Articulo III. adeat ; in qua quidquid juribus Ecclesiæ adversum offenderit ; Scriptorem , accusantem tempora , quibus ea eviluerint , quæ nullius unquam roboris esse poterant , sacrorum Canonum ignoratione , non sinistra voluntate prolapsum , facilis exculpet . Eodem in opere textitur sylabus Prætorum , Consulium , ac Tabellionum , ab anno sæculi sexti & decimi sexagesimo sexto , ad præsentis quartum supra tricesimum , attingiturque funestus Michaelis Mikols , sub ipsa restaurationis commiffione , apoplexia subita decedentis casus . Secundis suffragantium votis electus vir ille fuit in Judicem , anno MDCCXXXII. cumque Lutheri dogma sequeretur , religioni sibi duxit per Deiparam Virginem , cæterosque Sanctos jusjurandum proferre . Exquisitæ hujus audaciæ dum rationem reddere scripto vellet infelix ille Divorum contemptor , actutum sensit vindicem DEI manum ,

num, fulmine prostratus apoplectico. Incredibile dictu est, quos ea temeritas Mariano in Regno motus causerit; quibus ego renovandis consulto superfedeo; nullius, quod reor, ingratis paginam concedens ardenti in cujuspam Patriorum periti jurium zelo, eam per occasionem sequentibus ad verbum prodito :

De cultu Reginae Hungariae, Virginis Deiparae in ordine ad exclusionem ejusdem Virginis e Decretalis Juramenti Formula.

„ *Primo* : Exclusio hæc fieri non potest ; quia formulæ usus est immemorialis, & si fieri deberet, cum sapiat, tam legis, quam usus abrogationem, nec præcise qua Religionem concernens negotium considerabile sit, fundamento Regiæ Articulis I. 2. & 3. Anni 1715. contentæ capitulationis, non nisi in Diæta communi Regis, & Statuum consensu fieri potest. Væ tamen, si eo tum fiat; Quia

„ *Secundo* : Taceantur victoriæ, quas Virgo Regina fidelibus suis exoravit Hungaris; Terreat vero recens exemplum hæretici Mikofs; qui ad conciliandam hujus exclusionis exoperationem An. 1732. in Festo Sancti Georgii Militis & Martyris, Posonii in Judicem electus, per Virginem jurare recusans, & facti rationem postulanti Regi redditurus, adeoque desuper arrepto jam calamo in senatoriali confesso scripturus, sceleratos conceptus improvisæ, & subitanæ mortis umbra involvere coactus est, Filio Vindice; qui Virginis Matris quasi præmaturas preces in Canæ Galileæ nuptiis inefficaces permittere non potuit, in carne precibus ejusdem Virginis primitias miraculorum deferens; ut sapiens memoraretur orbis, quid Virgini impensurus sit filius in gloria. Non abs re Articuli 54. anno 1523. & 4. anni 1525. conditi sunt; quos ob impeditam temporalis potestatis executionem, Pater electæ ex omnibus creaturis Filiæ Immaculatæ Matris, quoad carnem filius Homo-DEUS, & viri nesciæ puerperæ Virgini Sponsus Spiritus Sanctus, individua nimirum Divina Trias improvisa, & subitanea in ipso læsionis principiante actu interventa Mikofiana, Lutherani scilicet Posoniensis Judicis morte, executive confirmavit. Ast

„ *Tertio* : Dicunt hypocritæ politici: non est laus ex ore peccatoris, ideo hæreticorum invocatio non est curanda. ꝛ. Etiam diabolus confiteri, & laudare debet, quod odit: negatur tamen, Divinam legem esse alte-

„ ran-

„ randam. Itaque si in nomine JESU, quoad carnem etiam inferorum
 „ genua flectenda sunt; cur non filia diaboli patris, contradictionis, & in-
 „ obedientiæ hæresis, nimirum veritatis matrem, cujus caro est filius Ho-
 „ mo-DEUS, venerari debeat; eo potissimum accedente: quod Lege
 „ Hungariæ damnata, continuis rebellionibus innutrita, effrons, & scele-
 „ rata hæresis, Deiparæ venerationem prætendat esse blasphemiam; quæ
 „ tamen veneratio ab incunabulis Christianæ in Hungaria susceptæ Religio-
 „ nis imperturbata traditione viget, & infinitum in æternam æternitatem
 „ multiplicatura est incrementum. Ergo cedat veritati hypocrita; & ubi
 „ blasphemat hæreticus, ejusdem postulato deferre nolit. Enim vero suc-
 „ cedat politicus; & omiſſis aliis legibus ex Articulo 12. An. 1550. discat,
 „ præcise Romano-Catholicam Ecclesiam in Hungaria esse restaurandam.
 „ Jam vero an hujus, quasi postliminio instituendæ restorationis politicum
 „ exercitium versetur in florentis usus abrogatione? an potius: ut hæretici
 „ etiam vi compellendi, ovile, a quo erronee per vim, & seditiones exci-
 „ derunt, sequantur; oportunis, suavibus, ac importunas (ne dicam fedi-
 „ tiosas) preces emollientibus dilationibus ad successivum Virginis cultum
 „ flectantur? consequenter: utrum horum Christianæ Politicæ convenien-
 „ tius sit? secundum DEUM, & ejus justitiam ab hypocrisis puro politico
 „ submittitur judicio. Ac nihilominus

„ *Quarto*: Cum negotium sit conscientiæ, Ecclesiasticus status con-
 „ sulendus videretur super eo: an non blasphemet hæreticus, dum dicit:
 „ blasphemiam esse per Sanctos jurare? Quæstionis ratio est: quod Sancti
 „ Pauli ad Timotheum Epist. I. Cap. 5. vers. 21. hoc juramentum legatur:
 „ *Testor coram DEO, & Christo JESU, & electis Angelis, &c.* cum
 „ itaque in lege gratiæ Angeli se hominum conservos confessi, & aliunde
 „ creaturæ sint, an non hæretici per Sanctos, seu, quod idem est, electos
 „ jurare blasphemiam affirmantes, Paulum jurantem blasphemiam damnent,
 „ horrende blasphemantes? vel vero, an Matrem DEI, Angelis inferiorem,
 „ aut purgatorium negantes, plane cælo exulem, nova quasi hæresi mo-
 „ liantur, plusquam blasphemantes; & ideo publico regnantis in Hunga-
 „ ria Religionis statu exigente, in persona coriphæorum exemplariter pu-
 „ niendi sint? Sacerdotalis conscientiæ puritati submittitur. Ex his

„ *Quin-*

„ *Quinto* : Mixtum Ecclesiastico- Politicum succedit dilemma : vel
 „ jurare per Sanctos est religio? vel non? consequenter vel est blasphemia?
 „ vel non? si est religio, consequenter si non est blasphemia, juret Luthe-
 „ ranus, qui exercet actum virtutis, jurando ad legis præscriptum, tum
 „ qua civis, tum qua religionem colens Christianus. Si vero dicat Luthe-
 „ ranus : jurare per Sanctos non esse licitum, consequenter non esse reli-
 „ giosum, sed blasphemum; & politice, & Ecclesiastice maledicit, non
 „ tantum actui regnanti Majestati, verum & gloriosis prædecessorum ci-
 „ neribus, utpote quos blasphemix damnat; ubi tamen Exodi 22. v. 28.
 „ scriptum est : *Principi populi tui non maledices*; ergo impugnantes jura-
 „ mentum, quod populi Princeps communi statuum consensu deposuit,
 „ crimen læsæ Majestatis incurrere ex lege Divina probantur. Nec obeft

„ *Sexto* : Quod Judæi, & Turcæ ad hoc legale juramentum non
 „ stringantur; quia respondeo : desuper alia lege esse provisum, ac etiam
 „ hos jurium Regni non esse capaces, & Christiani nominis esse hostes.
 „ Hæretici vero sunt Christiani, sed errantes; ergo reducendi ad veritatem;
 „ consequenter nisi velint pares fieri Judæis, & Paganis, paritas est nulla.
 „ Hæretici enim credunt Virginem DEI Matrem, & , quam credunt,
 „ blasphemant; Judæi, & Pagani non credunt, consequenter nec forma-
 „ liter blasphemare possunt.

„ *Septimo* : Ad detrahendam inquietudini Religionis larvam, e con-
 „ verso ad demonstrandam sub specie religionis cives Patriæ prohibitis con-
 „ tributionibus exfaciendi licentiam, & reipublicæ exitiosam negotiatio-
 „ nem, sequens ex lege nascitur argumentum :

„ Ut Articulus 29. An. 1723. conderetur, præcipuorum hæretico-
 „ rum vota accesserunt; atqui hoc Articulo a Sancta Romana Ecclesia sta-
 „ tutorum Festorum observatio, & religio, consequenter Virginis, & San-
 „ ctorum summus, opere contestandus, cultus præcipitur : ergo hæretici
 „ lege Regni in cultum Virginis, & Sanctorum opere consenserunt. Quod
 „ vero hic cultus summus sit, probatur : Quia DEUS Sabathi sanctifica-
 „ tionem in sui summam adorationem, & cultum præscripsit; ergo Festo-
 „ rum sanctificatio etiam cultus Sabathini æmula esse debet. Jam igitur
 „ cur hæreticus Virginem, quam opere colit, verbo in testem veritatis in-
 „ vocare recusat?

„ *Octavo, & ultimo* : Fideli Patriæ civi justum provocare dolorem
 „ debet, quod hæresis se inarticulatam, consequenter vi capitulationis, &
 „ Diplomatis Regii jure statuum gaudere in Hungaria præterdat ; ubi ta-
 „ men Articuli 30. & 31. An. 1715. clare innuunt : ob insolentes sollicitatio-
 „ nes ex gratia præcisè Regia, & ad benignum ejusdem placitum hæresim
 „ *adhuc* toleravi. Nec hæc ambitio ad indignationem assumeretur ; nisi
 „ hæresis ob prætenfum jus statuum jura Imperii allegare, formulas impe-
 „ riales super juramento producere, sicque normam extranei gubernii, con-
 „ tra benignam Article 3. An. 1715. contentam Cæsareo-Regiam men-
 „ tem, in Hungariam inducere, adeoque ipsas Regni bases quatere, & col-
 „ lidere præsumeret. Quia ergo ex gratia tolerati statibus Regni semet-
 „ exæquare, & novum statum inducere comperiuntur ; merito fideles Pa-
 „ triæ cives ad societatis Christianæ conservanda fundamenta, & averten-
 „ das malas consequentias, apud Augustum Solium in homagiali fidelitate
 „ vigilare oportet.

„ Jurati Sodalis in Virginem obligata pietas ; grati civis in Patriam
 „ amor ; & Augustæ Domus, Virgine protegente, felicitatem zelantis sub-
 „ diti illibata fidelitas, hæc sentire suaferunt. „ Hæc ille, nec apice im-
 mutato.

§. XVII.

Suburbanæ POSONIENSIIUM sacræ ædes.

PRimi, qui suburbium POSONIENSE intra portas Sanctorum Michaë-
 lis, & Laurentii insedere Religiosi, sunt Fratres a Misericordia, quam
 ex instituto ægris impendunt, appellati. Adduxit eo hasce salutare colonias
 vigil illa in omne Patriæ commodum Georgii Szelepcsénii post aliquot
 annos Strigoniensi tyara munerandi, pietas anno MDCLXXII. Cum egre-
 gie publico suam probarent operam, exactis hæc inter initia XX. annis
 Joannis Maholány, personalis præsentia Regiæ in Judiciis Locumtenentis
 largitate Templum acceperet. Cumulavit beneficium Leopoldus Kolloni-
 tsius, emptis ædibus Maholánianis, ut iis Szelepcféniario additis cænobio,
 claustrum aliquando exurgeret, mole sua non minus, quam nitore com-
 mendabile. Incurrere pia hæc destinata in sufflamen civilium turbarum,
 quas Franciscus Rakoczius commoverat. Ita domesticis tumultibus res Re-
 ligio-

ligioforum Fratrum illorum afflictae sunt, ut novi Asceterii fundamenta jaci non possent ante saeculi, quod vivimus, annum XXIII. Lustrum non abiit a posito lapide primo, & moles amplissima idoneo paratu instructa est ad accipiendos intra Nosodochium aegros, claustro Religiosos Fratres; quod insigni cerimonia peregit Antistes Agriensis Gabriel e Comitibus Erdödy.

Triginta ferme annis ab ingressu Fratrum Misericordiae exactis Capucini donati sunt suburbio POSONIENSI, aquilonem spectante, cum principio, urbe Divae Catharinae sacello assedissent; quod Cisterciensium quondam Patrum, primumque in sacris POSONIENSIVM aedibus dicitur fuisse. Non uni adhæsit obici sanctum opus; dum tandem profusa largitate Emerici Eszterházy, Metropolitae Strigoniensis, ad culmen educeretur. Nam Templum quidem assurrexerat opinione celerius, sed quia deperato operis vitiose jacta sunt fundamenta, iterum, ac saepius redintegrare illud oportuit; Cænobii vero structura provehi non potuit, quod deessent, qui nervum sufficerent, afflictis rebus Hungariae per civile bellum, ac secutam epidemicam luem. Jam laxae, suo tamen accommodate mori, habitant, ab hortis ad delicias instructi.

Tertium Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum Ordinem Religiosum accepit hospitio suburbium POSONIENSE. Duo de centesimo saeculi superioris anno duxit colonias Illavia POSONIUM sacra hæc Familia, gratis Leopoldi Cardinalis a Kollonits, Hungariae Primatis, a quo Hungarica in platea Corona insignitam domum primum precario, postea dono datam incolebat aliquamdiu; dum futura providens, numerato pretio earum possessionem aedium adiit anno MDCC. quas operosius suis aptare usibus occupavit septimo & decimo post anno, Regni jure in Comitibus anni MDCCXV. donata. Opportunam hanc sedem, ut suam faceret citra strepitum sacer ille ordo, dexteritate usus est potissime Regio per id tempus ærario Præfecti Alexandri e Comitibus Erdödy. Nullum piissimus hic Comes curarum finem invenit, antequam Senatorum aliquot, Luthero devotos, eo inflecteret, ut possessione cæmeterii S. Michaëlis ea secula decederet, modo humanis ejus cadaveribus alter perinde commodus addiceretur locus. Addictus est, quem hodieque tenent; decessere de Arch-Angeli statione Luthericolæ, magnis progressibus crevit in annos singulos sa-

cra moles, duorum præcipue Regni columnarum Nicolai Pálffy Pro-Regis, & Stephani Koháry Regiæ Curia Judicis liberalitate promotæ.

Quartæ, easque adhuc postremas Religiosorum Virorum colonias deduxere POSONIENSIA in suburbia Hospitalarii de Rubra Stella, alias Crucigeri quoque, vel ordo militiæ Crucigerorum Hospitaliariorum, dicti, Advenere isthuc Praga adnitate cum primis Christiano Augusto e Ducibus Saxoniarum, Hungariarum Primate, ut habet Articulus XCVI. Diætæ anni MDCCXXIII. Eiusdem Purpurati Ecclesiæ Patris stetit conatu, ut ædes pulcherrima, cum cæteris eo pertinentibus, Religiosissimis illis Viris voluntate Caroli VI. Imperatoris transcriberetur, quam Decessores Christiani Augusti Orphanotrophio destinarent. Præest hac ætate Hospitali Regio, Divis Martino, ac Leopoldo consecrata, Antonius Mader, Præpositus una, S. Sigismundi de Buda, & Beneficiatus Soproniensis, accurans sedulo, ut, quos suo recepit tecto, congruo victu sustentet, decore amiciat, paterne pharmacis foveat ægredientes.

Ita prospectum cum esset POSONIO gemino Ordine Virorum Misericordiæ; calamitosæ mulieres publico destituebantur solatio ad postremos Emerici Eszterházy, Primatis beneficentissimi, vitæ annos, quibus Elisabethinarum Sanctimonialium magnificentissimum Templum, ac Asceterium, Hospitali, nunc laudato, objecit. Nihil ea mole concinnius, augustius nihil; ut si cætera deforent, quæ ubique per Archi-Episcopatus latifundia erexit sane plurima, elegantissimaque, uno isto monumento incensam pietatem suam in DEUM, & proximos, luculenter posteris testatam fecisset Princeps ille.

Cænobiis intra suburbia sitis, conjungo montem, mysteriis morientis DEI-Hominis consecratam. Recedit is aliquot mille passibus ab Urbe, septentrionem versus, creditus curæ unius de Societate JESU Sacerdotis; cujus partes sunt, in populo DEI, erga piissimum Salvatorem, tenerrimos affectus confovere, neu quid ad religionum per anni decursum, sacræ præsertim crucis, verni jejunii, ac parasceves diebus institui solitarum, dignitatem desideretur, accurare. Magnorum clivus ille non raro teritur vestigiis, quin sanguinibus etiam cruentatur, ut, qua licet, conformentur imagini filii DEI, facientes secundum exemplar, quod in monte monstratum est, ac imponentes in semetipsis, quæ defunt passionum Christi. Primo

lo.

loco hac laude nominandum venit rarum illud pietatis, religionis, demissionis, ac reverentiæ erga Divinissimum Myffæ sacrificium exemplar Christophorus Comes Erdödy, qui cum pro solenni suo ipsa morienti Servatori sacra luce anno MDCCIV. peractis insigni teneritudine pietatis officiis de monte hoc rediisset, placidissime meritis gravem animam reddidit Servatori; quandam visus affequi martyrii laureolam, cui cum Christo, & vero pro Christo etiam emori contigit.

§. XVIII.

De Hortis POSONIENSIBUS.

EMinet ea quoque prærogativa civilissima Urbis nostræ indoles, quod hortorum cultura nulli Hungaricarum concedat. Vix civem reperias, qui non sua sibi Tempe designet, amet in colle habitare sub vite sua, in villa sub ficu, & qualibet alia pomo. Huc felicioribus Hungariæ rebus profundebantur opes, huc vertebantur curæ, amabantque non prorsus nulli laxius in viridariis vernare, quamvis domi angusta res esset. Perhibent id de Palugyaio, viro nobili, qui deliciosum illum consecvit hortum, quem diu jam possidet Excellentissimus D. Comes Illyesházy, inter POSONIENSES uni Archi-Episcopali secundum. Suppar huic est Erdödianorum Comitum, ac Palfianorum, ne minores Pomonæ delicias memoremus, dum illa fedes Charitum, & Alcinoi Regia, Lippaianus, suo quodam jure paginam exposcit. Vitiferis affunditur collibus a septentrione, ab oriente, ac meridie patentes despicit agros, & prata, ab occasu diffusa suburbia, Civitatem, Arcem. Primam ejus construendi cogitationem suscepit Franciscus Cardinalis Forgách, sanctissimoque Mediolanensium Præfuli Carolo Boromæo dedicavit uno ante obitum anno, puta MDCXIV. Quare muro duntaxat clausit rus inconditum, & pomis aliquot consecvit, ut speciem quandam referret pomarii communis. Duo, qui Forgáchium successive in Archi-Episcopali sede exceperunt, Pazmanus, & Lósius non tantifaciebant Hortorum delicias, ut eo avocarent curas, quibus laborantem, tunc rempublicam, potissimum sacram, fulcirent. At Lippaius suopte ingenio innocentia interponere suis sollicitudinibus assuetus gaudia, ingenti animo Forgáchianas intentiones suscepit, & vicenniali denique labore absolvit. Rarissimos hic Silanos, colludentes e sparsis duorum salientium ad

pedes decem & octo, aquarum guttis, irides, pegafum in parnaffo in mufarum fuo cum Apolline concinentium medio e petra unguis excutientem latices, Herculem e fepticipitis monftri fractis cervicibus, S. Georgium e tricipite dracone elicentem perennes aquas, fatyros item, ac in his *livipiarium* motibus undarum hydraulice concinentem mirari erat. Cætera, feu fanctiore petita e codice, feu ad veteris Romæ compofita majeftatem, feu implexum Dædalix manus laborem, eo mirandum amplius, quod omnium in confpectu effet, qui intricatis viis feffe expedire non valebat, atque sexcenta id genus alia prudens, volensque prætereo, quod genuinam horum iconem, ære expreffam, æternitati affervavit Georgius L. B. Lippai, Magni illius Patriarchæ ex fratre nepos. Pleraque horum omnia jam extincta funt, fuisque duntaxat indiciis fe produnt, frequentem de eo, quod erant, fpectatorem ruderibus monendo. Hæc de illo deliciarum loco, nulla quondam majeftate indigno. Quamvis autem illa ingeniorum defierint miracula, Palatium nihilominus & mole, & ornatu affurrexit ultra cultum veterem Emerico Eſzterházio, nupero Primate; quando voluntate Regia Urbe POSONIENSI egredi, ac pretiofam publicæ rei vitam liberiore tutari in aere juſſus eſt anno MDCCXXXIX. depaſcente viciniam mortalitate. Cætera POSONIENSIUM viridaria, Palatiaque ſuburbana conſulto prætereo, ne vel prolixior eſſe cogar, quæ digniſſima relatu funt, memorando; vel injurius ſi quædam attingam, cætera premento.

§. XIX.

Bellicæ POSONIENSIUM vices.

TRactavi alias eam C. Cornelii Taciti ſententiam, quam in Librum de Moribus Germanorum retulit, eſtque ſequens: Marcomanis Quadisque uſque ad noſtram memoriam Reges manſerunt ex gente ipſorum, nobile Marobodui & Tudri genus. Hoc ſi ita, cum Tacitus floruerit ab anno Chriſti LXX. ad CIV. circiter, quæ bella geſſere paulo ſuperiorem per ætatem ad ripas Danubii in Quadia memorati populi, merito referas ad POSONIENSE territorium, Moraviæ vicinum, quodque jam tunc in caſtellis feciſſe numerum non abs re narratur. Jam vero Maroboduo exaucto- rato, ac teſte Aventino, apud Ravennates, duo de viginti admodum annos exulante, datum turbidis Marcomanis Regem Vaunium (Vannium ſcribunt alii)

alii) natione Quadum, Tacito consentiunt plerique. Itaque dum Vannius cum rebellibus subditis, ad radicem Carpati, ac propter amnem Danubium scribitur infelix prælium commisisse, atque ad Attilium Histrum, ope classis, in Danubio opperientis, transmisisse, ut Carnuntum cum reliquiis profligati exercitus evaderet; sub conspectu Urbis nostræ pugnatum fuisse oportebat. Quid si inter alia fuit POSONIENSE quoque Castellum, de quo præsidium Jazygum in proximos campos effusum, Lygios, Hermundurisque tunc laceffebat, & exitiali conflictui Vanniano initium fecit? Id enim vero nec a sententia Taciti Annalium lib. XII. cap. XXIX, & seq. alienum est, & apprime cohæret Sommersbergianis rationibus. Atque hoc primum bellum est quod ad POSONIENSES, Vannio obnoxios, pertinuisse, e veterum scriptis elici potest. Excepere se continuo alia, quibus Marcomani, Quadique Romanis non raro negotium fecere, dum Europam vastante, Attila adscitarum in belli societatem illarum gentium ipsum aboleretur nomen, succedentibus (non utique incruento Marte) Rugiis, Herulis, Longobardis, Venedis, Slavis, & quod superius enarratum est; ut jam non sit operæ pretium antiquis paginas conjecturis farcire, ultra quas nihil vel illi proferre in publicum valere, qui iusta volumina hoc super argumento in lucem exmiserunt. Certiora propinquius ævum suppeditat. Atque imprimis insigne est stratagema illud, quo, viri unius ingenio servatum est POSONIUM, perdita classis Henrici III. Arcta hic Imperator obsidione premebat Urbem nostram, erectisque turribus, ac admotis machinis valide urgebat deditionem. Accessit ad malorum cumulum, quod sævior sese jam intra mœnia penetraverit hostis, annonæ caritas, quam qui premebat foris. Desperata cum essent omnia, atque hinc castris, inde classè prohiberentur, qui obsessis annona succurrere debuissent, Præfidiariorum unus (Zotmundo de Moyty nomen erat, a quo stemma Majthénianæ Gentis ortum ducere perhibent) rei bene gerendæ veniam a Præfectis petit, obtinetque. Erat is nandi, urinandique peritus; quare intempesta nocte hostiles naves subit, atque ad unam terrebrat; quæ admittis sensim aquis, suis insuper gravatæ oneribus subsidere ante diluculum occepere, tantaque celeritate perditæ sunt pleræque, ægre ut Zotmundus tantum temporis nancisci possêt, quo ad suos remearet, ne in facinore deprehenderetur. Gravissima hinc orta in castris est confusio; quæ, dum pignantibus cum aqua focii

opem

opem ferunt, ab erumpente cive multum passa, obsidioque soluta est, ac diffutum Henrici consilium, quo nitebatur aut Petrum Regem rursus in thronum reponere, aut reluctantem, edomitamque Hungariam facere vectigalem. Narrat Zotmundi factum Antonius Bonfinius, ac Joannes Turoczius, atque ex his recentiores. Vix evoluta sunt a consopitis Henrici molitionibus lustra quinque, cum domestici, atque adeo fraterni belli sedes esset POSONIUM, aut certe destinaretur ad ictum. Abdiderat sese ejus mœnibus amisso exercitu in campo Rákos, Salomon; quod cum certis auctoribus didicisset S. Ladislaus, ne colligendi sui spatium daret irrequieto patrueli, premendam continuo existimavit obsidione civitatem, probe munitam, quo ad saniores mentem, tunc nondum sanctum, reduceret Salomonem. Propitium sanctis suis votis habuit cœlum Rex piissimus. Nam teste Bonfinio Dec. II. Lib. IV. „ Memorant Ladislaum, meridie solum „ mœnibus appropinquasse, veluti aliquid exploraturum; contra, spectan- „ tibus cunctis, tanquam ad singulare certamen, prodiisse Salomonem; „ quippe qui hominem non agnoscebat, sed Ladislai militem esse arbitra- „ batur. Quum ad eum venisset, Divino quodam ostento deterritum e „ vestigio pedem retulisse. Interrogantibus dein militibus: Cur hostem „ præter institutum, & audaciam fugisset? continuo respondisse: se non „ hominem, sed Deos infestos perhorruisse; spectasse duos Angelos, hostis „ humero desidentes, qui candentibus, & infestis ensibus hominem propu- „ gnarent. Tali miraculo eo magis posthac militem reformidasse, & ob- „ servasse Ladislaum ferunt. „ Ita fraternas acies piissimum exarmavit cœlum; pro Regiæ desiderio, antri cupidinem iniecit Salomoni; præservi- dum illius animum sanctioribus favillis imbuit; Regnum cædibus, POSO- NIUM ruinis subduxit. Plus periculi imminebat sub initia Regni Geyzæ II. ab extero hoste. Erat hic Henricus Austriacus; qui etsi Conradi III. Romanorum Imperatoris societate, belli apparatu, ac justis exercitibus polleret, vim tamen apertam Urbi nostræ inferendam non putabat; ratus, plus fidei se habiturum in cive, maximam partem Germano, si ab ejus se cædibus, cæteraque hostilitate abstineret. Ergo Juliano Comiti dat in mandatis, ut antequam suscipiendi belli suboleat suspicio, quid astu possit, experiatur. At ille nihil cunctatus opportunis locis ponit insidias, Rapoltumque (ut reor) Legatum cum delecta manu equitum, quasi postridie primo diluculo susce-

fufcepto itineri inftitutum, in Urbem remittit. Valuit ſtratagema, quia nulla ſimultas Principibus intercedere putabatur. Admittitur Rapoltus, occupataque porta, ac infeſſa turri, quæ portæ imminebat, prius, edito ſigno, ex infidiis Julianum evocat, quam hoſtile aliquid meditari crederetur. Jam patente aditu in forum evaſerant Auſtrii, cum tumultuari civis, ad arma concurrere præſidium : Julianus ex adverſo, ne quid hoſtile pertentet capta civitas, arma ponat, Senatus, cui ſe conſilii fui daturum rationem pollicetur, coeat, acerbius nihil moturum in Urbem, datis publicæ fidei tabulis, edicit. Non ægre his acquievit civitas, ſequæ permiſit arbitrio hoſtis, quem in ipſa viſcera admiſerat imprudens. Cæterum Henricus amice tractabat, POSONIUM, dum eo potiretur, in paucos menſes producto dominatu. Vulgato enim præſtantiffimæ Urbis caſu, ad eam vindicandam concurrit ingens Hungarorum, mandante novo Rege, multitudo, neu plus a liberatore, quam raptore detrimenti acciperet, bellum ad Auſtriæ fines translatum eſt, ubi caſtra habebat Henricus. Vix adverſæ acies concurrerunt, mox grandis utrinque edita cædes eſt. Diu anceps pugna fuit; tandem ad Hungaros victoria declinavit, tribus noſtrorum, Auſtriacorum ſeptem milibus deſideratis. Exutus ad hæc eſt caſtris Henricus, & vivus ab Uro Equite captus Rapoltus; ficque citra majus aliquod detrimentum redditum eſt legitimo Domino POSONIUM: Non eadem felicitas graſſantibus Tartaris, Friderico Auſtriaco, & Ottocaro Bohemo, tenuit. Nam ut priorum ſævitiem præteream, quos ex æquo cladibus inferendis certaffe agit, Cromerus; ab Ottocaro propemodum everſum eſt POSONIUM, dum occupata aſſultu arce Anno MCCLXXI. domus in Urbe nulla incendio ſubducta fuiſſet; quo Tabularium quoque civitatis conflagraſſe quidam putant. Procella hac incubiit unquam ſævior alia POSONIO; quod non multo poſt fluxa Ægydii Præfecti fide deditum quidem eſt Ladislao cognomine Cumano; ſed iterum armis Ottocari oppreſſum; dum tandem anno MCCLXXVI. pace facta, vel, quod malunt alii, occiſo Ottocaro, in Ladislai poteſtatem veniret, atque rurfus anno vertente deditioe per Albertum Auſtriacum occuparetur Civitas, Arx vi ſubigeretur. Manſit in ditione Alberti annis aliquot, extorquenda ingenti apparatu belli, per Andream III. adornato; cui propulſando ſe imparem norat Albertus. In quem hæc cadant annum? non eſt extra diſquiſitionem. Anno MCCXCI. infe-

stis in Austriam armis irrupisse Andream III. uti & quinto abhinc Agnetem Alberti filiam sibi copulasse matrimonio, probe norunt Eruditi. Quare confieri pacem illam oportuit hos intra limites. Mors Andream occupavit anno MCCC. Budæ, & novis Hungariam calamitatibus involvit. Optimatum nonnulli Carolum Robertum ad Regni clavum destinabant, alii Wenceslao, Bohemiæ, ac Poloniæ Regi; favebant, duriori custodiæ mancipata Agnete, Andream vidua. Alte in animum Alberti cecidit hæc tanto fastigio illata injuria. Idcirco ineunte anni MCCCII. vere habitis delictibus, summam rei Hermannò Lambergico mandat, neu cesset ab armis prius, atque filiam, cum cognomine nepte parvula (nam & hæc Agnetis Matris calamitatem subierat) in libertatem asserat, edicit. Fecit imperata Lambergius; Alberto filiam cum nepte reddidit; POSONIUM, & aliquot oppida in potestatem redegit; quæ, perempto etiam per crimen Alberto, in potestate Friderici filii persisterunt, dum ex pacto ad Carolum I. redirent. Reliquæ POSONIENSIIUM vices minores sunt, quam ut prolixius enarrari debeant. Infederat Civitatem Ladislai Posthumi Parens Elisabetha, arcemque obsidione ad deditionem urgebat, sed citra gravius incommodum datum, vel acceptum ab Rozgonio, qui eam pro Wladislao Polono propugnabat. Swehla quoque, Bohemicorum latrunculorum coryphæus, nemine resistente POSONIUM occuparat, at spe opulentioris prædæ apertis in opidis congerendæ, ultro illud deseruit. Maximilianus Cæsar POSONII hospes potius, quam hostis resedit, citra ullius detrimentum educito exercitu, posteaquam Wladislao natum esse Ludovicum anno MDVI. cognovit. Acerbiora parabat Bocskaius, si per Bastæ solertiam, ac civium fidem licuisset. Accessere iterum ac sæpius ejus emissarii suburbia, eaque inflammavere; repressi tamen toties sunt majore accepta, quam data clade. Transiit has inter altercationes prope biennium, donec ad maturitatem pertingeret famosa anni MDCVI. Pacificatio Viennensis. Multo faventior arrisit fortuna Bethlenio. Nam anno MDCXXI. idibus Octobris facta in suburbium (in quo suppetiæ, arcis præsidio missæ subsisterant) invasione semisopitas Buchaimianas, Löbelianasque cohortes obruit, eaque clade ad occupandam arcem sibi viam stravit, a cæde, rapinisque civium militem utcunque cohibendo. Nihil intentatum reliquit Dampierius, quo arcem sacri Diadematis sedem legitimo Domino assereret, nec ante conatum

tum posuit quam affiliens mœnibus, glande plumbea prosterneretur. Nempe fervabatur ea gloria Buquoio, qui suffectus Damperio est in munere Ducis. Ut paratioribus jam ad dedendam Urbem civibus (triduo enim ante ejus adventum Legatos de tradenda Civitate Viennam miserant) gratiam redderet, nihil admodum hostile gessit, verum integras vires in arcem convertit; quam etiam tertio ab suscepta oppugnatione die deditione accepit. Urebat extra modum casus hic Bethlenum, idcirco vires omnes contrahere quam primum constituit, quo grandem hanc accessionem detraheret Ferdinando. Locabat non minimum spei in civibus, quorum animos a Rege alienarant Belli-Duces, universam Civitatem armis exuendo, Judici duntaxat, Consuli, & Capitaneo, horumque licitoribus admisso gladio, & suburbia exurendo. Perstitit nihilominus in fide Ferdinandi POSONIUM, immixtique per vices erumpenti præsidio cives, qui arma ferre norant, gloriæ participes sunt effecti. Luculentior ad III. Kal. Sept. nonæ eruptioni favit successus. Eo enim & oppugnationum suggestus, corbes, aggeres pertusi sunt, & plurimi resistentes trucidati, & tormenta, ne usui esse possent, præfocata, ut abjectis occupandæ Urbis consiliis satius visum sit Bethlenio triduo post obsidionem solvere, ac reliquias male mulctati exercitus Tyrnaviam transferre. Consecuta sub hæc pax erat, qua POSONIUM multum increvit, Protestantibus præsertim, quos Ferdinandi II. zelus exegerat Austria anno MDCXXXII. isthic sedem figentibus. Malaciam hanc perturbarunt, ac urbis nostræ incrementa sufflaminarunt, Rakocziáni, & Suecici motus; per quos gravis metus incubuerat POSONIENSIBUS, necquidquam incommodi præterea, imo occasio probandæ in Regem fidelitatis, præfidiariorum, quibus penitus destituebantur, vices obeunte cive. Edidit iidem intemeratæ fidei specimina Tökölio Hungariam agitante, etsi ejus fœderati Turcæ ad ipsas Urbis portas populabundi cædes proferrent, ipse autem factionis Ductor machinis muros quateret, igne, ferroque Civitatem excindendam minaretur; imperata tunc primum facere coacti, cum evastatis suburbiis vicinas mœnibus ædes flamma corripuisset. Breve POSONII hospitium insigni clade luit Tökölius, edita per Carolum Lotharingum in pugnantibus propemodum nulla, maxima in fugientibus cæde. Denique postremum Francisci Rakoczy bellum civile civitatem integram esse sustinuit, rem tamen agrariam, armenta, vindemiamque magno redimi

oportebat. Bona Lectorum gratia bellicis POSONIENSIIUM vicibus accensimus, quod Matthias Belius in Notitia Hungariæ Novæ Tom. I. Cap. IV. refert. Verba ejus tanto lubentius exscribimus, quod dum non tacendum Religiosi viri in urbem hanc meritum literis mandamus, vel æmularum invidiæ nos subducendos speremus. Porro ita ille ad annum circiter MDCLXIII. „ PISONIO, ne flammis deleretur, quin & Montecuculo „ iisdem adhuc castris ad Cséklesum inhærenti, Lingoi Jesuitæ captivitas „ saluti fuit. Tyrnaviæ is forte agens, ex more statarum precum formulam dicturus, extra urbis mœnia exiverat. Hic rei sacræ intentum, „ discursantes Moldavi interceperant, suo mox Principi quatuor nummis „ aureis venditum. Delectatus ille opportuno viri casu, sæpius in colloquium adhibet captivum: tantopere efficaci ejus sermone postea emollitus, ut facilem ei aurem frequentius commodarit. Usus hac Principis „ facilitate Lingoius, Christiani eum nominis identidem commonefaciebat, „ enixe flagitans: uti sanguini parceret, eundem secum Christum profitentium, inprimis dimissâ prædatum agmina a POSONII, & Montecuculi „ incurfatione prohiberet. Magno assensu hæc audiit Princeps, inquit „ Wagnerus, multis sortem suam deplorans, quod innocenti sanguine manus polluere coactus, obtorto veluti collo in nefarium bellum trahatur; „ spondebat præterea, ubi ubi, citra suspicionem oculatissimi Vezirii, liceret, consilio, indicioque, rei Christianæ consulturum. Atque exorari se omnino passus est Moldavus; præterquam enim, quod Lingoi ministerio usus, Zrinium de Turcarum consiliis profus edocuit, militem „ certe & a PISONII, & a castrorum infestatione solícite avertit. „ Hæc Belius.

§. XX.

Origo TYRNAVIÆ, situs, opportunitates.

PEntapolim jam passim dici audias Comitatum POSONIENSEM, quod ambitu suo complectatur quinque omnino Regias, Liberasque Civitates, videlicet: POSONIUM, S. Georgium, Bafinum, Modram, ac TYRNAVIAM. Secundas in his obtinet TYRNAVIA, in medio latissime patentium camporum sita, ampla illa, & frequens populo, sacris juxta, ac profanis, publicis, privatisque ædibus visenda; cumprimis autem

non

non jam hospitio, sed incolatu Illustrissimi Canoniorum Strigoniensium Collegii, Cis-Danubianarum partium Tribunalis Regii (districtualem tabulam vocant) sede; omnium musarum domicilio, eoque Hungariæ Lycæis plurimum præstante; doctissimo adhæc usque tempora, & nobili Senatu civico, sex asceteriis, uno paucioribus junioris Cleri, ac studiosæ juventutis contuberniis; nec non emeritorum in vinea Domini operariorum, viribus deficientium, Seminario memoranda. Adhæret lacui, quem efficit amniculus, Slavis Trnavka dictus. Hic dederitne nomen Urbi, an ab ea mutuatus sit? non est pronum expedire. Lacus, multo cæno olidus, morborum Urbem hanc fere quot annis, ultra alias Hungaricas depascens, origo, Materna Augustæ pietate penitus aquis mulctari, dum hæc scribimus, jubetur. De ortu Civitatis hujus amplissimæ non una est Scriptorum sententia. Mihi arridet eorum opinio, qui principia tribuunt Belæ II. ad annum MCXL. progressum Geyzæ itidem II. anno mox sequente Regni gubernaculis admoto; summam manum Constantiæ, Belæ III. filiæ; ornamenta Belæ IV. A prioribus facit vulgo receptus sensus; a Constantia Dubravius Bohemiarum rerum Scriptor non inficet; denique a Bela IV. Bulla aurea, quam se possidere merito gloriatur Urbicus Tyrnaviensis Magistratus. Dubravius Histor. Bohem. Lib. XVI. in laudem Constantiæ notat sequentia: „ Regali præterea munificentia insignis erat, dum Regia, „ magnificaque ædificia tam in Pannonia in fundis suis dotalibus, Moraviæ „ vicinis, quam in ipsa Moravia, exstruit. In illa Arcem, cognomine „ Rubram, excitans, TYRNAVIAMque ibidem, antea vicum ignobilem, „ mœnibus, aliisque privatis tectis in speciem nobilioris Urbis incingens; „ communiensque. „ Commode hæc referri possunt ad decennium, quo superstes ab obitu mariti Primislai, Regis Bohemiæ, fuit Constantia, elata anno MCCXX. teste Balbino. Aurea vero Belæ IV. Bulla, quam in exemplo, fide publica affirmato legimus, hæc habet: „ Regiæ Magnitudinis „ incumbit officio, dispersa colligere, & congregata conservare, & popu- „ lum, suæ ditioni subiectum, in pace tranquilla, sua cuilibet jura reddendo, „ do, confovere. Cum igitur in Comitatu Posoniensi locus, qui ZUM- „ BAT-HELY dicitur, hospitibus congregandis aptissimus videatur, ci- „ vibus, in eodem loco residentibus, & qui in posterum venire voluerint, „ talem concessimus libertatem, ut ad Regiam Coronam specialiter per-

„tineant, nec cujusquam jurisdictioni, donationi, vel conjuscunque trans-
 „lationis modo committantur &c. „ Datum est hoc Diploma Anno
 MCCXXXVIII. Belæ Regni III. Apprime hæc ratio temporum cohæret
 cum nostra Chronologia. Nam etsi vix natus Bela IV. anno MCCVI. jussu
 Innocentii III. Sacro Diademate incinctus sit, quod legere est apud Raynal-
 dum; rem tamen publicam non cæpit administrare ante obitum Andreæ II.
 Genitoris sui, qui incidit in annum MCCXXXV. Innuisse hoc juverit,
 ut conciliare norit Lector, si quando duarum ejusdem Regis Inauguratio-
 num eruerit monumenta. Nam primis illis Hungarici Regni sæculis ad
 conservandam in populis, coronati Regis majestatem reverentibus, fidem,
 primum veri Regum Successores in cunis, annutu Romanorum Pontifi-
 cum coronabantur; deinde cum gerendo muneri per ætatem idonei evade-
 bant. Docent id plurium exempla; quanquam non inficier, alteram illam
 inaugurationem a criticis nonnullis dici jurisjurandi depositionem, quo se
 Reges obfrangebant subditis, dum administrationem Reipublicæ capesse-
 bant. Sed nos ad propositum.

§. XXI.

Quibus direptionibus patuerit, & Dominis præter Reges paruerit TYRNAVIA?

NULLA ætate ita firmis mœnibus cinctam fuisse TYRNAVIAM reperio,
 ut hosti, bellicis machinis instructo, resistere possêt, impetumve plu-
 ribus diebus sustinere. Quare non stataria solum pugna rem gerentium
 direptioni patuit, sed latrunculis quoque. Ottocarus, Constantiæ fundatricis
 nepos, ter eam infestus adiit, nec minus atrocissimo hoste sæviit. Mitior
 fuisse videtur famigeratissimus Dynasta, Matthæus Trenchinienfis; fors quod
 Carolo Regi I. se sceptrum erepturum, atque Regno potiturum, animo designa-
 rit; atque idcirco in subiectas late oras benigniorem dominatum, quam ty-
 ranni sævitiem maluerit usurpare. Excussit Carolus Matthæo æmulo prope
 de manu victoriam, ejusque ditiones, TYRNAVIAM nominatim, in fiscum
 redegit. Quantum Carolo Rege opibus increverint Cives, e tributo,
 in tabulas relato, pronum est conjicere. Abstulere florem hunc anno
 MCCCCXXXII. infandi Taboritæ, ac Orphani, e Bohemia in Hunga-
 riam

riam effuli. Insigni astu occupant TYRNAVIAM, expilantque circiter festum Dominici Præcursoris. Ementito enim habitu quæstorum, Urbem subeunt pridie publici mercatus, nocte intempesta sociorum agmini portas patefaciunt, bacchantur, sæviunt, prædantur. Commendavit atrocissimum hoc facinus literis Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum Lib. IV. Cap. XI. & fusius Bonfinius Decadis III. Lib. III. Nihilo mitiora experiri TYRNAVIAM oportuisset anno MCCCCLXV. Schwehla, Fraterculorum facile septem millia circumducente; nisi Blasius Podmaniczky, vir manu promptus, ac bello strenuus tutandam eam suscepisset, retrusa fœce illa ad oppidum usque Kofztolanum, de quo redibit mentio in descriptione Comitatus Nitriensis, duce mox citato Bonfinio Dec. IV. Lib. I. Disjecta subinde hac perditissimorum hominum peste, vel in mediis Hungariæ ruinis, integræ, ut plurimum, esse licuit TYRNAVIÆ. Certe anno MDCXIX. grassantibus per aliquot Comitatus Turcis, metum suis turribus iniecit Urbs nostra, ne eam propius accedere auderent. Palmaris hæc erat Numinis providentia; fœdus ex adverso civium torpor; quando imminente Botskaio, aditum Bactæ præcluserunt, factiosos, nonmulto post confectos, hospitio exceperunt, facti rapinarum receptaculum, qui esse non sustinebant Regio militi asylum. Sed nimirum exulceraverat TYRNAVIENSIVM animos præpostera Bactæ indulgentia, qua usus est suum in militem; cui impune passus est abire, villarum Civicarum deprædationes, cædes, ac horreis suburbanis subjectas flammæ, cum insigni Civitatis damno, ut memorat Istvanffius Histor. Lib. XXXIV. Perosi lachrymas miserorum, quorum armenta, opesque congerebantur TYRNAVIÆ, tanquam in communi latrociniorum asylo, brevi sunt Tyrnavienses. Quare diem Cæsarianis præstituunt, cujus primo diluculo, dum pecus pastum dimittitur, perditissimos hospites Urbe exigant, Regionum partes promoturo cive, qui gerendis armis idoneus esset. Adfuere Germani, atque divisim agminibus tria admodum millia Urbem irrupere; vix ante observati ab excubitoribus, quam sese intra muros penetrassent. Facto tumultu, excitatisque incendiis corripiunt arma Botskaiani, productoque intra Urbem in tertiam horam acri certamine, dum metu dirissimorum hospitem, suppetias Legionario non audet ferre civis, integris ordinibus, de capta propemodum civitate, pedem referre coguntur defessi tot assultibus Cæsariani. Pressa proinde jugo Trans-

fyl-

fylvanico tunc est TYRNAVIA, dum Botskaianus turbo, composita pace, sedaretur, nihilo mitiore per Bethlenium fuscitando cumulandus. Hoc factiosorum duce acrioribus flammis arsit Hungaria, conflagrarunt sacra, attrita est TYRNAVIA, semel, iterum, ac tertio deditione, vi, metu a factiosis occupata. Scopum tot rapinarum, cædillumque attingit Belius in sua notitia Hungariæ Novæ Tomo II. pag. 52. „ Urbi (Tyrnaviensi) in „ quit, saluti fuisse ajunt, quod Societatis JESU Patribus, quorum plerique „ que Canonicorum, nobilitatis, & senatus suafu in tutiora loca tempestivius se receperant, propemodum vacuum repererint. Enim vero fren- „ dente ipso Bethlenio non secus in socios defæviturum a Transylvanis fuit, „ quam si tota illa expeditio ad eos infectandos suscepta fuisset. „ Dabimus compendio illata Tyrnaviensi Societati JESU per Bethlenum quoque damna, domesticis e monumentis deprompta, postquam eo delabemur. Quanquam nobis etiam tacentibus plus nimio impium Bethleni consilium detegit Belius Tom I. pag. 243. Civitatis per eam seditionem ita facultates attritæ sunt, ægre ut pluribus lustris convalescere potuerit. Respirare jam cives cæperant, frequentiore præsertim mercatu per vices adjuti, cum nova conflaretur seditio, Tökölio auctore. Nullam hac funestiorum fuisse TYRNAVIÆ memorant. Præterquam enim quod universa conflagraverit, extra pauculas, easque humillimas, orientali muro adhærentes casæ; præfocata, ingentibus illis totius Civitatis, eodem quasi momento incensæ, ardoribus, ferunt fuisse hominum septem admodum millia, numerum hunc aliis ad minorem reducentibus. Tristissimis Patriæ suæ bustis non ita movebatur senatorii vir ordinis (Novakio nomen erat) ob sua demerita motus eo gradu, quin nova moliretur, patraretque. Diu latuit scelus, dum sua tandem indagine caperetur, ac inusitata, meritas tamen, daret pœnas una cum ministris tanti flagitii, vixdum pueriles annos egressis. Alligati una erant ferali plaustro, ut e sublimi conspici possent ab innumera populi multitudine. Candente dein forcipe singulis pars lateris, & terni digiti abstracti sunt, tum pueri vivi flammis injecti; Novakius vero ad priores pœnas, dimidiæ horæ spatio, lento igni affatus, tum quadrifariam sectus, ac totidem viis publicis appensus, triste spectaculum fuit viatoribus. Expres- sit aliquis annum desumpti hujus supplicii Chronostico :

QVO, CLANDESTINO VULCANO, NINIVE ADINSTAR
 CINCTA NOVAKINAS PLANGIT TYRNAVIA TECHNAS.

Tot acerbissimos inter casus cum sese evolveret integrum sæculum, a nato Servatore septimum & decimum, haud paulo mitius devolvitur, quod vivimus. Nam etsi nec istud civilis belli labe caruerit, cujus funesti fructus non poterant non pertinere hanc ad urbem; merito tamen in emolumentis censet, quod impendentia incendia lytris declinare valuerit. Accessit compendii quiddam a frequentiore Bercsénii incolatu, quodque huc prædas conferre soliti *male contenti* civibus in dies fierent amiciores, ab accepta præsertim clade, exeunte anno MDCCIV. intra limites territorii, ipsaque pomæria Civitatis. Tricenis Rakoczianorum, septena duntaxat Regionum millia objecta fuisse per Heisterum constans est opinio, summo utrisque nisu confligentibus; ut non immerito scripserit Auctor Historiæ Leopoldi M. non alias vel cum pluribus, eo bello fœderatis, vel discrimine majore pugnatum esse. Persequitur hic Scriptor curate cætera; Comitis Marci Czobor insigne facinus non item. Fervente prælio in Heisterum quidam Haydonum celerrime invehitur, strictoque ensè Herois illius jugulum petebat. Declinavit primum ictum Dux inclytus; at quia acrius instabat Hungarus, proxime aberat a nece. Imminebat jam machæra cervicibus Heisteri, cum periculum advertit Marcum, opportune manuali sclopo instructum. Hunc ut solvit, vim libratæ machære, vitam Haydoni eripuit, Duci servavit; dignus, quem tot palmarum Heros vitæ suæ vindicem diceret, inque Patrem (si per ætatem licuisset,) adoptaret.

§. XXII.

Traclatus Pacis, & publici Congressus TYRNAVIÆ instituti.

NON minimum ad celebritatem TYRNAVIÆ confert, delectam esse in sedem illustriam aliquot congressuum. Primum lego sub initia Regni Wladislai II. quem adventantem e Bohemia isthuc deduxit lectissima Procerum corona; ne tamen TYRNAVIÆ, verum ad Kerefturum vicum usitatis salutationibus, præter Oratorum, ac Regni votum, acciperetur novus Rex, dissidii quiddam intercessit, quod jam explicare non vacat.

Dedit urbs eadem hospitium Sigismundo quoque Poloniarum Regi, Wladislao germano, insigni pompa, ac Legatione Optimatum exulto. At Ferdinandus I. ut, quo fidissimam civitatem haberet in pretio, manifestaret, in ea militem delectum, & bina Regni comitia haberi voluit. Dirimendis deinde Mathias Austriacus, Hungariæ Rex, cum Bethlenio controversiis apud TYRNAVIENSES arbitratorum conventum egit anno MDCXV. sed qui inquieto Bethlenii ingenio temeratus est iterum, ac tertio. Perinde infelicem exitum habuere piissima Josephi Imperatoris, ac Hungariæ Regis consilia, quibus pacare charam sibi cumprimis Hungariam, Rakocziana seditione multum concussam, optabat. Delecta tam salutari operi, anno MDCCVI. fuit TYRNAVIA, quod haud dubie sui voti Regem optimum, suæ felicitatis Hungariam compotem fecisset, nisi paucorum compendia intercessissent. Affluit inusitato quodam clementiæ sensu diploma Josephinum, quo discutienda TYRNAVIÆ pacis consilia, etiam Hungarorum annutu, satagebat. Imperare nobis non possumus, quin Regiæ benignitatis indices, aliquot lineolas hanc in paginam conjiciamus. Porro hæc Josephus contestatur inter alia: „ Nos propriis commodis, & con-
 „ venientiis quibusvis posthabitis, ulteriorem sanguinis humani, & inno-
 „ xii, subditorum vel maxime nostrorum, effusionem sistere cupientes,
 „ omne, quidquid in nobis est, in gentem hanc, & quietem, paterno af-
 „ fectu commoti, ad comparandam, & restituendam prænominatis no-
 „ stris Regno Hungariæ, ac Principatui Transylvaniæ tranquillitatem, pro
 „ parte quoque nostra lubentissime conferre decrevimus. „ Est præ ma-
 nibus exemplar diplomatis Regii; cui contraventum fuisse a majoribus me-
 merito erubescant vel feri Nepotes. Opportunum fovet hoc loco meminisse
 Synodorum, TYRNAVIÆ habitarum, nisi passim earum non mentio
 duntaxat, sed acta ipsa profarent.

§. XXIII.

De Sacris, Divo Nicolao Episcopo, Michaëli Arch-Angelo, & Helena ædibus.

EO numero sunt TYRNAVIENSIBUS DEO dicatæ ædes, ea dignitate exulta omnia, ad Religionem spectantia, ut locum fecerint grandi illi encomio, quo vulgo audit: Parva Roma. Quam hoc ex vero? optime

no-

norunt, quibus aliquando licuit utramque oculis usurpare. Princeps fanum, Divi Antistitis Nicolai honoribus inscriptum, muniis Parochiæ jam inde ab urbis exordio sacrum, amplitudine, vetustate, soliditate, cultu, ac substructionibus se suis affatim commendat. Quale visitur hodie, opus est Pazmanianæ munificentiae, in quod sancte profudisse memoratur quadragies, & centies Rhenanorum mille. Ornatur apparatu præclaro, sacraque suppellectili prædivite; tapetiis, a Veneta Republica Matthiæ Corvino dono datis; aris multo auro illitis; icone Deiparæ Virginis, sæculi hujus anno octavo Hungariæ suæ damna copiose semel, ac iterum deplorantis. Posuerat Matri huic sanctissimæ Altare Andreas Kürtöffy, Episcopus tunc Tragurienfis; ante biennium vero ex humanis ereptus Primas Eszterházius insigni facellum, aquilonari Basilicæ lateri pietate sua dignum inædificavit, iconemque Thaumaturgam Regiæ huic moli imposuit. Major ara id habet speciale, quod ejus conditor Canonicus Strigoniensis, Robik dictus, mortis horam, Divina revelatione, edoctus, mortualem se in tumbam composuerit, suumque diem beate, ut fas est credere, obierit. De Religionibus, quæ hoc in Templo magna pietate instituuntur, dicere non attinet. Hoc innuisse satis esto: Strigoniense Canoniorum Collegium jam inde ab anno MDXLIII. Divina officia facerrima hac in æde, nihilo diminutis Paræci juribus, celebrare. Erectum in eadem est Sodalitium ab Assumpta in Cælos Deipara denominatum. Meridianam plagam versus intra aream eminentis hujus ædis, jacet humilior alia, Divi Michaëlis Arch-Angeli patrocinio insignis. Posuit sanctuarium hujus, in quo tumultus quoque est, Paulus Sibaholius Albanensis prædii Dominus; reliquam vero molem adjecit Georgius Szelepcsény Strigoniensium Præsul; ut ne genti Slavonicæ deesset sua opportunitas verba vitæ audiendi, quando sacratissimis Missarum solemnibus bis, quot diebus festis, cum concentu musico haberi solitis, Germanico item, ac Hungarico ad populum sermone, nec non decantando toto officio Divino affatim occupatur Basilica princeps. Tertium Parochiano juri obnoxium TYRNAVIÆ Templum terminat vicum longissimum, qua contigit meridianam, alteram decumanarum civitatis portam, Sancto Nicolao & illam consecratam. Templum, de quo loquor, non tam mole, quam vetustate eminet, assidetque Xenodochio Urbico, ac Divam Helenam, Constantini M. Matrem, Patronam colit.

§. XXIV.

*De Asceteriis, &, quæ illis adhærent, Templis,
item sacro Calvariæ Monte.*

EX Ordinibus Religiosis, qui colunt TYRNAVIAM, primum hoc loco ponimus Seraphicorum, quibus & amplum Conventum, & bene cultum Templum sub S. Jacobi Apostoli Patrocinio in vico cognomine ad occidentalem Civitatis murum construxit Petrus Cardinalis Pazmanus. Una e præcipuis sacrae Franciscanorum Familiæ hæc Domus est, generali studio, Alumnorum frequentia, doctrinæ laude jam diu florens. Non magno hinc intervallo surrexit ætate nostra Templum SS. Trinitatis cum Cænobio Patrum de Redemptione Captivorum ejusdem Divinissimæ Trinitatis, largitate potissimum Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Joannis Okolicsány, postea Episcopi Varadinensis. Longius, orientem versus, recedunt Eremitæ Paulini, voluntate civium, ac Cæsaris annutu donati Templo, jam honoribus Sanctissimi Christi Nutritii dedicato, quod diu Calvinistæ possederant. Intercipit sacram hanc ædem hortus a Patrum Domicilio, quod etsi nondum perfectum sit, præbet nihilominus hospitium commode numerosis sacratorum literarum discipulis præclaram commendationem ab ingenio, literatura, ac religiosæ vitæ exemplis nunquam non emerentibus. Hæc de Virorum Monasteriis. Monialium duo claustra habet TYRNAVIA, Urfularum alterum, quod consanguineæ suæ precibus inductus Princeps Emericus Eszterházius construendum una cum odeo suscepit annis abhinc circiter quindecim, ut habeat sequior civium sexus, tenera in ætate Christianæ vitæ Magistras. Multo vetustiores TYRNAVIAE cives sunt Sorores Divæ Claræ, Cænobio, ac Assumptæ in Cœlos Deiparæ Templo, Petri Cardinalis Pazmány pietate potissimum donatæ. Auxit istius chori Virginum rem familiarem, & sacram Georgius Szétsényius; Catharina vero Pálffy, Pro-Regis Sigismundi Forgács vidua, Lipfánis Venerabilium Virorum Stephani Pongratzii, & Melchioris Grodeczii, utriusque de Societate JESU, in odium fidei Catholicæ peremptorum Cassoviæ. De his Rhetores Cassovienses in sua Cassovia veteri, ac nova Parte II. Cap. V. sequentia, quod hunc locum attinet, ex authenticis documentis se recolunt eruisse piissimi Numinis beneficia, ope nominatorum Christi pugilum collata.

„ Agmen,

„ Agmen, ajunt, ducat maximo obstricta beneficio Religiosa Soror Sophia
 „ Partingeria, utroque jam inde ab ortu suo, capta pede. Accessit, pro-
 „ cedente tempore, acerbissimus dolor, quo omnem omnino formandi
 „ gressus facultatem amisit. Saluti fuit miseræ, ad allatas, crescente malo,
 „ Venerabilium Virorum reliquias votum concepisse, fundendi quot diebus
 „ certum precationum pensum, si eorum meritis malo defungeretur. Con-
 „ cepto voto, ad loculum, in quo deposita erant Patrum corpora, foro-
 „ rum aliquot auxilio deferri se curat, atque illic tamdiu precibus, suspi-
 „ riis, ac lacrymis indulget, donec, quæ paulo ante nonnisi ægerrime alie-
 „ nis deferri potuit manibus ad loculum sacrorum cinerum, propriis citra
 „ claudicationem, pedibus, nullo subnixa fulcro, in suum redire conclave
 „ possit. Rem hanc non secus se habere, testata est Religiosa Virgo Agnes
 „ Terfztyanzkia, id temporis præfato Cænobio Præfecta, cum duodenis
 „ Virginibus, sibi subjectis. Earundem testimonio constat; nocte, diem
 „ Virginæ Parenti, ad Elifabeth invisenti, sacram sequente, ingenti luce
 „ facellum (cui illata erant Venerabilium Christi pugilum corpora) coru-
 „ scasse; cujus fulgore perstrictæ cum gallinis columbæ de suis sese nidis
 „ proripuerint, quin, & intuentibus prodigium, Cænobii accolis, metus
 „ incendii fuerit incussus. Organi præterea, ac fidium eodem concentum
 „ loco; tres, pullis amictos, ad tumbam Patrum conspectos elegantis oris
 „ juvenes; auditos, at non perinde intellectos colloquentium sermones;
 „ curatam Susannæ Keszizæ manum; porrectum e sacris corporibus radium
 „ penetravisse portam conclavis Leonoræ Aponizæ, ejusdemque dormien-
 „ tis cordi infedisse; attactu sacrorum cinerum redditum nervis vigorem,
 „ quem Pelagiæ Szent-Galix e contractis manibus stupor excusserat; alla-
 „ tam sacrorum ope cinerum Teresizæ Biharizæ medelam, depulsis prægran-
 „ dibus duobus vulneribus, quæ omnem antea Medicam, & Chirurgicam
 „ luserant, complurium asseveratione Sanctimonialium per publicum S.
 „ Apostolica auctoritate Notarium Joannem Dersfium, literis est configna-
 „ tum, & consueto sigillo fungentis vice Metropolitanæ Strigoniensis com-
 „ munitum. „ Hucusque illi; quibus adjicias, ardentia ad DEUM vota,
 ut in tam gloriosis Fidei Præconibus, Apostolica sententia Divorum syllabo
 inferendis, sanctissimus ejus honor succrescat! Restat hoc loco meminisse
 sacri Montis Calvarizæ. Excitavit eum pone Lazaretum extra murum ci-

vitatis aquilonarem Gregorius Schmidius, Strigonienſis Canonicus, ac TYRNAVIENSIS Paræcus, non unius palmæ, ſuo in munere, potiſſimum graſſante Epidemia relatæ, Paſtor, augendæ in morientem Servatorem pietatis zelator in paucis clarus.

§. XXV.

De Academico Societatis JESU Collegio.

Primo & viceſimo a ſui confirmatione anno, ſæculi Chriſtiani ſupra decimum ſexti ſexageſimo itidem primo TYRNAVIAM ingreſſa eſt JESU Societas, bona Ferdinandi I. gratia, invitatu Nicolai Olahi Strigonienſis Antiftitis zelantiſſimi. Præerat tunc Provinciæ Auftriæ R. P. Joannes Viçtoria, qui ne ſanctiſſimo laudati Præſulis voto reſponderet avarius, duos principio Sacerdotes, cum uno rei familiaris adminiſtro Laico memoratam ad ſtationem deſtinavit; quibus, non longo poſt intervallo manſuetioris literaturæ Magiſtros adjunxit. Probavit pugillus hic novorum hominum ſuam hoſpitæ Civitati operam, ut Archi-Epiſcopali, Regiæque penſioni adjicere ſuam ſymbolam non pauci certarent, quo commodis Præceptorum conſulerent. Sex admodum hæc inter initia ſic proſpere abiere anni, ſeptimo majores horum progreſſus corrupit incendium, quod inter centum, & quinquaginta domos, Patrum quoque ædiculam flammis involvit, utque TYRNAVIAM, ac univerſam Hungariam defererent, ferrea neceſſitate compulit. Unde viceſimus jam labebatur annus ab emigratione ſociorum, cum novum naçti ſunt in Purpurato Colocenſium Antiftite, ac Epiſcopatus Jaurinenſis Adminiſtratore Georgio Draskovitſio Patronum. Is pro ingenti ſuo in rem Catholicam ſtudio auxiliares Patrum copias omnibus præſidiis firmare volens, a Rudolpho II. Romanorum Imperatore, ac Apoſtolicò Hungariæ Rege impetrat, ut, annuente Gregorio XIII. Pontifice in perpetuum jus dictæ Societatis tranſeat Præpoſitura Turocziensis. Itaque Turoczium anno MDLXXXVI. novæ coloniæ deducuntur, non minorem patientiæ, quam animarum meſſem habituræ ad annum ejuſdem ſæculi octavum, & nonageſimum, quo Sellyam commigrarunt, ſcholas ibi commodius aperturæ juventuti. Favet piis conſiliis bonus DEUS. Denos Collegii Alumnos, quos ſacris initiandos educabant Patres, Franciſcus Forgácsius, Nitrienſis Epiſcopus duodenis aliis auxit, cavens paterna providentia,

ne-

nequid inde detrimenti Patrum res familiaris acciperet. Fidem pene superat, quantis incrementis creverint Sellyæ bonarum artium studia, etsi populatione Tartarica, fame, pesteque sufflamina ponerentur. Acerbius sæviit Bocskaius; per cujus seditionem ereptum est Societati Turocziense Sacerdotium anno MDCV. iussi exesse cum e cæteris Regni finibus, tum e statione Sellyensi Patres. Duo lustra tenuit durissima hæc procella, qua ipso temporum lapsu mitigata, immortalis in Societatem beneficio Francisci Cardinalis Forgatlii, jam tunc Archi - Episcopi Strigoniensis, quodam velut postliminii jure TYRNAVIAM advenere Pater Georgius Káldy, & Pater Franciscus Szeghi. Hospitium illis præbuit Kaldiana primum domus, tum Prætorium Archi - Episcopale, demum Familiæ olim Dominicanæ virorum, anno autem MDCXV. quo nunc nominati Patres advenerunt, Sanctimonialium, ejusdem Divi regulam profitentium, ex Insula Leporum huc, metu barbari, adactarum Asceterium, in ruinam propendens, Temploque S. Joannis Baptistæ, veteri illi peræque, ac parum firmo adhærens. Ita jubebat Paulus Papa V. ita Matthias Rex Apostolicus, in id nervos omnes intendit Forgatius, Primas Regni Purpuratus. Orbata parente hoc, iterum hospes TYRRNAVIÆ JESU Societas, æmulorum invidiæ patuisset, nisi piissimus DEUS Patrem illi, nupero in filio, Petro Pazmano, Præfule Strigoniensi, dedisset. Is cum constanter Matrem hanc suam, uti animam (sic enim loqui solitus erat) diligeret, eo, quo renunciatus est Primas, anno, puta MDCXVI. ludum literarium aperuit, ac in Classēs quinque distributos juvenes quadringentos, & quadraginta in spem Patriæ bonis literis, ac moribus institui lætus usurpabat. Dum in hæc incumbunt Socii, commiseratione (uti fas est existimare) motum V. Capitulum Strigoniense, tradenda elementari classe vires eorum atteri disuadebat; cui sapientissimorum virorum collegio tam copiose satisfactum est, nihil ut deinceps ea de re facerent mentionis, quin pro se quisque beneficiis domum indigam ornare conaretur. Nec solus ille sacer Senatus in male materiaturum Patrum Domicilium, ac Templum largitatem exercuit; eodem animabantur spiritu, quotquot fere Catholicos tunc Proceres Hungaria habebat. In his Nicolaus Eszterházius, Sigismundus Forgatius, Stephanus Vesselenius, Catharina Pálffia, plurimique alii eminebant; optime collocari in eorum sinu beneficia dictitantes, quorum opera uti gaudebant

DEUM,

DEUM, ad inducendas Hungariæ literas, ac reddendam avitam morum probitatem. Valuit ad istud plurimum erecta sub titulo B. M. V. visitantis Elifabeth Sodalitas; cujus fructus cum essent per universum Regnum vulgatissimi, regendæ illi, primi Rectoris munere, electus est Pazmanus, suffragiis Senatus Tyrnaviensis, Nobilium, Optimatum, Antistitum adeo Varadinensis, Quinque-Ecclesiensis, cæterorum. Tanti mox ab exordio Societatis Mariana fiebant contubernia. Invidit faustissimos hos progressus Hungariæ orcus; conflatur Bethlenianum bellum, quo læsa libertas conscientiarum (nam id obtendebant novi Evangelii fautores) vindicetur, destinatis rapinæ Sacerdotiis, ad ictum Jesuitis, quam si una perdendorum illorum causa susceptum fuisset. Concedendum itaque rursus erat in exilium TYRNAVIA Patribus, ac, nisi vitam mallent prodigere, adventus Bethlenii prævertendus. Dedere id precibus amicorum, utque disjecto turbine, Patriæ, ac animabus commodare pro virili possent. Gesta hæc sunt anni MDCXIX. mensè Octobri; vertente autem, Neosoliensi Bethleniano Senatus-Consulto Religiosa illa Familia fuit e Regno proscripta; mox beneficio Patronorum, ac Ferdinandi I. voluntate restituta; rursus in exilium deportari iussa; quod tamen fieri mutata Bethlenii mente, prohibuit cælum. Silebant tantos inter armorum strepitus Musæ, quæ ut primum in adyta sapientiæ admitti poterant, ultra spem auctæ numero (paulo pauciores milenis censi sunt scholares anno MDCXXVI.) Heterodoxis ipsis se suo profectu probavere. Dicitur nequit, quam avidis hæc oculis usurparit Pazmanus. Non poterat nimirum non omnibus incedere lætitiis, dum sancta sua vota optatissimo successu cumulari notaret. Quare majus quiddam jam tum designare animo, & politiori literaturæ severiores addere disciplinas tota voluntate complectebatur. Præstitit hoc altero ante obitum anno, nempe MDCXXXV. convocatis ad inaugurationis celebritatem plerisque Hungariæ Proceribus, quin & præcipuis Viennensium Societatis Domiciliorum viris. Peracta est solemnitas Idibus Nov. pompa longe augustissima, quod hoc in opere Pazmanus non suæ unius dignitatis, sed Regiæ quoque Majestatis, ac intimi sui erga Societatem JESU, Hungaramque gentem amoris rationem habendam putarit. Tanto aucti munere Patres, ingentibus animis incubuere ad provehendam rem literariam, instituendamque ad mores ingenuos, ac probitati Christianæ quam maxime congruos

juventutem. Fervor ille Patriæ juventutis, quem ad bonarum artium studia TYRNAVIAM conferebat, quemadmodum bonum quemque suavissimo afficiebat sensu; ita, ne quid Pazmaniano deesset operi, sollicitiores reddebat, largius fortunis provisos. Ternos cum primis ea cura Præfules advertit, Georgium Lipaium, Leopoldum Kollonitsium, ac Ferdinandum Pálffium; duos autem Pro-Reges Comitem Nicolaum Eszterházi, ejusque filium Paulum S. R. I. Principem longe gloriosissimum. Lipaius supremis Jus Patrium fundavit Tabulis; Kollonitsius librariam officinam, paucis hac ætate secundam, prope ad fastigium evexit; Pálffius magnificam sapientiæ domum construxit. Loquitur Mœcenatis hujus memoriam nigrum marmor, medio propilæi insertum, sequentem exhibens inscriptionem:

ANTISTITIS MERITISSIMI
COMITIS GENERE, VIRTUTE ILLUSTRISSIMI,
MOECENATIS MUNIFICENTISSIMI,
GLORIAM, MERITA, GRATIAS,
LOQUITUR HIC LAPIS.
FERDINANDUS PALFFI,
EST HÆC OMNIA, FUITQUE, DUM VIVERET.
QUI FIRMATIS A PAZMANO UNIVERSITATIS
FUNDAMENTIS,
FABRICAM, QUAM VIDES SUPERADDIDIT.
CUJUS PROINDE MOECENATIS SUI HONORI
AC PERENNATURÆ MEMORIÆ
MARMOR HOC, GRATO AFFECTU, FIXIT
UNIVERSITAS TYRNAVIENSIS.

Beneficentissimis Antistitibus succedat Princeps Paulus Eszterházy, ter auspiciatum nomen in Fastis MARIÆ, ac Minervæ. Magno utramque demeruit munere, utrique magnum sui amoris monumentum posuit TYRNAVIÆ: Minervæ adornata Aula Academica, ac theatro, constituto perenni censu pro præmiis victorum in arena literaria; MARIÆ, cujus Immaculatos conceptus, quot annis celebrandos, ac typo vulgandos, pari constituit largitate. Grandius munificentiae Principalis adjecit opus in ornatu Basilicæ Præcursoris Dominici, quam ad fastigium per Nicolaum Genitorem piissimum perductam, scitissimis instruxit picturis, ac, ne quid augusta in mole desiderare posset sæculi nostri elegantia, regie cavit. At enim præposterum sit ante

laudasse nati gratiam, quam ingentia patris beneficia grata recordatione recolamus. Quare fit

§. XXVI.

*De Academica S. JOANNIS BAPTISTÆ
Basilica.*

Vulgo circumfertur, nec prorsus infictos habet auctores narratio, præ-nunciassè aliquando Pazmanum Nicolao Eszterházi, suo tunc discipulo: affore tempus, quo dignitate Pro-Regis ornandus esset. Nicolaus nihil moratus, ad hæc reposuit: se Palatino, Pazmanum Primatis Hungariæ titulis augendum. Non constitit isthic amior facetia; quid suo hoc uterque in gradu positus in commoda Religionis Catholicæ, quid in emolumenta Societatis JESU conferret? alter urgebat alterum. Nicolaus magnificam se constructurum Basilicam recepit, Pazmanus Universitatem Studiorum. Jocularum hunc fuisse (si quis erat) sermonem, dicere non a-sum, cum tam luculento ejus fructu beemur. Fidem Pazmani Primatis jam dedimus, nunc Pro-Regis Nicolai pacta memoremus. Jecit lapidem primum molis amplissimæ anno MDCXXVIII. evolutisque annis admodum novem, toto Hungariæ Regno spectatissimum DIVO JOANNI BAPTISTÆ eduxit fanum, quale hodie spectat nemo, quin conditori mille grates, architecto laudem dicat. Porrigitur in longum geometricis pedibus 198., concameratio vario plasticis artificio nobilissime distincta, vitamque Dominici Præcurforis scitissimo penicillo expressam exhibens, parietes duos, & septuaginta geometricos pedes altos, ab invicem autem quinquaginta iisdem mensuris recedentes coronat, nulla omnino columna inusitatam hanc latitudinem intercipientem, aut vastissimæ molis fornicem succolante. Octoginta florenûm millia sancte hoc in opus profudit Nicolaus, extra id, quod vel in supellectili sacra, & candelabris magni ponderis argenteis, dum ritu sacerrimo per Georgium Lippaium, Agriensem Episcopum anno MDCXXXVII. III. Kalend. Septemb. consecraretur, aris imposuit, aut ineunte sæculo, quod vivimus, filius Paulus Princeps in Apellem, & plasticos erogavit. Magnificæ, quæ Divina hac in æde Religiones institui solent, florem non semel Hungariæ collegere. Spectavit Optimatum plurimos eo nomine TYRNAVIA primum notato recens anno, dieque, quo

quo non modo dedicatio instituta est, sed prima etiam DEO oblata Hostia per Emericum Lofy, Strigonienfem Archi-Episcopum, ac dubia jam luce invectæ sunt infontes exuviæ defunctorum de Domo piiffimi Fundatoris parvulorum, hac in æde postridie deponendorum. Juvat rem dare verbis Patris Francisci Kazy Historiæ Universitatis TYRNAVIENSIS Parte II. Lib. I. scribentis : „ Quoniam, inquit, Illuftriffimus Fundator conditorium familiæ fuæ in hac D. JOANNIS Basilica constituit; sub vesperam, in frequenti Nobilium corona, liberorum, cognatorumque fuorum, fato, in tenera ætate, sublatorum, accepturus exuvias, ex civitate excessit. Dubia jam luce proxime urbem devecta innocentia funera, ac subinde in urbem illata, gratum populo spectaculum præbuere. Currus, solito major, serico candido ad terram defluente vestitus, equi, sessores, fræna, habenæ, candorem merum, & nives præferebant, plateæ funalibus collucebant, signa gentilitia, stragulum candidum distinguentia, ex galeis, & lemniscis aureis ad crebras faces lucem identidem vibrabant, & oculos intuentium perstringebant. Pompa funebri ad fores templi deducta, illatæ in sacram ædem exuviæ in sex distinctæ loculis, & pegmati, hortum, artis æmulatione, imitanti, impositæ. Die sequenti, peractis ritu solemnibus, ac apparatu candido Ecclesiæ ceremoniis, innocuis manibus parentatum. „ Hæc ibi : secutus est fuorum funera octavo post anno Nicolaus, cum Christina Nyaria, conjuge lectiffima, nonnullisque aliis eadem de stirpe natis, ne quid sui negaret Sociis a morte, quos vivus in deliciis habebat, & tanto, ultra minora plurima, munere sibi devoverat. Exhibet eorum nomina lapis marmoreus, a Celsissimo S. R. I. Principe Paulo appositus monumento, cui hæc incisa est inscriptio :

VIATOR ATTENDE!

MARMOREA, QUAM CALCAS, PORTA, AD MORTEM EST
ÆRARIUM.

HOC SUB LAPIDE

PRETIUM SÆCULORUM, ET MELIOR HUNGARIÆ
THESAURUS EST

ABSCONDITUS, POSTQUAM GLORIOSISSIMO SANGUINE
QUIA REGUM S. LADISLAI, ANDREÆ HIEROS.
LUDOVICI PRIMI,

SIGISMUNDI IMPERAT. &c. COGNATO INNEXA
SANGUINI

CELEBRATISSIMA ANTIQUITATE
 QUIA VII. ET X. ANTE SÆCULA IN MAGNO SCYTHARUM
 PRINCIPE OPOS, IN EURSO, HUNNORUM DUCE,
 AC TOT ALIIS DOMINATA CELSISS. ET ILLUSTRISSIMA
 FAMILIA ESTORAS
 LOCUM HUNC IN LOCUM ELEGIT SEPULCHRALEM.
 JACENT HIC GRANDES ILLÆ, ET VERE PRETIOSÆ
 ANIMÆ
 NICOLAUS HUNGARORUM PRO - REX, ÆTATIS SUÆ
 ORACULUM.
 LADISLAUS ITEM, FRANCISC. CASP. THOMAS. FUSO
 PRO PATRIA SANGUINE HEROËS PURPURATI.
 EORUM NOMINI, ET POSTERITATI SUÆ
 AC PRÆSERTIM PARENTIS SUÏ, NICOLAI PRO - REGIS
 ET MATRIS CHRISTINÆ NYÁRI MANIBUS
 SEPULCHRALEM HUNC PONEBAT LAPIDEM FILIUS
 S. R. I. PRINCEPS, HUNGARIÆ PALATINUS &c.
 PAULUS ESTORAS.
 ABI VIATOR!
 ET CUM MAGNAS ANIMAS ABIISSE IN CINERES AUDIS,
 INGEMISCENS, UT HIS EX CINERIBUS IMMORTALES
 RESURGANT
 PHOENICES
 PRECARE, NAM DECET.

Thesauro huic accessit anno MDCLI. alter sacratior, novem nempe
 Divorum corpora, a Nicolao Lancicio, Provinciæ Lithvaniæ Societatis JE-
 SU Præfide, Templo de quo loquimur, donatus. Quanti eam accessio-
 nem fecerint Socii, celeberrima, quam per eam occasionem instituerunt,
 pompa, testatum fecere. Nihil ea in celebritate desiderasses majestatis, ni-
 hil Religionis. Sacra Lipsana aliquot ante solemnitatem diebus in principe
 S. Nicolai æde deposita, ac ut extra omnem doli suspensionem essent, usita-
 to ritu recognita fuerunt. Confluebat interim e dissitis quoque vicis po-
 pulus pientior, impleturus Urbem frequentia, dum constituto die (erat is
 XXVI. Augusti) a mitratis Præsulibus sacra ossa in JOANNÆAM Basilicam
 transferentur inter bellicarum machinarum tonitrua, tubarum clangores,
 concentus Symphonicorum in plures divisorum choros; adunatis sua sub
 signa civibus, festivo adornatis bis tricenis adolescentibus, effusa in vene-
 ratio-

rationem univēſā Urbe; cui exemplo eſſe geſtiit Archi-Præſul Lippaius cum Poſonienſi, ac Strigonienſi Canonicorum Collegio, Nitrienſi Epifcopo, ac Regni Cancellario Szelepcsénio, Vaczienſi Antifite, Matthia Tarnoczio; quos Optimates, Nobilitas, Senatus Tyrnavienſis, & innumera populi multitudo ſtipabat. Hujus pietati ut fatiſfieret, in area Templi & Scholarum, aræ, ad quas Divina fierent myſteria, furrigi debebant. In BAPTISTINO delubro ſacrorum ſolemnia peregit Metropolita Lippaius; a Stanapergero, Univerſitatis Cancellario Latio, a Jáſzberénio, Philoſophiæ Decano, patriæ ſermone ad innumeram concionem de gloria Sanctorum oratum eſt. Reddidere Divi cultoribus ſuis copioſe vicem, quando incenſa per Tökölianos Urbe ſervarunt mediis in flammis Collegium, ac cinerum ſuorum conditorium, JOANNÆUM Templum; deſcribentibus gyros, per ipſos fumi globos, primum duavus, mox novem, pro numero ſacrorum corporum, candidis columbis, dum edax elementum ſævire deſuiſſet; ſectariis ipſis portento ſimile quid eo in opere ſuſpicientibus. Quanquam non unum hoc eſt illuſtrioris Divinæ Protectionis erga TYRNAVIANSES Societatis JESU Patres argumentum. Concitarant Miniſtelli Proteſtantium plebem in Leopoldum poſt ſopitos Zriniapos motus. In jus vocati Poſonium, ac ex ordine legum convicti, ipſorum quoque, qui ſectarii fuerunt, Judicum ſententia, acerbiores dare pœnas debuiffent ſuperiore de loco ad arma concitatae plebis, niſi Regis indulgentia, ſuo ſe duntaxat munere abdicare, juſſi fuiſſent. Paruere CXXXVI. reliqui pervicaciam priori flagitio addiderunt. Movit inſolens temeritas Leopoldum, ne impune pateretur abire conjuratis novum crimen, quos præfertim compererat jam ante coluſiſſe cum Budenſi Purpurato in exitium rei Chriſtianæ. Damnati ergo ſunt horum aliquot ad triremes; quorum exemplo cum cæteros mitere decuiſſet, impium arripiunt conſilium; conquirunt auxilia; Ducem perduellionis Tökölium conſtituunt; populationes ab ipſis Tranſylvaniæ finibus TYRNAVIAM uſque proferunt; Jeſuitas in pœnam talionis vocant, fidenter aſſeverantes: damnationis Miniſtellorum ad unos illos cauſam referendam eſſe. Inficetum hoc commentum ſufficiens eſſe videbatur juratis Patrum hoſtibus, ut extremis ſuppliciis addicerentur. Iſto obtentu TYRNAVIANSE Collegium diripiunt; triremes Turcicas, coactis in triclinium Sociis, ac ſexaginta armatorum cuſtodia ſeptis, denunciant, niſi L. aut minimum XXXII.

nummum aureorum millia actutum Rector dependat. Divis Laribus ferunt in acceptis, quod post consumptas alibi preces, reperti sint, qui calamitoso eo tempore pro Patribus caverent, fortunas, liberos, conjuges, se ipsos pro eorum, jam jam Tököliana in castra, inde in captivitatem Turcicam deportandorum, salute devoverent. Extant aureis Tabulis digna Patronorum istorum nomina hodie in Tabulario TYRNVIENSIS Collegii, quorum grata recordatione identidem animos oblectant, immortalis eo beneficio devincti. Ne quis tantæ pietatis Virorum Illustrium hic nomina desideret, instrumento Vadimonii subscribere Comites Adamus Czobor, Sigismundus Homonnai, Georgius Erdödy, Stephanus Nadasdy, & B. Nicolaus Bercsény. Defuncti præfente hoc periculo Religiosi Viri illi, in Patronorum arces devecti sunt, de colligendo tam infano lytro solliciti. Discussit eam curam placatum Indigetum nostrorum intercessione cælum, insigni cum clade rejecto Vienna Barbaro, Tökölianis Pofonio. Luculentior Divorum Penatium favor eluxit in eo, quod cum Suhaida, strenuissimum Tökölianorum ductor, postea Catholica sacra professus Cæsareus miles laudatus, Rectoris cubiculum pro hospitio delegisset, ac monumenta ipsa piissimorum Fundatorum temerare pararet, gravissimo pavore, ac veluti furiis agitated a cæpto destiterit, hospitiumque intempesta nocte demutare coactus sit. Idem rapaculorum antesignanus detrahere aliquando ausus est velum de capite dolorosæ Matris, quæ in laterali Templi Ara colitur, defluum; verum nec hoc impune. Ut enim suo illud collo inferuit, continuo expallescere, tremore succuti, præfocari cepit; non prius malo defunctus, quam impie detractum, quod ajebam, peplum reddidisset. Idem Virginæ Parentis Simulacrum lacrymassè alias notavit Tökölius ipse, palam adstantibus contestans: *Ecce flet! vere flet!* Non itaque fidem superare debet, quod Fasti domestici narrant: Harprias has, & seditionis faces, se aliquando mutuo increpitasse, atque ad deferendam ædem sanctissimam animasse ea (Divinitus utique imperata, & occulta quadam vi extorta) confessione: Vere locus iste non est pro nobis, nempe qui eo digni non sumus. Finem non habebit narratio, si universos benignissimi Numinis hanc in ædem favores percensere quis optet. Nos vel hæc paucula eo duntaxat consilio strictim attigimus, ne taciturnitate nostra Divinæ injurii omnipotentis simus. Unum adhuc addimus: Erectas esse in Templo, quod adumbravi-

vimus, septem Sodalitates, morienti Servatori unam, alteram Sanctissimæ Cruci, ternas Academicorum, quartam Collegii Generalis Cleri Regni Hungariæ, quintam Civium Germanicæ Nationis Beatissimæ V. M. devotas.

§. XXVII.

De Clericorum, & Nobilium Juvenum contuberniis.

Vetustissimum in Hungaria junioris Cleri Seminarium instituerat Nicolaus Olahus Strigonienfis Antistes cum Venerabili Capitulo Anno MDLXVI. eo loco, quem hodie infidet Collegium, viribus exhaustorum vineæ Domini operariorum, sub Patrocinio Virginei Ducis Emerici. Deni duntaxat ea quadra vivebant, dum annutu Regio Abbatia Széplakiensis, ac Præpositura Felhevizienfis (de qua meminimus in descriptione Budæ) per Pazmanum sancto illi instituto attributa fuisset. Corruptit aliquando edax flamma novam ædem, honori S. Regis Stephani inscriptam, in quam translatus erat junior ille Clerus, quamque etiamnum incolit Georgio Szétsénio, Archi-Præfule Strigonienfi, qui eandem non modo restauravit, sed laxiorem quoque fecit. Exprimit reparationem chronostica inscriptio, fronti ædis apposita, quæ sequens est :

SANCTO QVAS STEPHANO POSVIT PAZMANIVS ÆDES,
PRÆSVL SZETSÉNI RESTAVRAT AB IGNE VETVSTAS.

Ætate nostra multum addit splendoris civitati, insigni cultu adornata; postquam magnus ille Regiæ Judex Curia Stephanus Koltarius annuis eam censibus auxisset. Pari pietate complexus est Adalbertinum quoque Seminarium, anno MDCXVI. usibus pauperum Scholarium a Pazmano destinatum. Confluxere in eam secundum jam laudatorum duorum Ungariæ Atlantium, complurium aliorum utriusque Reipublicæ Virorum, quin Matronarum quoque beneficia, præcipue Leopoldi Cardinalis Kollonitsii, Francisci Janii, Sirmiensis Episcopi, ac Helenæ Amadææ; ut jam cum tricenis prope Clericis, aliquot Laicis Adolescentibus condecentem apparet victum. Formantur hic, atque sacris præparantur Hungari, Slavi, Croatæ, Transylvani, Rasciani, Valachi, Rutheni. Tertium in commoda Patriæ Juventutis adornatum a Pazmano TYRNAVIÆ contubernium est Convictus Nobilium. Domum suam pio huic usui addixit Joannes Telegdinus, Colocensis Archi-Episcopus, anno MDCXXXVII. sexto post Clericis sex in

eadem contubernio educandis censum adjecit, qui ad Lippaianum Generale Regni Hungariæ Cleri Collegium sunt translati. Domus Telegdiana, de qua loquor, videtur esse eadem, quam Societati JESU primum inductæ Tyrnaviam, Telegdii donarant, redditam excedentibus ex Hungaria Sociis beneficæ illi Familiæ. Floruit diu domicilium illud, & universam prope modum spem Regni complectebatur. Subtracti deinde sunt per temporum iniquitatem redditus Regii perinde, ac Archi-Episcopales, de Piseto (quod vocant) depromi soliti, & universum una opus adhæsit, incredibili dispendio publicæ rei. Tentabat equidem Szelepchénius in erecto abs se Mariano Seminario Pazmanianis votis, non unum ad obicem iterum ac sæpius impactis, atque adeo extinctis, vitam reddere; sed quia sacræ potius, quam profanæ Reipublicæ eo opere succurrit; desideria Regni acuit, non implevit. Suscitavit, dum hæc in literas referimus bonorum animos DEUS, jamque ad tertium solarium (Contignationem dicimus) affurrexit a fundamentis moles amplissima, Regis MARIÆ THERESIÆ gratiis, Excelsi Consilii Locumtenentialis dignis æterna memoria in Patriam studiis. Spes est, anno vertente inaugurandam ædem bellissimam, in qua Juventus Patria omnibus disciplinis, atque Nobilium artibus imbuatur. Accubat huic Mariano - Szelepchénianum, quod jam attingi, Seminarium, duos circiter supra vicenos Venerabili Clero adscriptos, paulo pauciores Adolescentes profanam Rempublicam sapientia sua olim succo laturus, hospitio, mensaque liberali accipit. Bozokinensis Præposituræ, sancto Regi Stephano consecratæ, partem pro dote habet, cum aliquot florenûm millibus, de quibus annum redditus fænus. Frons ædis, in majusculæ literæ H. formam constructæ, exhibet epigraphen chronologam, Fundatoris, ac Divæ Tutelarioris nomen complexam in hæc verba:

HONORI GLORIOSISSIMÆ VIRGINIS,
ORBIS, CÆLIQVE REGINÆ,
POSUIT PIVS PRINCEPS
GEORGIUS SZELEPCHENI,
ARCHI-EPISCOPIVS STRIGONIENSIS.

Postremo memorare loco volui Generale Cleri Regni Hungariæ Collegium, ut paulo copiosior in eo describendo esse possim. Vivit iisdem prorsus legibus, quibus celeberrimum illud Romæ, a Gregorio Papa XIII.

positum, Germanico-Hungaricum. Numero, modestia, Divinis assistendi, sibi quadantenus proprio ritu, pietate, literis, zelo Clericalis disciplinæ, rubeo amictu se a cæteris omnibus, extra Romam constitutis, sacris id genus ædibus, discernit, ne invidiosè dicam iis præstare. Hæc una TYRNAVIÆ prærogativa est, qua Romæ conferri, Parva Roma, mea quidem opinione, dici queat. Suum domi, ut cætera Seminaria, habet sacellum, in eoque Alumni obeunt Divina, ac sui Purificationis Marianæ Solidaritii cætus cogunt, mutua per exempla virtute crescunt. Plenis pietate ceremoniis, raraque modestia, qua præstant, dum sacris ministrant, duos Germanos ad ejurandum Calvinum permotos fuissè accepimus. Ita verum est, non sola lingua proferri Evangelium; sed suam vel ipsi membrorum compositioni vocem esse, qua virtutum radix, fides in animum illabatur. Auctor præstantis hujus instituti est Georgius Lipai; cui animos ad suscipiendum hocce consilium addidissè Synodum TYRNAVIENSEM anni MDCXLVIII. scribit auctor libelli, qui inscribitur: Ortus, & progressus Universitatis Tyrnaviensis, ubi ita: „ Unanimiter omnium (Antistitum, „ in Synodo collectorum) consensu conclusum est, ut Collegium Gene- „ rale per Archi-Episcopum Strigoniensem Tyrnaviæ, sub titulo PA- „ TRONÆ HUNGARIÆ, erigeretur, & omnimodæ gubernationi, „ ac administrationi Societatis traderetur, in eoque Alumni pro universo „ Regno, & pro omnibus Diocæsis alerentur, & educarentur; pro cu- „ jus Collegii fundatione impetrata est a Cæsare Ferdinando III. Præpositu- „ ra Veteris Budæ SS. Petri, & Pauli. Applicatæ dein illi fundationes aliæ „ minores, uti & XXXV. illa millia, quæ Emericus Lofy, Archi-Epi- „ scopus Strigoniensis, in usum ejusmodi reliquerat. „ Excolitur in dies domus hæc amplissima; in quam gestiunt munifici esse Præfules, qui sacratoris vitæ isthic tirocinium posuerunt. Sane vel unus Illyésius tantum contulit, quantum fat esset ad promovendam utcunque fabricam orientalis tractus, qui a quatuor lustris assurrexit.

§. XXVIII.

De Coloffis, nonnullis ædificiis, ac Viris, doctrina claris, TYRNAVIÆ natis.

COloffos duos habet TYRNAVIA; alterum in majore foro, Sanctiffimæ Trinitatis, communi de lapide; alterum marmoreum, Immaculatæ Deiparæ honoribus in Foro Academico educum. Frequens ad hunc Marianorum clientum comprecatio; quin festis ejusdem Divæ diebus publicæ quoque religiones instituuntur, Symphonicis, inter contentus non vulgares, Sanctiffimæ Virginis laudes concinentibus. Inter ædes principem locum tenet Archi-Episcopalis Curia, a Christiano potiffimum Augusto Cardinali cultu sæculi nostri instructa. Adjacet huic insigne librorum conditorium, plurium Hungariæ Primatum, Pazmani cumprimis, ære locupletatum. Cæteræ ædes Canonorum, Magnatum, Nobilium, ac Urbanæ nec admodum superbæ sunt, nec suo cultu destitutæ. Turribus potiffimum superbit hæc Civitas; quas inter præcipua illa, quæ eam occupat, excubitorum sedes. Sed minora hæc sunt decora, ac illud, quod viris omni ævo inclaruerit literatura conspicuis. Joannes certe Sambucus inter doctiffimos, ac eruditiffimos suæ ætatis habebatur; ut merito dubites: nataliumne splendore (erat enim oriundus e Marchionibus Hungariæ, qui tempore S. Stephani Regis florebant) an omnigena sapientia in summorum quorumvis Principum se gratias insinuarit. Joannes deinde Nadaffius, ac Georgius Káldi, ne remotiora sæcula recognoscamus, plurimum de literato orbe, Ecclesiæque meruerunt. Teruntur manibus omnium doctæ utriusque lubricationes, ingenti animarum lucro, Káldiana præfertim sacrarum literarum patrium in sermonem translatio, vero sensui reddita, quam sectarii variis errorum corruptelis sædarant. Hoc meritum, ut reor, honorificam illam Pazmano sententiam extorsit, qua, mortuo Káldio, agebat: Virum hunc de communi Ecclesiastico, Religiosoque ordine nulli secundum fuisse, toto Hungariæ Regno parem illi haud facile repertum iri.

§. XXIX.

§. XXIX.

Atror TYRNAVIENSIVM *Judæorum in infantem Christianum facinus.*

FRequentes olim TYRNAVIAM Judæos incoluisse testantur appellationes platearum, Hebraicarum Urbium vocibus expressæ. Earum alteri Jerosolymitanæ, Jerichuntinæ alteri nomen est. Dira crudelitas fientissimam Christiani sanguinis gentem Urbe hac, totoque ejus agro exclusit anno MCCCCXCIV. Wladislao II. Rege. Rem constans majorum traditio, Bonfiniusque in hunc modum evenisse testatur. Lusitabat notato nunc anno Judæorum in platea bellus adolescens Christianus; hunc puerili quodam munusculo suam in domum pellicit Judæus, captumque obstructis faucibus, strangulat, conscis, atque adeo fociis undecim aliis viris, ac duabus sœminis. Mox apertis venis, cum sensim efflat animam, sanguinem ejus partim absorbent, partim aliis asservant, ac exangue corpus membratim discerptum humi defodiunt infames Apellæ. Latebat aliquamdiu nefas inhumanissimum, dum ejus suspicio nasceretur inde, quod pridie Judæorum in vico lusitans ille puppus, nusquam deinceps fuerit conspectus. Quare instituitur in perditissimos bipedum quæstio; lictores scrutantur eorum ædes; recenti cruore detegitur crimen; herus tota cum familia comprehenditur; adactæ metu tormentorum sœminæ, feralem lanienam confitentur; harum testimonio vincuntur viri; Palatinali sententia (qui tunc gubernabat TYRNAVIAM) in foro cremantur fontiores, reliqui magno ære vitam redimunt, æternoque damnantur exilio; quod tamen ætate nostra nonnihil mitigatum est, dum impune ad ipsa urbis pomæria subeunt. Visitur hodie dum infandæ cædis monumentum pone Cænobium Clarissarum. In porta enim, dicta Judaica, fors in detestationem tam immanis flagitii, perpetuo clausa, prostat effigies dirissime enecti parvuli. Qui causas vult cognoscere, ob quas sœdissima natio pluribus in locis atrocissimo hoc facinore se contaminavit, adeat Bonfinium Dec. V. Lib. IV. Editionis Poson. pag. 564. & seq.

§. XXX.

De BASINIENSI Civitate.

BASINIUM, Slavis, ac Germanis PEISING dictum, a lacu PEI-
 SONE (mea quidem sententia) appellationem accepit. Equidem
 non me fugit, rejici a plerisque cum Lazio, Inchoffero, Baudrando &c.
 lacum hunc ultra Danubium, ac eundem esse, quem Hungari Fertö, vo-
 cant; verum quia hoc in agro stagnasse PEISONEM constans majorum est
 traditio, ac luculente id tum vasti aggeres, tum alveus Nigræ Aquæ, quo
 in Danubium deductus est, produnt; de alibi quoque constituta opinione
 non decedo. Firmat opinionem nostram testimonium Aurelii Victoris,
 de Galerio scribentis: „ Agrum satis reipublicæ commodantem, cæsis
 „ immanibus sylvis, atque emissö in Danubium lacu PEISONE, apud
 „ Pannonios fecit. „ Itaque cum ea stagni in Danubium deductio nulla-
 tenus in Fertöiensẽm referri queat; merito Lazianam, aliorumque deserimus
 conjecturam. Hæc utcunque sint BASINIUM commode nitidas ha-
 bet ædes civium, arcem Pálffianam, curias aliquot Nobilium, tria Tem-
 pla, vetus, novum, & Capucinatorum, clauditurque muro, non tam ad
 defensionem firmo, quam ad ornatum instructo. In Asceterii, ac Templi
 Capucinatorum fabricam concurrere multi; palmam tamen piæ liberalitatis
 nemo dubiam fecit Comiti Stephano Koháry. Illud, quod vetus appellant,
 a Stephano Illyesházio, Lutheri dogma secuto, conditum fuisse conjectant
 quidam, quod in eo sit humatus; alii vetustiore ædem illam ætate Ste-
 phani, atque adeo ipsã Lutheri Secta contendunt; a præpotente autem
 Dynasta illo pro Luthericis excitatum novum illud fanum, quod possidet
 Paræcus ab anno MDCLXXIV. quo Sectariis ereptum est Regia voluntate.
 Diversis parebat heris, donec privatorum juris erat BASINIUM; jam in
 Liberis, Regiisque Civitatibus una cum S. Georgio, ac Modra numerum
 facit ab anno MDCXLIX. quo more cæterarum Civitatum Regiarum ad
 Comitia Regalibus literis sunt vocati ejus cives. Detulit hoc Ferdinandus
 III. precibus Regni anno MDCXXXVIII. porrectis, quas legere est Arti-
 culo LXIII. illius anni. De Arcibus BASINIENSI, ac S. Georgii memo-
 randum illud, earum latifundia jure pignoris possedisse gentem Pálffianam
 ab anno MDCXXXVI. numeratis ærario regio CCCX. florenûm millibus per
 Ste-

Stephanum Pálffy; jam vero in hæredium transire anno MDCCXXXIV. ne deesset immortalibus Nobilissimæ Prosapix in Reges, ac Regnum meritis, præmium.

§. XXXI.

*De Castro, & Libera, Regiaque Civitate
SANCTI GEORGII.*

EAdem semper fortuna usa sunt Basinium, & S. GEORGIUS, eosdem patiebantur Dominos, belli vices, tyrannos. Nomen huic oppido adhæsit a S. Tutelari Milite, ac Martyre, quem etiamnum in Insigni habet. Passim in Domesticis, externisque Scriptoribus legas nomen Comitum de S. GEORGIO & Bosin; at qui nam isti fuerint? non æque definias. Anno MCCCCXXXIII. Wilhelmus quidam, dum vendit Jandorffensem Curiam in Comitatu Mosonienfi, se Comitem S. GEORGIENSEM, & Dominum Altenburgi, sive O-Varini vocat. Itaque Wolffartiorum genus, quod Vörös-Könsé quoque castrum eadem ætate obtinebat, in ditione sua Altenburgum, S. GEORGIUM, Basinium, Opaviam, fors & Szeredinum habebat. De cæteris dubium eximit Juditha DEI gratia hæres Opaviensis, Pauli Wolffart, dicti de Vörös-Kö, alias de O-Var vidua prædictæ Jandorffensis Curix venditionem affirmans. Alioqui Diplomatum Regionum fide, & Gentilitiorum armorum, quibus Wolffartii utebantur monumentis, nihilo a Comitum S. GEORGII insignibus diverforum, gens eadem amplas illas ditiones possidebat. De Szeredino non prorsus ausim eadem asserere. Nam etsi constet Dominum Szeredini eundem aliquando fuisse, qui Comes erat S. GEORGII, & Bozin, eum tamen gente Hungarum produnt gesta Regni munia, quæ illius ætate exteris conferri non solebant. Wolffartii proinde, Opaviæ Duces, jure duntaxat hypothecario laxas illas ditiones obtinebant, quarum partem de Regno, ac Rege bene meritus Szeredius acceperit in præmium Regia donatione. Utrumque superiorum illorum temporum usus confirmat, quibus nec exteris alio titulo, quam pignoris bona collata fuisse novimus, nec admòdum gloriosum habebatur aliquid possidere, quod virtus bellica non emeruisset. Extat in Templo S. GEORGII monumentum Szeredii, Porphyretico marmori incisa exhibens sequentia:

§. XXX.

De BASINIENSI Civitate.

BASINIUM, Slavis, ac Germanis PEISING dictum, a lacu PEISONE (mea quidem sententia) appellationem accepit. Equidem non me fugit, rejici a plerisque cum Lazio, Inchoffero, Baudrando &c. lacum hunc ultra Danubium, ac eundem esse, quem Hungari Fertö, vocant; verum quia hoc in agro stagnasse PEISONEM constans majorum est traditio, ac luculente id tum vasti aggeres, tum alveus Nigræ Aquæ, quo in Danubium deductus est, produnt; de alibi quoque constituta opinione non decedo. Firmat opinionem nostram testimonium Aurelii Victoris, de Galerio scribentis: „ Agrum satis reipublicæ commodantem, cæsis „ immanibus sylvis, atque emisso in Danubium lacu PEISONE, apud „ Pannonios fecit. „ Itaque cum ea stagni in Danubium deductio nullatenus in Fertöiensem referri queat; merito Lazianam, aliorumque deferimus conjecturam. Hæc utcunque sint BASINIUM commode nitidas habet ædes civium, arcem Pálffianam, curias aliquot Nobilium, tria Tempia, vetus, novum, & Capucinatorum, clauditurque muro, non tam ad defensionem firmo, quam ad ornatum instructo. In Asceterii, ac Templi Capucinatorum fabricam concurrere multi; palmam tamen piæ liberalitatis nemo dubiam fecit Comiti Stephano Koháry. Illud, quod vetus appellant, a Stephano Illyesházio, Lutheri dogma secuto, conditum fuisse conjectant quidam, quod in eo sit humatus; alii vetustiore ædem illam ætate Stephani, atque adeo ipsa Lutheri Secta contendunt; a præpotente autem Dynasta illo pro Luthericis excitatum novum illud sanum, quod possidet Paræcus ab anno MDCLXXIV. quo Sectariis ereptum est Regia voluntate. Diversis parebat heris, donec privatorum juris erat BASINIUM; jam in Liberis, Regiisque Civitatibus una cum S. Georgio, ac Modra numerum facit ab anno MDCXLIX. quo more cæterarum Civitatum Regiarum ad Comitia Regalibus literis sunt vocati ejus cives. Detulit hoc Ferdinandus III. precibus Regni anno MDCXXXVIII. porrectis, quas legere est Articulo LXIII. illius anni. De Arcibus BASINIENSI, ac S. Georgii memorandum illud, earum latifundia jure pignoris possedisse gentem Pálffianam ab anno MDCXXVI. numeratis ærario regio CCCX. florenûm millibus per Ste-

Stephanum Pálffy; jam vero in hæredium transiere anno MDCCXXXIV. ne deesset immortalibus Nobilissimæ Prosapix in Reges, ac Regnum meritis, præmium.

§. XXXI.

De Castro, & Libera, Regiaque Civitate
SANCTI GEORGII.

EAdem semper fortuna usa sunt Basinium, & S. GEORGIUS, eosdem patiebantur Dominos, belli vices, tyrannos. Nomen huic oppido adhæsit a S. Tutelari Milite, ac Martyre, quem etiamnum in Insigni habet. Passim in Domesticis, externisque Scriptoribus legas nomen Comitum de S. GEORGIO & Bosin; at qui nam isti fuerint? non æque definias. Anno MCCCCXXXIII. Wilhelmus quidam, dum vendit Jandorffensem Curiam in Comitatu Mosonienfi, se Comitem S. GEORGIENSEM, & Dominum Altenburgi, sive O-Varini vocat. Itaque Wolffartiorum genus, quod Vörös-Köise quoque castrum eadem ætate obtinebat, in ditione sua Altenburgum, S. GEORGIUM, Basinium, Opaviam, fors & Szeredinum habebat. De cæteris dubium eximit Juditha DEI gratia hæres Opaviensis, Pauli Wolffart, dicti de Vörös-Kö, alias de O-Var vidua prædictæ Jandorffensis Curix venditionem affirmans. Alioqui Diplomatum Regionum fide, & Gentilitiorum armorum, quibus Wolffartii utebantur monumentis, nihilo a Comitum S. GEORGII insignibus diverforum, gens eadem amplas illas ditiones possidebat. De Szeredino non prorsus ausim eadem asserere. Nam etsi constet Dominum Szeredini eundem aliquando fuisse, qui Comes erat S. GEORGII, & Bozin, eum tamen gente Hungarum produunt gesta Regni munia, quæ illius ætate exteris conferri non solebant. Wolffartii proinde, Opavix Duces, jure duntaxat hypothecario laxas illas ditiones obtinebant, quarum partem de Regno, ac Rege bene meritis Szeredius acceperit in præmium Regia donatione. Utrumque superiorum illorum temporum usus confirmat, quibus nec exteris alio titulo, quam pignoris bona collata fuisse novimus, nec admòdum gloriosum habebatur aliquid possidere, quod virtus bellica non emeruisset. Extat in Templo S. GEORGII monumentum Szeredii, Porphoretico marmori incisa exhibens sequentia:

MONUMENTUM SPECTABILIS ET MAGNIFICI CASPARIS
DE SERED COMITIS.

DE SANCTO GEORGIO, ET BOZIN, AC CAPITANEI PARTIUM
SUPERIORUM REGNI HUNGARIÆ &c.

Qui obiit die prima Martii Anno Domini 1550.

Ad caput armatæ statuæ, superficiem monumenti contegentis legitur
illud Apostoli:

Abforpta est mors in victoria

GEORGIUS DE SERED *Frater FF.*

Ad pedes:

JOANNES ALAGY *nepos procuravit.*

In dextra:

Me Seredina tulit tellus, Ferdinandus habendas

Rex donavit opes, dum fera bella domat.

In sinistra:

Rara fides rebus dubiis, operosaque virtus

Acceptum Regi me facit esse meo.

Insignem fide fuisse Szeredium testatur Istvanffius Historiarum Lib. XII.
„ Ferunt, inquit, Joannem (puta de Zapolya) Legatos ad Szeredium misisse,
„ & si a Ferdinando deficeret, omnem ejus substantiam, quam Cassoviæ
„ amississet, redditurum promississet. Sed quum Szeredius se deliberaturum
„ respondisset, postero die Legatis, in secretiorem arcis Nagyidæ partem
„ deductis, ostendisse cistas, & loculos grandiores, quos hordeo, farre,
„ furfuribusque refererat, superne vero aurum & argentum, ac minoris
„ monetæ aliquantulum modice superjecerat, ostensisque iis hoc modo lu-
„ dicatum Legatos, ut diceret: magnopere decipi Joannem, qui existi-
„ met, magnam sibi Cassoviæ gazam reconditam periisse, quum ipsimet
„ videant, longe majorem partem adhuc superesse. Itaque referant Joan-
„ ni, se non tantam rerum, & pecuniæ jacturam passum esse, ut desertor
„ honoris, ac fidei, & transfuga esse vellet. „ Hæc ibi. Alterum in
eadem Basilica Divi Georgii monumentum visitur Comitis itidem de S.
GEORGIO & Bozin, sed cujus nomen desideratur, quod a Tartaris,
subtus thesauros quærentibus, erasum esse ait Belius. Refert cataphra-
ctum Heroem lapidea tabula, pone accubante leone, cujus margo nota-
tur hac inscriptione:

ANNO

ANNO DOMINI MCCCCLXVII. FERIA QUARTA ANTE
FESTUM BEATI AMBROSII EPISCOPI. OBIIT SPECTABILIS AC
GENEROSUS MAGNIFICUS DOMINUS - - - - SANCTO GEORGIO,
ET DE BOZIN &c. HIC SEPULTUS CUJUS ANIMA REQUIESCAT
IN PACE!

Templum hoc eminet in colle, extra septentrionalem Civitatis portam, qua arcem versus ascensus erat. Amplum est, ac vetustissimum, nec solidum minus. Altera sacra ædes quæ medium ductæ in triangulum Civitatis occupat, a Lutheranis constructa fuisse perhibetur anno MDCLIV. tradita vicefimo post anno Patribus Piarum Scholarum, quorum Domicilium Templo meridianam ad plagam annexum est, in quo mansuetiores quoque Musæ diversantur. Qui Rectoris munere gubernat Religiosum hocce Collegium, Civitatem una complectitur curis Paræci. De arce (cujus triste rudus in obverso aquiloni montis latere spectatur) vix habeo, quod dicam. Paci ad delicias potius, quam bello ad reprimendum hostem idoneam fuisse prodit situs. Ejus everfionem Annalista Leobienfis refert ad annum MCCLXXI. Minerva parum propitia illatas Hungariæ ab Ottocaro Bohemo clades persequens: „ Postquam, inquit, castra Regis Hungariæ in confinio Austriæ sita destruxit, & funditus subvertit ita, quod „ non remanserit lapis super lapidem; postea aliud castrum dictum apud „ S. GEORGIUM, & castrum dictum Posinge, & Pibersburg, & Civitatem, dictam Tyrnam; hæc omnia, in illo loco existentia, viriliter „ expugnavit. „ Ita ille. Grandes jam locum arcis implent arbores, quodque olim magnorum Dynastarum fuit Palatium, jam lustrum est ferarum. Abundant his, & generosissimo vino S. GEORGIi cives, utunturque cælo admodum salubri; ut nec ipsa pestilentia hic perinde sævire notata sit, quam vicinis in locis. Mirum id videri posset iis, qui Civitatis hujus positum norunt. Palustris enim, ac lacunosus est, atque idcirco colubris ultra cætera Hungariæ territoria frequens. Sed nimirum non fontes modo, sed lacunæ ipsæ nitrum, ac sulphur exhalant, ficque innocuum aërem foveant. In fontibus ille saluberrimus habetur, qui mille circiter passibus a Civitate meridiem versus recedit. Calefiunt ejus aquæ, & affectis corporibus præfens remedium afferre feruntur.

De MODRENSI Civitate.

MODRÆ nomen originis videtur esse Slavorum; quibus Modry idem est, quod Latinis profunde cæruleus; quem colorem sinus ille montium, in quem procurrit hæc Civitas eminus aspectantibus exhibet amœne confusis arborum varii coloris frondibus, ac foliis. Natales MODRÆ non invenio; floruisse autem jam ante annum MCCLXXXVII. satis idoneis documentis comperi. Sane ætate illa Henrico Pofonienfi Comiti parebat, non multoque post in pœnam a Rege desciscentium Henrici filiorum ad Oporum Vajvodam, Ladislai Cumani voluntate, novum ad Dominum transiit, videlicet Joannem itidem Comitem Pofoniensem; ab hoc ad Stiborium; tum Orzághios; quorum auctorem Michaelem Bonfinius Dec. III. Lib. III. & Dec. IV. Lib. I. ac Dubravius Lib. XXX. Historiæ Bohemicæ dilaudat. Non diuturna Orzághii MODRÆ possessione sunt fructi, in laudatissimo Christophoro anno MDLXVII. extincti. Quare rediit in Fisci jura oppidum, neu privato ulli venundari, aut conferri posset, sex patriorum florenûm millibus, & annuo quadraginta supra sexcentos florenorum itidem Hungaricorum addito censu mercatum est a Maximiliano II. biennio post non exacto. Itaque venit tunc MODRA in numerum Liberarum, Regiarumque Civitatum; at titulos nonnisi a Rudolpho II. impetravit Anno MDCVII. ut legere est Articulo VI. ante coronationem Regis illius. Auçta his titulis MODRA nova se munitione cæpit sepire anno MDCX. cujus fabricam in sex admodum & triginta annos produxit. Templum habet intra muros unum, alterum in suburbio, quod etiam Parochiale dicitur, & si mole cedat Urbico. Adhæret huic Cœnobium Patrum Benedictinorum; in suburbani vero illius reparationem sectarii invaserant, illudque ad annum usque MDCXXXV. frequentabant; eo rursus non contenti Urbanum uti solent, per vim occuparunt, exclusis Civitate Sacris Catholicorum; quibus suburbanum tempellum retinentibus Imperio Leopoldi, inique ereptam Urbanam Basilicam restituere sunt adaçti anno MDCLXXXII. accepta potestate erigendi oratoria duo pro numero nationum, MODRAM inhabitantium, Germanicæ puta, ac Slavicæ, quæ hodieum implent. Vino gaudent MODRENSES nonminus amœno, quam generoso; agro fertili, cœ-

lo benigno. Frutex, quem Rosmarinum appellant, tota Hungaria ac vicinis Regionibus nusquam, atque hic, feliciter, copiosiusque nascitur.

§. XXXIII.

De Oppidis Comitatus POSONIENSIS.

Nulla Hungarici Regni portio æque nobilibus juxta, frequentibusque culta est vicis, oppidis, castellis, & arcibus, atque POSONIENSIS. Privilegiata oppida censet novem supra vicena, arces decem, castella quinque & triginta, vicos CCLXXV. Percurremus hoc loco oppida. Primum est intra ipsa Pofonii pomæria Pofony Várallya, quasi suburbium arcis. Multi hoc Judæi habitant; plures ac fere soli vicum Czuckermendl, ab oppido gemino Vedricio interceptum. Duas habet Synagogas Hebræorum, qui nusquam tota Hungaria majore gaudent immunitate. Alterum oppidum RÉTSE (Ratschdorff) affidet Carpati radicibus, a vino præstantissimo nominatum. Divellitur Pofonio milliari unico; duobus CSEKLÉSIUM (Landfitz) pleno elegantis castello, cum prætiosisque insigni prorsus Bibliotheca, per Excellentissimum D. Comitem Josephum Eszterházy, Regiæ Curiæ Judicem exornatum. Recedit hinc rursus uno milliario SZEMPTZINUM (Slavis Szencz, Germanis Wartberg) Alberti Molnár Lexici Hungarici compilatoris, natale solum, Excellentissimi D. Comitum Francisci Eszterházy, Regalium per Hungariam Tavernicorum Magistri hæredium, insigni horto, castello, & cultis ædibus memorabile, frequensque oppidum. Ultra hæc partim orientem, partim septentrionem versus exurgunt minora alia. Grinavia, Ompital, Csézte, Alsó, & Felső-Diós, Deite, Szuha, Szomolan, Boleráz, Spacza, Cziffer, Galantha, Szeredinum, Püspökinum, Samaria, Csötörtök, Nagy-Magyar, Szerdahely, Dévén, Gajár, Sancti Joannis, Malaczka, Nagy-Lévárd, Stompha, Vajka. Quodvis horum suis gaudet commodis, Dominorum ædibus, agro fertili, cæteris opportunitatibus. Csézte subjacet Rubræ, Dévén, Szomolan cognominibus arcibus, de quibus non multo post redibit fermo; Grinavia, & utrumque Diós (Nussdorff Germanis, Slavis Oressany) amœnitate vini; vetustate Boleráz (nam privilegia fertur a Bela II. accepisse;) mercatu Szeredinum; Püspökinum Rakocianorum, & Danorum, Duce Trampio, ad annum MDCCIV. clade; Samaria (Sumarcin, & Schomorin) rectius

fanum S. MARIE dicenda, plurimorum Regum gratiis, & Asceterio filiorum S. Francisci de Paula; Levardinum præstantium cultellorum fabrica memorabilia. Galantha deinde gentilitia est magnæ stirpi Eszterháziæ, & consobrinæ Baloghiæ; Spacza vero cognominis pervetustæ Nobilium Familiæ; cujus hodie grande ornamentum est Paulus Electus Arbenfis Episcopus, Abbas B. M. V. de Madocsa, Præpositus S. Thomæ de Monte Strigoniensi, Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis Canonicus, Præsul morum gravitate, sapientia, rerum usu, religione, consilio, candore, probitate, verbo: omni virtute summis quibusque non sui duntaxat ævi conferendus. De oppidi hujus Templo memorant, quod cum Nicolaus IV. e Comitibus Pálffis proxime abesset a morte, abreptus vorticibus amnis vagi, apparuerit clienti icon Sospitatricis Virginis Deiparæ, cui Nicolaus, concepto voto, si mortem evaderet, se positurum accepti beneficii monumentum receperit. Servavit clientis vitam gratiarum Mater, cliens piissimæ Servatrici fidem. Ut enim rediit Vörösköiensem ad arcem, incurrit in simillimam illi, in periculo visæ, imaginem, extemploque pro Spaczensi æde sacra majus, ac duo minora confieri altaria iussit. Postremum quod in oppidis posui, Vajkense, caput est Sedis Nobilium Prædialistarum, qui arma sumunt sub signis Archi-Episcopi Strigoniensis, si quando ritu olim usitatissimo, in defensionem Patriæ sit depugnandum. Constituit Vajka cum septem vicis speciem quandam peculiaris Reipublicæ, non contemnendis prærogativis ornatæ; quas legere est in diplomate Belæ Regis III. anno MCLXXXVI. in eorum favore edito, ne quid de Archi-Episcoporum Strigoniensium (quorum VAIKENSES Prætoriani dici possunt) gratiis, & comitorum anni MDLXVII. Articulo XIV. insertis sanctionibus dicam. Primate ad eum subiecti sunt modum, quo Regi paret Nobilitas Hungariæ. Habent suum Palatinum, Vice-Comitem, Judices Nobilium, Notarium, Quæstorem, sive Perceptorem, cæteros Officiales. Superioris (in duos enim secatur Districtus) Processus vicus *Bacs-fakva* duo habet peculiaria, Cænobium nempe Franciscanorum, cui annexum S. Antonii de Padua Templum multa religione frequentatur; quodque colatur in ejus unius universam per insulam agro vitis. Dulce fert mustum; sed quod non patitur ætatem, anniculum lentescit, bimum vix gustes, quod non sublestissimum.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Castella Comitatus POSONIENSIS.

Equinque supra tricena Comitatus POSONIENSIS castellis novem sunt juris Pálffiani : Dévénienſe : Szuhenſe , Németh-Gurabienſe , Beketfalvenſe , olim hæredium Móroezianum , Dévén-Uj-falvenſe , Detreköienſe , Malaczkenſe , Stomphenſe , & Király-falvenſe . Cætera cum ſint ampliffimis heris ſuis digniffima , Király-falvenſe Regium quid non ſolo præſert nomine . Deme Silanos , & nihil univerſa in Hungaria per hortos diſperſum repereris , quod in adſito Király-falvenſi ædi hodierni Comitæ Palatini , horto cumulate collectum non legas : alluberet equidem Magni Herois delicias diſtinctius perſequi , ſed vel topiaria , ac peregrina Pomonæ munera , hic domeſtica , paginas aliquot depoſcant , quæ prolixitas ab inſtituto noſtro multum abludit ; ne quid de hypodromo , villa , ſolo nomine ruſtica , ac Palatii , in quo Reges hoſpitari valeant , cultu dicatur . Certant his ex æquo Eſzterháziſſimum Cſekléienſe , duo Galanthenſia , Koſſuthenſe , Viſzkelethenſe , Szenczenſe ; tum Cſakyanum Magyar-Bélienſe , Cardinalis Emerici opus auguſtum ; ac Vödrödienſe Excellentiffimi Antiſtitis Jaurinenſis Franciſci e Comitibus Zichy grandi ſumptu ad ſæculi noſtri elegantiam educatum . Secundum hæc duo ſunt Excellentiffimi D. Comitæ Joſephi Illyésházy , Nagy-Szarvanenſe , & Illyéshaziſſe ; totidem Amadei Baronis Barenſe , ac Bööfenſe ; Somogyianorum adhæc *Sipoſienſe* , *Viſz-Kelethenſe* . Denique Archi-Epiſcopi quoque Strigoniſis Püſpökienſe , & Gombanenſe ; quorum iſtud , Georgius Szelephénius ædificiis , hortis , textrina panni , Hollandicis ex æquo certantis , exterarumque ovium , lana præſtantium , gregibus reddiderat nominatum . Obtinetur jam a Patribus Ciſterciſiſſibus , quorum etiam eſt Cſakanyienſe . Lévardenſe Herum ſuum Comitæ Kolonitſium de Zay , ut plurimum accipit hoſpitio ; rarius Keglevitſios , alterum eorum , quæ ornant oppidum S. Joannis ; nam alterum juris eſt ſæneratorum gentis Czoboriæ . Ufzorenſe paret Naſzvadiiſſe ; Janyenſe Farkaffiſſe ; Sülyenſe Maholaniſſe ; Hodyenſe Andraſſiſſe ; Neboyszzenſe olim Hedervariſſe erat ditio , jam plurium ; Czifferienſium denique illud , quod Balásházenſem reſpectat ſolitudinem , ad Schlosbergios , Mokripodáriſſos , ac Semſeiſſos attinet ; objectum vero huic , ſolaque interceptum via ad Kerekeſſiſſos .

De Arcibus Comitatus POSONIENSIS.

REgiam POSONIENSEM, Basinienſem Pálffiorum, ac rudus Sancto-Georgienſis Arcis adumbravi, dum eas urbes luſtrarem, ſeptem ad-huc, quod ſciam, ſuperſunt aliæ, memoria cumprimis dignæ; eminent eas inter non tam ſitu, quam ornatu RUBRA, Hungaris VÖRÖSKÖ, Germanis Biberspurg dicta. Teſte Balbino exſtructa eſt a Conſtantia Belæ III. Regis Hungariæ, filia, poſt obitum viri Primislai, Bohemiæ Regis. Inſidet jugo carpati, quatuor miliaribus ultra POSONIUM ortum verſus, duobus Tyrnavia ad ſeptentrionem. Rubefcens faxum, quod occupat, arena, vel glareæ arcis nomen dederit. Nam de Hero a quo eam appellationem fortiri potuiſſet, nihil conſtat; & Hæredia dant potius nomina poſſeſſoribus, quam ab iis mutantur. Poſitu ut edito, ita amœniſſimo eſt, orientalem, & meridianam plagam latiffime deſpectans; digna, quam Ludovicus II. conjugi Mariæ pro deliciarum loco donaret. Poſſidebatur jure hypothecario per Pálffios jam inde ab ætate Maximiliani II. dum Anno MDCCXXXIV. bellicoſiſſimæ illi Familiæ hæreditariam eſſe juſſit Carolus Imperator hoc nomine VI. Regum noſtrorum III. Inſigni quo inſtructa eſt, ornatui, munitio acceſſit, qua inſolentem a data Ricſanio clade Rakoczi-
norum ferociam reprimere potuit Anno MDCCV. menſe Octobri; cuniculis, machinarum bellicarum iſtibus, aſſultibus adeo non paucis appetita. Habet pro aditu hinc hortum nobilem, inde villam elegantem; intra mœnia bifariam diviſa conclavia, ad luxum adornata, laxa, & numeroſa; ludum hydraulicum, multorum aſperſione facetum; denique phaſelum illam, qua evaſit e vagi vorticibus Nicolaus IV. Comes Pálffius, cujus mentio facta eſt, dum de Spaczenſis oppidi Templo loqueremur.

Vetuſtior ætate, ac in Pálffianæ Proſapiæ Hærediis eſt Arx DÉVÉ-
NIENSIS, quam anno Chriſti DCCCLXIV. adeo validam fuiſſe, ut Raſti-
ces Dux Slavorum ejus ſe mœnibus credere non dubitarit, dum eum Ludo-
vicus Pius bello premeret, ait Struvius. Eminent in præalto ſcopulo millia-
ri folido remota Poſonio, occidentalem ad plagam, ubi amnis Morava Da-
nubio miſcetur; qui a virgine, neſcio, qua conditam fuiſſe volunt, id con-
jiciunt ex voce, nam aliqua Slavorum dialecto Devojna ſignificat puellam.

Ad

Ad aniles hoc puto relegandum fabellas, a quibus alioqui nihil in molem vastam, firmam, in paucis raræ altitudinis, & aspectus amœnissimi, ornamentum redundat. Derisit utraque vice Turcorum vires, dum isthac peterent Viennam. Heros passæ est complures donec Ferdinando Rege III. in Pálffiorum latifundia æterno jure transfivisset, accurrante Paulo Comite Pálffio spectatissimæ virtutis viro. Eadem ætate nobilissimæ illi genti accessere DETREKÖJENSIS, & BÖROSTYÁN-KÖJENSIS arcium possessiones. Priori a Dieterico quodam, huic ab hedera, subtus arcis muros copiosius crescente, appellatio hæsit. In edito Carpatiorum montium jugo utraque sita est; *Borostyánkőiensis* duobus milliaribus disjungitur Pofonio, quaternis altera, septentrionem versus.

Nunc enumeratis jure accenseas ab acuto vertice, cui superstructa est, arcem Élesköiensis, Germanis Scharffenstein, jam inde ab anno MD. inter hæreditaria Czoboriorum Comitum Dominia relatam suis cum ditioribus. Credibile est hanc primis duobus Hungarici Regni sæculis, erectam fuisse, ut tam adversus Austriacos, quam Bohemos, quin Tartaros quoque, quaquaversum procurrentes, ejus munitione se tutari accolæ possent. Multum hac ætate hiat, proximeque ab interitu abest. Redeuntibus cis-montes, quos vocant Albos, occurrit SZOMOLANENSE Comitum Erdödianorum; Castrum, nitidum juxta, firmisque propugnaculis munitum. Præcipua ornamenta sua debet Excellentissimo germanorum pari Adamo, & Georgio; illi Aulæ quondam Hungarico Cancellario, ac Nitriensium Præfuli sanctissimo; isti Regio per Hungariam ærario Præfecto, sacræ Coronæ Duum-Viro; utrique Catholicæ Religionis incomparabili zeloti. Digni sunt, qui hanc in paginam transferantur Patrii, nobisque amici Poëtæ versus, quibus positum, commodaque arcis nostræ in hunc modum, arri-dente Apolline, se gloriatur perstrinxisse:

*Arx ubi sublimes aperit celsissima portas,
Vidimus expanso colle virere nemus.
Vidimus, & fecunda suis pomaria donis,
Septaque, quæ docta flexerat arte manus.
Hic ager innocuos pascebat fertilis agnos;
Illic præbebant subdola tecta feras.*

*Læta Pales berbas pecori , læ Testilis agnis ;
 Agricolis Ægon pocula plena dabat.
 Flaventes a sole Ceres stringebat aristas,
 Bacchus & eximio munere dives erat.
 Non melius potuit spatium cultissimus Heros
 Quærere , si curas forte levare velit.
 Si velit in viridi vestigia ponere prato ;
 Est via , qua faciles ducat ab arce pedes.
 Si velit audacis rabiem frænare cuballi ;
 Hic quadrupes cursu liberiore ruit.
 Si velit infestis leporem maclare molossis ;
 Hic quoque , qua campos transcat , Argus habet.
 Si velit aligeræ voces audire catervæ ;
 Hic vaga dulcisono gutture vernat avis.*

Ad amœnissimam hanc ædem , si quando per publica negotia licet , secedit laudatissimus Comes Georgius , gravissimasque Regni , ac Regiæ Quæsturæ levat curas.

Postrema POSONIENSIS Comitatus arcium est EBERHARDENSIS , Germanicæ originis , si quid deferendum nomenclationi. Comitum de Fano S. Georgii cognominatorum , fuisse ditionis existimatur , ad quorum ætatem referendam suadet operis vetustas. Fossis bene altis munita erat ; cæterum nec artis ingenio , nec naturæ beneficio reprimendo hosti valido sat idonea. Triumphat nihilominus sine æmula in insulans Comitatus POSONIENSIS castris , quia unica.

§. XXXVI.

Memorabiles POSONIENSIS Provinciæ Vici.

TRansmontana Comitatus POSONIENSIS regio præcipua dignum memoria vicum continet , a MARIA , Matre Virginea , nuncupatum , MARIA THALL , Slavis MARIANKI. Celebrant eum Annales Eremitarum Sancti Pauli non tam a positu , quo gaudet prorsus insigni (septentrionali enim Carpati montis lateri adhæret , Rétfénfis Oppidi , & Civitatis S. Georgii territoria a tergo interfecans , apertamque plagam Viennam usque habens in obtutu) quam sacris peregrinationibus ,

Dei-

Deiparæ gratiis, concurrentium undique populorum religionibus, ac innumeris ærumnosorum, voti damnatorum, anathematis. Annum quo sacerrima Vallis frequentari cæpit pietatis operibus, ignorant ipsi ejus possessores. Exploratum illud, ante Ludovici I. tempora uno sæculo, & amplius contigisse grande illud miraculum, quo latronum nequissimus, susceptis ex uxore, hanc vallem incolente, teterrimis duobus, loco liberorum, monstris, hacque pœna ad respiscendum permotus, post rite expiatum animum, dum monito sanctissimæ Virginis in fonte degeneres foetus abluit, humanam una formam iis inducit, Thaumaturgum una simulacrum illic reperit, in oratorium proximum detulit, constructæ abs se aræ, ac Virgineis honoribus consecratæ imposuit. Nondum ætate illa Sacer Paulinorum ordo habebat Asceteria, verum solitariam agebant vitam, qui pium institutum sequebantur. Quare locum conjecturæ Annalista facit, Thaumaturgam illam Deiparæ statuam a quopiam Eremita Fratre fabricatam fuisse, inque fonte abditam, quo grassantium forte latronum impias manus effugeret. Hæc utcunque sint, secutis, retrusâ illa tempora, annis, MARIANA hæc VALLIS singularibus prorsus Sospitatrix Virginis, Tutelarix suæ, gratiis inclaruit, magnisque donis Regum, Imperatorum, Præfulum est exulta. Sane postremi duo Strigonienses Metropolitæ se digna munificentix monumenta isthic posuere; Emericus quidem Eszterházius præstantissime Templum adornando; Augustus autem e Ducibus Saxonix Religiosam Domum multum laxando, ut esset commodum tanto Principi hospitium, quoties digredi in amicam Eremum per negotia possêt. E Regibus primum nominant Annales Ludovicum, qui edito Diplomate munificus sacrum hunc in locum fuit MCCCLXXVII. ampla ei spatia concedendo, ac ditioni arcis Borostyánkö universâ subducendo. Æmulati sunt Ludovicum non modo Reges Maria filia, ac gener Sigismundus; sed Rozgonii quoque, & Comites de S. Georgio, ac Bozin, transcripta jure perpetuo MARIANÆ, de qua loquimur VALLI ditione Bisatricensis pagi anno MDXV.; qua tamen Religiosi illi Viri præter jus, & æquum deturbati sunt, opinione mea non per Fuggeros, apprime Catholicos, quique ipsi de suis redditibus sacris Familiis domicilia constituerint, minime vero contra Divina, ac humana jura aliena beneficia diripuerint.

Alter ejusdem Transmontanæ regionis vicus, cui MASZTO nomen, est portio quædam ditionis Borostyánköienfis, oppido Stomphenfi vicinus, grandis cujusdam urbis, aut castrî ruinis insidens. Nihil in his indiciorum desideres, quod insignem olim prodat fuisse munitionem; urnæ, busta, lampades, nummi Antonini, Faustinae, Hadriani, valla, cuniculi, murorum rudera, ordinata vicorum series, cisternæ &c. hodieum supersunt; etsi vix sit Historiographus, qui in literas retulisset, quodnam ætate ulla municipium, castrum, aut Urbem Romanorum, Barbararumve Gentium hoc loco constituisse, dempto Ammiano Marcellino, qui floruit circa annum Christi CCCLXX. vide ejus Libri XXX. Cap. V. & VI. Tertius Vicorum POSONIENSIS Comitatus memoratu dignus (AL-BÁRUM incolæ dicunt) Inferiorem Insulæ ornat Processum. Nobilitavit eum diuturniore suo incolatu elegans ille Pro-Palatinus, Nicolaus Istvánffius, dum sua de Rebus Hungaricis commentaria elucubraret. Scitissimo illo opere immortalẽ ad posteros famam transmittentem Nicolaum privavit DEUS hærede dulcissimo, cui sacra in æde monumentum abs se conceptum, ac Pario incisum lapidi posuit in hæc verba:

PALCONI, UNICO FILIO, EIDEMQUE LONGE AMANTISSIMO
IN TENELLA ÆTATE, PROH DOLOR! VITA FUNCTO.

NICOL. ISTVANFFI PAULI F. ET ELISAB. BOTH,
PARENTES MOESTISSIMI, POSUER.

VIXIT ANN. III. MENSIB. VII. DIEB. XVII.

⊖ MENSE MARTIO ANNO XPI.

M. D. LXXXI.

*Tecum Amor, & Charitas, Spes, & solatia nostra,
PALCO, jacent! sed sic tulit imperiosa potestas
Fatorum; ut, quæ te nobis pia solvere iusta
Fas erat; hæc mæsti tibi reddimus ecce Parentes.*

IHS.  XPS.

FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CÆLO
ET IN TERRA.

Supersunt complures alii, frequentia populi, agri fertilitate, cæli benignitate, Nobilium cultissimis domiciliis, datis, acceptisve cladibus, sacrarum ædium non vulgari structura &c. memorabiles vici, quos paginæ huic invidet studium brevitatıs. Bogdanocz, Gerencsér, Nadas, & Pudmericz
lu.

luculentis præliis sædati sunt; Kossolna fictilium operum præstantia, Albanus nitido, & relaxandis tantisper a studiorum contentione Tyrnaviensium Musarum animis accommodato ædificio; Senquitz insigni Croatarum colonia; Longavilla Antoniano, Margaretanoque Templis; Nachács vicina S. Catharinæ Patrum Franciscanorum Eremitico commendandi. Annalium sacri hujus Ordinis fide testatum est, Joannem L. B. Appony fecisse vale Parentibus opulentis, inque ea solitudine, ad quam hac ætate pie supplicantium concursus plurimi fiunt, non uno conspectu Magnæ illius Philosophæ recreatum divinitus fuisse. Dedit Numinis favor occasionem construendi primum Templi, tum & cænobii, cujus amœnissimo positui nihil addi queat.

CAPUT SECUNDUM.

DE COMITATU NITRIENSI.

§. I.

Nomenclatio, Partitio, Limites, Fluvii, Supremi Comites Comitatus NITRIENSIS.



Uemadmodum pleræque aliæ, ita NITRIENSIS quoque Provincia mutuatur nomenclationem præcipua sua ab Urbe NITRIA, hæc vero suam ab amne Nitra; qui natus in extremis Bajmoczenfis Processus montibus, Comitatum hunc, qua longissimus est, percurrit; dum infra Ujvarinum in Comaromiensem transgrediatur. Interluitur præterea NITRIENSIS Regio plurimis minoribus fluviis, piscosis illis, ac salubribus. Nominatiores eorum sunt: Miava, & Dudvág. At Zitva allambitur duntaxat modica sui portione orientali; Vago denique partim intercipitur, partim a Comitatu Pofonienfi dirimitur. Quinque dispescitur in Provinciolas, quas Processus dicimus ideo, quod eas Patrio sermone ambitum quendam regionis indigitemus, intra quem Judex Nobilium procedens, non autem jugiter uni cuiquam affixus loco, jus dicat. Minores hæ Provincie itidem a præcipuis denominatæ sunt locis, puta a Nitria, Bajmoczio, Bodogo, Szakolcza, Ujhelino, Istorum situm, qui novit, non obscure amplitudinem totius Dynastiæ intelligit. Sane

quum meridiem versus procurrat Ujvarinum usque, qua vero occidentem respicit, amne Morava, qua septentrionem Chvoinitzensibus jugis terminetur, qui limites triangulum fere constituunt, justis decem, & quinque miliaribus invicem ex æquo recedentes; non minima sexaginta in ambitu miliaria impleat oportet. Diffusissima hæc plaga collimitanea est a septentrione Marchionatui Moraviæ, & Comitatus Trenchiniensi, ab ortu Turoczienfi, & amplius Barfiensi, a meridie Comaromiensi, ab occasu Pofoniensi, atque iterum per Moravam amnem particulæ Marchionatus Moravici. Supremi Comitatus dignitas penes eum est, quem incingit Episcopalis mitra loci. Is dum hæc in literas referuntur, est Excellentissimus, Illustrissimus, ac Rev. D. Emericus e Comitibus Eszterházy de Galantha, Præpositus S. Margarethæ de Dömös, S. C. R. M. Consiliarius Actualis Intimus, Antistes non magis Heroo Majorum sanguine, quam omni virtute, quæ Præfulem absolvat, inclytus.

§. II.

De NITRIENSI Civitate, Arce, & Monte ZOBOR.

UNum e vetustissimis, ac florentissimis non Hungarorum modo, sed Quadorum quoque, & Marcomanorum tempore, oppidis fuisse NITRIAM, extra dubitationem est. In eo quippe & Regia, & Episcopalis, quin Metropolitana etiam sedes erat constituta, uti paulo post enumerabo. Divellitur Pofonio in ortum, Strigonio in septentrionem decem miliaribus, subditurque latitudinis gradui 48. cum 27. minutis, longitudinis 42. cum minutis 4. Est frequens populo, nec tam ædium splendore, quam incolarum probitate se commendat. Conversiones easdem passa est, quas Marcomanicæ, Quadicæ, Moravicæque Gentes. Primis Hungarici Regni sæculis parebat Regibus, unaque de Liberis, ac Regiis Civitatibus erat. Hac prærogativa insignem anno MCCLXIV. Bela IV. donavit Belæ filio, Sclavoniæ Duci, a quo in jura Stephani V. Fratris recidit; Stephanus autem eandem universis cum libertatibus Paschasio Episcopo donavit anno MCCLXXXVI. Ratam habuit hanc Stephani largitatem Ludovicus I. anno MCCCLXIV. aut quocunque titulo Regiæ dominationi assertam reddidit Episcopali Sedi NITRIAM; quam novis auget privilegiis Paulus

Bor-

Bornemisza, anno circiter MDLVIII. sed quæ non integris V. lustris obtentura erat, ob quendam seditiois speciem cunctis priorum temporum immunitatibus per Zachariam Mosóczy Antistitem, ac Herum suum anno MDLXXXII. exuenda. Duas in regiones dividitur, Inferiorem, ac Superiorem; illa multo spatiosior; hæc ornatior est, cumque leni arcis clivo adhæreat, perinde ut arx implet insulam, quam efficit amnis NITRA. Eadem Regio Superior, præter Canonorum ædes, Seminarium Clericorum, ac Franciscanorum Cænobium a Nicolao I. Telegdina de gente oriundo Nitriensi Episcopo, positum anno MCCCLXX., pauca Laicorum habet domicilia, Inferior autem Parochiale Templum, Patrum a Piis Scholis appellatorum, facile inter Hungarica princeps Collegium, cum non inelegante fano, & Nobilis Juventutis Convictu, beneficio Ladislai Mattyasovszky, loci Præfulis, ac Regni Cancellarii erectum ineunte sæculo, quod vivimus. Ornat, dum hæc in literas referimus, plasticis Templum operibus Excell. D. Comes Anton. Grassalkovics personalis Præsentia Regiæ in Judiciis Locumtenens, ac magnificentia suæ insigne monumentum ponit. Qui primi arcem moliti sint, nullus, quod sciam, memoria commendavit. Ante S. Proto-Regis Stephani ætatem excitatam fuisse satis certum est, tum quod murorum id substructiones doceant; tum quod sanctissimus ille Regum in ea custodiri voluerit Vazulem sui patruelis filium; quod argumento est non firmitudine solum, sed ædificiis quoque, Regii sanguinis captivo dignis, instructam fuisse. Vide Turoczium Parte II. Chron. pag. 98. editionis Lipsiensis. Situs castri hujus, rupem magnam partem abruptam obtinentis, lætissimus est, quod oppidum, amnem, prata, novales, vicos, vineta, fylvas, colles, montes, ac in his famigeratissimum Zoborensem habeat in conspectu. Celebrem fecisse hunc montem memoratur idem Rex piissimus, constructo in honorem S. Hyppoliti Martyris Benedictinæ Familiæ Cænobio, cui primus præfuit, Abbatibus munere, Philippus, teste Samuele Timon. Diu post cladem Mohacsianam carebat incolis sacrum opus; donec sub exitum sæculi superioris ad Carmaldulenses transferretur pia largitate Antistitis Blasii Jaklin; conferente sumptuum partem Nicolao ejus Fratruere. Illustrem eundem montem reddidit Zoëardus, seu Andreas, natione Polonus, professione Eremita, dum ejus solitudinem sanctis operibus, atque adeo miraculis impleret, primis Christianæ

Hungariæ annis. Discipulum, ac inusitata austeritatis æmulum habebat S. Benedictum, e Dalmatia oriundum, a latronibus non procul Trenchinio (ubi stat dicata utriusque hujus sancti honoribus Abbatia de Rupibus Szkal-ka) peremptum, ac ob severissimum potius vitæ genus, quod sponte confectabatur, quam illatam a nefariis, fors assium aliquot causâ necem, Martyrum catalogo insertum.

§. III.

De Episcopatu, Capitulo, Diœcesi, & Cathedrali Templo NITRIENSI.

JAM quarto Christiano sæculo diffusâ fuisse per Pannonias Catholica sacra, atque adeo constitutum NITRIÆ Episcopium, habeo, unde affirmem. Etenim Piligrinus, Lauriacensis Archi-Præful zelantissimus, datis ad Benedictum Papam V. literis inter alia inferuit: „ Visum est, jam „ necessarium esse, ut Sanctitas vestra illic (in Pannonia) aliquot jubeat „ ordinari Episcopos; quia & quondam Romanorum, Gepidarumque tem- „ pore proprios septem Episcopos eadem orientalis Pannonia habuit, & „ Mœsia, meæ Lauriacensi Ecclesiæ subiectas. „ Jam vero ætate supra nota- „ tata in Pannonias Dominatum exercuisse Romanos, Gepidasque, cum ex „ aliorum scriptis, tum e Patrii Chronologi, cui Joannis Thuroczii nomen „ præfigitur, condiscimus. Quomodo enim Ardaricus, Gepidarum Rex fa- „ mosissimus, atque cum eo cæteri, bellica virtute præstantes, Regi Attilæ, „ Pannonias subigenti se in servitutem pariter, ac in societatem belli sponte „ dedidissent, nisi tunc Regiones illas obtinuissent? De Romanis exploratius „ est, quam ut addi quidquam necesse sit. Pannoniarum porro nomine apud „ S. Piligrinum non citeriores duntaxat, verum posteriores quoque Danubii „ plagas venisse, suadet opinari Benedicti Papæ responsum. Is enim motam „ tunc de finibus Diœcesium Lauriacensis, & Salisburgensis controversiam ita „ diremit, ut huic superiorem Pannoniam, Lauriacensi inferiorem cum Mœ- „ sia, & Mœravia (cujus diu Regia, Metropolisque erat NITRIA) attribueret. „ Conficio ista firmius e querelis Moguntini Juvascensis, & plurium Bavarorum „ Antistitum ad Joannem Papam IX. missis, quas Tom. III. pag. 886. „ Doctrinæ, ac Disciplinæ Ecclesiæ Ludov. Du-Mesnil hunc in modum ex- „ ponit:

ponit: „ Theotmarus, Juvascensis Archi-Episcopus, ejusque Suffraganei
 „ suis pariter Epistolis apud Papam exposularunt, quod Moravi, prius
 „ Pataviensi Episcopo subjecti, nunc proprium ARCHI-EPISCOPUM
 „ NITRIÆ consistentem, & tres Episcopos haberent, quos ipse miserat. --
 „ Hungarorum invasione postea extincti sunt hi Sclavorum novi Episco-
 „ patus. „ Hæc ad annum DCCCC. Ludovicus ille. Altius retrudit
 Episcopii NITRIENSIS natalem eruditus Vir P. Martinus Welehradensis
 in Moravia Monachus, puta ad annum æræ Christianæ CCCXCVI. quo
 Frigidilla, Rosemundi Regis Moravorum conjux, postquam sacros cineres
 Divi Ambrosii Mediolanensis Archi-Episcopi (a quo per specialem cateche-
 ticam instructionem Catholicam fidem edocta fuerat) non absque amaris
 lacrymis Mediolani venerata fuisset, domum redux varios Episcopatus in-
 stituit, imprimis Olomucensem, tunc Julio - Montanum, & NITRIEN-
 SEM, datis utrique Præsulibus; priori quidem Fretella, posteriori vero Sun-
 nia, ambobus Mediolanensis illius sanctissimi Antistitis discipulis. Viri hi
 eruditionis exquisitæ, & Græci etiam sermonis periti, ubi Pfallterii Davidici
 codicem a LXX. Interpretibus Græce, Latine autem a S. Hieronymo
 redditum acceperant, & quandam in eodem a Græca vulgari versione di-
 versitatem animadvertissent; ipsum sanctum Doctorem consulendum sta-
 tuerunt. Is in responsione ad eos per firmum Presbyterum transmissa in
 hæc verba exorsus legitur Tom. I. pag. 316. Epist. N. CXV. „ Hierony-
 „ mus Sunniæ, & Fretellæ. Vere in vobis Apostolicus, & Propheticus
 „ sermo completus est: in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines
 „ orbis terræ verba eorum. Quis hoc crederet, ut barbaræ Getarum lin-
 „ gua Hebraicam quæreret veritatem, & dormitantibus, imo contemnen-
 „ tibus Græcis, ipsa Germania Spiritus Sancti eloquia quæreret &c., Quod
 Successores horum attinet, etsi fateri oportet, multum Ecclesias has perpeffas
 ab Attila fuisse; non defuere tamen, saltem subinde, sub Regibus Moraviæ
 Antistites, qui utrique præessent. Patet id Epistola Eugenii II. Papæ ad
 Alevium, NITRAVIENSIS Ecclesiæ, aliosque Præsules, quæ habetur
 apud Thomam Pessinam in Marte Moravico. Evectus ad Cathedram
 ejusdem Ecclesiæ reperitur etiam Alchunius, sive Albinus anno Christi
 DCCCXXV. cujus successor Wichingus quinquagesimo quinto post anno
 ad Joannem VIII. Romanorum Pontificem a Svetoplugo missus est, atque

a prædicto Papa consecratus. Sed & Methodii, ac Cyrilli sub adventum (quem Bollandus cum aliis refert ad annum salutis DCCCLV.) Ecclesie NITRIENSI suum non defuisse Episcopum rationi admodum consonum est; præsertim si Patri Christiano Hirsmentzel assentiri libeat, S. Cyrillum postquam a Nicolao I. Papa Archi-Episcopali dignitate auctus est, Welehradensem B. V. M. Basilicam in totius Moravici Regni Metropolitanam evexisse, in ejusque suffraganeis NITRIENSEM Episcopum censum fuisse. Ad conjecturas istam ego opinionem tamdiu relegendam existimabo, quum vetustiore quodam e documento firmior fides adstruatur. Diocletianis perinde sententiam rejicio, qua Swatoplugum alias Sventopulchrum, & Svetopelekum, Porphyrogenito Sventoplocum (ad quem venire ab Joanne Papa VIII. responsoriae per Legatos reduces, in quibus fit mentio Wichingi NITRIENSIS Episcopi) confundit cum Svetopeleko, Dalmatiae Rege, Budimiro etiam dicto; cujus filius S. Cyrillus, Slavicarum gentium Apostolus, idem fuit cum Constantino, quem sacras literas latinitate donasse ajunt cum cæteris eruditis Hagiographi Belgæ ad IX. Martii. Haud planiora sunt cætera, quæ controversi solent de hoc Episcopio. Nam nec Gyselem, alteram S. Stephani conjugem, Templi Cathedralis, Divo Emmeramo sacri, fundatricem omnes agnoscunt; nec annum, quo veterrimæ fedi a sanctissimo Rege restitutus est honor ille, definit ullus; nec deinde, quibus temporum injuriis in collegiatam abierit, ut a Geyfa II. novis aucta fortunis tertium in Cathedralem sublimaretur, addito XII. Canonorum Collegio annum circiter MCL. notant Scriptores; nec demum, quibus eo ab Rege prædiis locupletata sit, extra litem est. Equidem legisse me non diffiteor, assensu Alexandri Papæ VI. annum circiter MD. Dömösiensem Præposituram in jura NITRIENSIS Ecclesie transiisse, eo quod ab ea fuerit alienatum oppidum Bitse, & castrum Hricho; verum ex hoc ut non inficete statuas, ampla illa dominia non fuisse a Reparatore S. Stephano transcripta in dotem Episcopatus nostri (secus enim non pervideo, quo jure detrahi illi potuissent;) poterant nihilominus alterius a Geyfa beneficium esse. Sed hæc ad Tabularium rejicienda. Propius institutum nostrum esset Syllabum Antistitum laudatissimæ sedis attexere; nisi istud egregie præstitisset P. Martinus Szent-Ivanyus, & ex eo recentiores. Ebrandi (alii Edvardum legunt) & Bezterti, seu Biztricii non meminisse non possum.

Prior

Prior agmen ducit succedentium sibi absque notabili lacuna Præfulum ab ætate Geysæ, quem dicebam II. alter socius erat Martyrii Divo Gerardo, cujus facta est mentio in descriptione Budæ. Diœcesim, ac principem sancti Emmerami Basilicam quod attinet; illa parte Comitatus NITRIENSIS, ac toto Trenchiniensi diffunditur, Paræcis, hercle, si quæ alia, referta doctissimis; Emmeramianum vero Delubrum cum jam ante dives esset Sanctorum Andreae, & Benedicti ossibus, (quæ pretioso sepulchro, anathematis, ornatu reliquo spoliavit Matthæus Trenchiniensis) Altari marmoreo, S. Annæ posito, adornavit Georgius Szelepchénius; Adamus autem Erdödius, Præsul pientissimus, universum Basilice percoluit ad genium sæculi hujus. Ejusdem potissime sumptu assurrexit Prætorium Episcopale, quod fere cum Cathedrali Templo, & Præfidiariorum ædiculis implet arcem; cujus jam non vacat fata retexere, videnda apud Bonfinium Dec. II. Lib. I. & IV. Dec. IV. Lib. III. Dec. V. apud Istvanffium Lib. XII. & XXXIV. Francisc. Kazy Histor. Reg. Hung. Lib. III. Histor. Leop. M. Lib. II. apud Ortel P. II. &c.

§. IV.

De Civitate SZAKOLCZENSI.

SZAKOLCZA sola est in latissime diffusa NITRIENSI Provincia, quam Liberæ, Regiæque Civitatis dignitas ornat. Accubat extremo Hungariæ limiti, ubi Moraviam contingit. Constructa est super petra, quam Slavi szkala dicunt, unde in urbem nomenclatio SZKALICZA, & SZAKOLCZA fluxit. Plerique ejus auctorem faciunt Belam cæcum; ego vero propius eos accedere existimo, qui Regis istius gratias auctam ajunt. Extorquet hanc opinionem Paræcialis Templi, S. Michaëli Archangelo dedicati ætas, ad annum MXXI. complurium Scriptorum asseveratione retrusa; quod cum amplissimum sit, argumento est, frequentem loci populum ipso S. Stephano Rege, accipere solitum fuisse. Eruit conditorem ejus, nescio quibus e scrutis, princeps ille Hungaricorum Veteramentariorum, ac reconditoris eruditionis Pater Samuel Timon, aitque: JOANNI DE PRURIS nomen fuisse, cum professione vinitoræ esset. Confecratum est ritu Catholico Anno MDCXXXI. vocale autem redditum augustæ molis organo, munificentia Ferdinandi II. dum

SZA.

SZAKOLCZAM iustraret, ac militem in Civitatis hujus agro collectum. Sunt præter hanc illustrem Basilicam, quatuor aliæ Religiosorum Asceteriis adhærentes, Xaverianum Patrum Societatis JESU, beneficio Georgii Szelephény inductorum anno MDCLIX. Donatum iis erat Templum, a Lutheranis ædificatum, & Anno MDCLXXII. honori Sanctissimæ Trinitatis dedicatum, quod, una cum Rabularum vicinis ædibus subinde concessum est Carmelitis, postquam hos Szakolcza donasset anno MDCXCIX. Leopoldus Cardin. a Kollonitz. Claret in hoc Fano miraculis Imago B. V. M. At Paulini jam inde a suo in Urbem hanc ingressu anno videlicet MDCLXXI. accolunt ædem sanctissimo Patrono suo adornatam, quæ a Calvinianis exædificata erat. Denique Seraphici Patris filii nuncupatum de compassione B. V. M. Fanum sacris religionibus implent, quod eorum pietati aperuit potissimum gens Kropaciorum, Czoboriorum, & Joannis Taresai, sæculi XV. anno supra sexagesimum septimo. Quod ad reliquum Civitatis ornatum attinet, ineunte, quod vivimus, sæculo Syndicum SZAKOLCZA habuit, virum doctrina clarissimum, cum primisque Mathematica scientia excultum, cujus eruditæ lucubrationes in Academica Tyrnaviensi S. J. Bibliotheca asservari dicuntur, dignæ, quæ lucem publicam aspiciant; Joannem Rakolupfzkium appellat P. Martinus Szent-Ivani Miscell. Dec. II. Parte I. & meritis laudibus effert. Cæteri quoque Cives commendationem ab insigni humanitate, politissima dialecto Slavica, familiari consuetudine habent. Territorium ab ortu in meridiem affurgit in colles vitiferos, vitreis fontibus irriguos, ubi etiam insignes latomix visuntur; a septentrione ad occasum diffunditur in campos, propter Moravæ ripas exquisitissimis arboribus confitos. Qua usi sint fortuna SZAKOLCZENSES, Ottocaro Bohemo fines Hungariæ infestante, Matthæo item Trenchiniensi, tyrannidem exercente, aut Giscra, Hussitis, Pancratio, Comaromuciove latrocinantibus, vel demum Botskaiana, Bethleniana, Tököliana, & Rakocziana seditione, damnis Posoniensium, Tyrnaviensium, cæterorumque, ad quos ex tempestates pertinuerunt, metiri licet. Infesta dum esset a Borussi copiarum X. millibus anno MDCCXLI. vix XXIV. horis, nihil admodum hostile experta est. Num ante Hussitarum tempora fuerit muris cincta SZAKOLCZA, non est mihi integrum adstruere; & anno MCCCCXXXV. sua sollicitudine ejus munitionem complexum esse Sigismundum Regem, in Tabulas relatam est.

§. V.

De ERSEK-UJVARINO.

QUOD Latinis nova Arx Archi-Episcopalis, idem Hungaris ERSEK-UJVARUM est. Sortitur hoc, ad omnem Architectonicæ militaris amuffim exactum castrum appellationem istam, quod in ditone Metropolitanæ Strigonienfis constructum, ejusque Sedis Præfulum ære potiffimum convaluerit. Dissident Scriptorum de ejus conditore. Paulus Gregoriancich Oláh-Ujvarum a Nicolao Olaho, primo fortiffimæ arcis molitore, vocatum asserit; quam gloriam Istvanffius Lib. XIX. Histor. Oláhi decessori Vardano affirmat ex vero. Tenuia horum erant tantæ molis initia, nec ultra vallos, terrea propugnacula, ac immiffas amnis Nitræ intra fossam aquas procefferant, dum Draskovitfii Primatis quinquaginta admodum florenûm Hungaricorum millibus adjunctæ operæ collapsos aggeres reparassent; Lippaius vero muros prævalidos adjecisset. Meminit hujus Lippaianæ in Patriam pietatis P. Martinus Szent-Ivanus, quin universum quoque Regnum in comitiis anni MDCLIV. Artic. V. non sine præclaro laudatiffimi Archi-Præfulis encomio: „ Siquidem, verba sunt ordinum, Dominus „ Archi-Episcopus cum æterna sui, totiusque Familiæ suæ memoria reale „ fortalium ERSEK-UJVARIENSE muro circum circa cingendum non „ modo in se assumpsisset, verum etiam feliciter inchoatum operosius con- „ tinuaret (quem ejus erga nationem Hungaricam, proprio motu, & sin- „ gulari affectu declaratum amorem, & gratificandi liberalitatem, Status, „ & Ordines cum debita gratiarum actione recognoscunt, ac ad posterita- „ tem futuris semper temporibus recognoscendam præfenti statuto trans- „ mittunt) pecunia illa (puta Draskovitfiana) ad fossatum ejusdem For- „ talitii expurgandum convertatur. „ Insignis hæc Regni laudatio, quam munificentissimo Præfuli adornat, merito criminatibus illis os oppilat, qui culpam allinere veriti non sunt tanto Antistiti, quasi ejus neglectu, & nescio, quo æris Draskovitfiani alios in usus conversi, peculatus crimine munimentum hoc in hostium potestatem venisset anno MDCLXIII. Deputo tam luculenta testificatione convitio a præcipuo conditore UJVARINI, arcis hujus fortunam relegamus. Nondum cincta muris erat, cum tumultuante Botskaio a Kalendis Augusti ad XXI. Octobris anni MDCV. gra-

vissimam obsidionem sustinuit ; accepta tandem in fidem a Valentino Homonnaio , summo Botskaianarum copiarum Duce , latura jugum seditiosum ad anni MDCVII. diem XI. Februarii ; quo e Tabulis Viennensis fæderis reddita est vero Regi. Sed detracta rursus illi est per Bethlenianos, anno MDCXIX. die XXIX. Septembris, proditione præfidiariorum, qui Præfectum Petrum Koharium in vincula coniecerunt, diuturnis carceribus Caslovizæ macerandum , atque munitissimum castrum, nullam vim experti, Szétfio, Bethlenianorum procurtori haud ignavo dederunt. Luxit seditiosorum arx pressa mancipatu, ingenti apparatu nequicquam repetita per Bucquoium, dum tempestas illa, composita pace, posuisset. Acerba hæc utraque servitus multo minor est illa, quam subiit anno MDCLXIII. die XXVII. a Turcis infessa ; quos prævalida statione hac post XL. dierum obsidionem depulit Cæsareus Polemarchus Caprara anno MDCLXXXV. Postremo in deditionem Rakoczianorum venit anno MDCCIV. a quibus triennali opera longe validissimis munitionibus aucta est ; quibus tamen depulsi sunt die XXIII. Septembris anno MDCCIX. (alii notant diem XXIV. ejusdem mensis, sed anni sequentis) *male contenti*, ipsaque arx imperio Caroli Augusti ad imum rasa est, anno MDCCXIV. relictis oppido veteribus prærogativis.

§. VI.

De Castro LEOPOLDINO.

Blenio post infessum per Turcas Ujvarinum, id est, anno MDCLXV. jecit Leopoldus M. cognominis castri fundamenta, insigni artificum, qui operis præerant, contentione sequentibus annis aliquot consummandi, ut esset arx subjugata per tyrannum æmula ; qua saluti civium consuli posset. Surrexit in adversa Galgoczio Vagi ripa, loco plano, ac uliginoso sub latitudinis gradu 48. cum min. 41. longitudinis gradu 41. cum min. 42. Hexagonam refert figuram, a totidem propugnaculis, ad omnem militaris Architectonicæ amussim exactis ; quibus duplici ferie valla, fossæ, scaturientibus aquis plenæ, ac loricæ prætenduntur, ut moles totam referat Palnam Novam, quam anno MDXCIII. Ciconia Venetorum Dux adornarat. Accedit ad arcis munitionem plurimum momenti ab amne Vago, facile cæterorum in Hungaria rapacissimo, qui ternis fere vicibus, incertoque tempore

pore sese quot annis in circumjacentes plagas late diffundit, atque ita a mœnibus hostem depellere consuevit. Intra muros habet sacram ædem, ac ternos, qui Divinis procurant præsidium, de Societate JESU Sacerdotes; geminum armamentarium; insignem prorsus domum annonariam; cæteraque omnia, quorum est validissimis in arcibus usus. Vix dum convalescerat, & bis grassantium Tökölianorum obsidionem irritam fecit. Tentata a Rakocziis quoque est; sed iis prorsus inauspicato fidere. Cinxerant illam plusquam XL. non male armatorum millibus. In longum protrahi obsidionem, ac temporis fieri jacturam inde, quod commeatus quoties liberet, inferrent Germani, cum notassent; Herbevillæo, Cæsarianarum copiarum Præfecto, annonam promoventi, male facere decreverunt die XXI. Augusti, anno MDCCV. qui laceffitus instructis ordinibus invehitur in obsessores, multos cædit, reliquos dissipat, atque in spoliis XXX. murales machinas, XL. signa militaria, & magnum castrensem apparatus, accipit. Castro LEOPOLDINO assedit oppidulum, conflatum ex operis, quæ merebant, dum castrum assurgeret. Pertinet ad Galgocziensem dominatum; Parochosque habet, qui LEOPOLDOPOLI rem Divinam faciunt.

§. VII.

De Arcibus BERENTS, BODOK, GHYMES,
JOKÖ, KESSELÖKÖ, KORLATKÖ,
AC TEMETVÉN.

PRisci operis Arx BERENTSIA hæredium est Nyariorum Comitum, bellica virtute inclytorum. Præalti montis jugum occupat, eratque commune refugium vicinæ Nobilitatis, seu Bohemi (est enim in plaga Szakolczeni, adeoque Moraviæ e propinquo objecta) seu Tartari, Turcæ, aut seditiosi Regnum tumultibus inquietarent. Multum hac ætate negligitur, nec lentis passibus vergit in ruinam. Non eadem conditio KORLATKÖIENSIS Castri; nam hodie dum a domestico custoditur satellitio, veteremque, non omnino incultum, retinet conclavium nitorem, occidentali, eique petroso, ac abrupto Alborum (quos ita a candicantibus arenis, in colles, ventorum vi, congestis, vocamus) montium lateri adhærens, situ amœnissimum, ortu nobilissimæ, patriisque in fastis laudatissimæ Korlat-

köiorum de Laps profapiæ decantatum. Tertia, quam hoc §. complectimur; Arx BODOKINA, jure æterno ad Berényios Comites spectat. Lætissimam illam ac primis Hungariæ accensendam Nitriensium vallem, qua spectat septentrionem, terminat, nec tam munitione, quam amplitudine, cum primis vero agri fertilitate, ac Dominæ suæ gentis Berenyiæ prærogativis ornatur. BODOKINO succedat GHYMESUM, vetustissimi Forgachiorum Comitum stemmatis hæredium, ob illustria bellis facinora non uno Regum Diplomate præclarissimis Heroibus affirmatum. Andreas Comes de Bánya, qui primus hoc nomen, quin cognomen quoque Forgachii Hunt Paznanianæ Genti, ipsis S. Stephani Regis temporibus inclytæ, intulit, arcem condidit, post infelicem Belæ IV. ad Sajonem fluvium pugnam cum Tartaris commissam, cui interfuit, Regique equum suum, quo præsentem interitum devitaret, obtulit, ac Turocense Castrum, Regiæ habitationi construxit, de qua suo loco. GHYMESUM insidet præalto petroso, ac difficilis aditus monti, Nitria inter septentrionem ac ortum solido milliari disjuncto. Est in deliciis Excellentissimo, ac Reverendissimo Domino Episcopo Varadinensi Paulo hujus nominis V. Comiti Forgachio, Inclytæ domus natu maximo, a quo non profano ornatu solum, sed religionibus etiam plurimum augetur. Certe S. Patriarchæ Ignatii (cui sacellum arcis sacrum est) nusquam pari magnificentia, ac pietate cultus viget, insigni animorum commodo, ac pientissimi Heri æmulatione digno ad alios exemplo. Quintum inter hic memoranda est JOKÖIENSE (Boni Lapidis) Castrum; subtus quod, in edito petroso monte eminens, fons est fluvii Blawæ, quem a multis opportunitatibus Bonam Aquam Slavi vocant. Situs perinde huic, ut superioribus, commendationem conciliat; ditio deinde, ac benignitas cœli. Iisdem naturæ gratis instructum quondam erat KESSELÖ-KÖIENSE (id est Vulturum Lapidis) castrum, Georgio Maythénio, dum amplissimo suo stemmati Baronum titulos infereret, a Ferdinando II, in præmium clarissimæ virtutis bellicæ collatum Anno MDCXXXI. die XXIV. Julii. Postrema, quam hoc loco attingimus, arx TEMETVÉNYIA præalti montis lateri & ipsa adædificata, vico Lucensi impendet, facile quatuor milliariibus Galgoczio in septentrionem retrusa. Prisci ritus substructiones ætatem loquuntur, vel in rudere. Cum per ampla ditione jure hæreditario spectat ad avitam Csákyorum Comitum, ac Sandorianam familiam.

§. VIII.

§. VIII.

De oppido & arce GALGOCZIENSI, ac SCHEMPTENSI.

GALGOCZIUM alii a Galoczis (Salmones eo vocabulo notant Hungari) interdum in Vago, cui hæc arx impendet, piscatu apprehensis; alii a Scythica, nescio qua voce, liberam civitatem exprimente, derivant, quibus Germanica appellatio oppidi Freyftadl respondet. Longius recedendo, Joan. Thuroczius, de Golgathæo monte eandem nomenclationem adsciscens, cujus adeo frivola videtur esse conjectura, ut indignam putem in cujus approbatione opera locetur. Abruptis de voce litibus, oppidum incolarum frequentia, arte coquendi panis, mercatus celebritate, ac vetustate se commendat. Sedem hic olim posuisse Lehelem, unum e septem Hungarorum Ducibus, has in oras altero (tertium nonnulli dicunt) suis e sedibus egressu delatis, recepta utcunque sententia est. De arcis natalibus variant Scriptores. Quibus arridet Bonfinii Dec. III. Lib. IX. Chronologia, Castrum a Bohemis primo sæculi XIV. anno conditum volunt; qui vero plus a populari plausu, quam veritate laudum accersunt, ad ætatem Lehelicum oppidi ortu castri quoque constructionem retrudunt; multum de literatis meritori, si, quod fidentius asseverant, aliquo vetustatis indicio fulciant; prout fulcitur antiquitas oppidi eminente colosso, quem Lehelo excitatum esse in tumulum, hodie in foro visendum, majorum traditione habemus. Parebat post Matthæum Trenchiniensem primum Ujlakiis, mox Turzonibus; inde Forgachiis; jam Illustri Comitum Erdödianorum Genti. Nicolao Ujlak Comiti de Chelchok anno MCCCCLXV. annuit Paulus Papa, ut GALGOCZENSE omnium Sanctorum Sacellum transcriberet Patribus Franciscanis, ac cænobium adderet in auxilium animarum; quod ratum habuit Joannes Strigonienfis Primas; ut proinde immori oportuerit pio operi Nicolaum, si Alexius Turzo dignitatem Fundatoris jure sustinet. Amplius quiddam molitus est, perfecitque feliciter ardor propagandæ divinæ fidei, quo inclaruit Excellentissimus D. C. Georgius Erdödy. Cum enim a primis adeptæ ditionis amplissimæ diebus nihil haberet antiquius, quam videre universam veræ fidei auctoritatem, affectus id est non minore tot millium animarum, cælo assertarum commodo, quam immortalis nominis sui gloria, dignoque, quod universi sequantur exemplo.

Duobus, secundo Vago, milliariibus divellitur Galgoczio castrum & oppidum SCHINTAVIENSE, five SCHEMPTE, quod ob vicinum Seredinenſe oppidum ſæpe vocari audias arcem Seredinenſem; cum tamen oppidum hoc Poſoniensî Provinciæ ſit adſcriptum, arx Nitrienſi. Idoneus eſt caſtri poſitus deſenſioni, ob allambentem prope mœnia vagum. Accelſit artis ingenium, præſertim ab anno MDCLXIV. poſt ſubactum a Turca Ujvarinum, ut ſæpius ſeditioſorum, barbarorumque obſidentium ludere conatus poſſet, quod jam percenſere non vacat; uti neque natales recognoſcere, cum, ultra Belæ IV. tempora nullo, quod in meam venerit conſcientiam, documento retrudatur.

§. IX.

De BAJMOCZENSI, ac CSEJTHEſI oppidis & caſtris.

VENUſtiſſimis, & habitatu percommo- diſſimis Arcibus Hungariæ accenſenda eſt BAJMOCZENSIS, hypocauſtis, conclavibus, tricliniis, cæteris ad luxum inſtructa. Priſcis temporibus, Regibus parebat, tum in Gelathi Bani, mox Nicolai, & Joannis Czachafiorum, deinde Ladislai Ducis de Opolia, Regni Palatini, poſt Leuſtachii de Ilſva, ejuſque filiorum Georgii, & Petri, deinceps in Onuphrii de Bajmocz ditio- nes tranſiit; quo cum filiis tribus, nullo relicto hærede, diem ſuum obeunte, rediit caſtrum ad Regem Corvinum, ab hoc ad *naturalem ejus* filium Joannem, ſubinde ad Zapolyanos, quibus per Ferdinandum I. ereptum eſt, ac in Turzones tranſlatum; His denique extinctis anno MDCXXXVII. Paulo Comiti Pálffy ſummo Hungariæ Regiæ Quæſturæ Præfecto inſcriptum eſt cum tota ſubjecta ditio- ne jure hypothecario, quod in hæreditarium tranſiit anno MDCCXXVI. grandia Pro-Regis Nicolai, ac tunc Bani Croatiae, jam Palatini Joannis merita præmiante Carolo Rege. Latiffimus poſitus ac in omnem late Regionem proſpectus, facellum perelegans, amplitudo (totidem enim fenestris in prætorium hoc lux immittitur, quot diebus in orbem ſol redit) ſubjecti horti, pretium ædi nobiliſſimæ faciunt. Accedit muro cinctum ejuſdem nominis oppidum, in quo floret S. Antonii Abbatis locuples Præpoſitura Illuſtriſſimo D. Ladislao L. B. Majtheny de Keſſelökö Ab-
bati

bati de Tereske subiecta hodie; balneæ denique perquam salubres, quarum culturam Wernherus attribuit Alexio Turzony. Recedit Nitria large ad-
mensis sex milliaribus in septentrionem, ortum versus declinantem; ut
non immerito sphalma irrepsisse in eorum scripta existimes, qui propinquas
esse duas has arces literis mandarunt.

Haud paulo minore ornatu superbit arx, & oppidum CSEJTHEN-
SE milliari non maximo sepositum Vágh-Ujhelino ad meridiem. Arci,
collem non ardui ascensus occupanti, subjacet oppidum; cuius territorium
non Cereri magis, quam Baccho amicum est. Castri fabrica remotiorum
fæculorum architectos prodit; ad cuius annosam ætatem confert, quod
Corvino rerum potiunte præsidio digna visa sit, quo grassationes Bohemo-
rum cohiberentur. Dedit eadem hospitium subterraneo in carcere flagitio-
sissimo mortalium Swehlæ; cuius, suamet indagine capti hostoriam refert
Bonfinius Decad. IV. Lib. I. non illepide. Pars ditionis in Erdödianorum
Comitum hæreditatem transit anno MDCCI. CCX. millium florenorum
ac D. aureorum præsentato per Christophorum Antonium ære; pars a For-
gachiis, ac Révaiis materno jure, eoque perinde perpetuo possidetur.

§. X.

De HOLITSIO, ac SASTHINIO.

PRæcipua Szakolczenfis plagæ ornamenta, nostra potissimum ætate, sunt
HOLITSIUM, ac SAS-VÁRUM, sua utrique arx adjacet, sua
utrumque castrum decora honestant. HOLITSIUM præter pulcherrimas
artificum, Nobilium, Ministrorumque Cæsareorum ædes, eam arci suæ,
cum annexis latifundiis de potestate creditorum Czoborianorum vindicatæ,
ac juribus Augustissimi Romanorum Imperatoris Francisci I. assertæ, ele-
gantiam inductam demiratur, qua pro dignitate Monarcham illum, cum
Augusta conjugæ hospitio accipere queat. Accessit non modicum arci mu-
nitionis & quidquid oblectandis Majestatis deservit.

Parcius hæc admetitur SAS-VÁRUM (Slavis SASTINIUM) op-
pidum nec angustum, nec nimis laxum; commodam tamen habitationem
in arce præbet & ipsum, Hero Monarchæ. Celebrius, ultra, quam dici
queat, evasit a tribus Iustis, Thaumaturgo Dolorosæ Virginis Matris Si-
mulacro, cuius Historiam ad fidem libri, qui Novum Hungariæ Sydus in-

scri-

scribitur, compendio damus. Agebatur annus sæculi XVI. supra sexagesimum quartus, quum SAS-VÁRI rerum potiretur C. Emericus Czobor, opibus non minus, quam clientelis, ac dignitatibus illustris. Junxerat is matrimonio sibi Angelinam Pauli Bakitfii, virtute bellica in paucis clari Herois filiam, Heroinam lectissimam. Accidit aliquando, ut æger animo Emericus Angelinam, secum vectam pilento juberet excendere, eo prorsus loco, qui jam innumeris inclaruit de cœlo signis. Angelina, quo iram offendit conjugis leniret, imperata facit, utque acerbissimo vulnere medicinam parat, cœlo mentem affigit; Dolorum Matri supplex accidit; DEO votum facit: Iconem se erecturam eidem Dolorosæ Virgini, si virum iram defereret, neu ipsa, propudiosè ejecta, despiciatui subditis esset, ope Genitricis sanctissimæ impetraret. Vix hæc Angelina conceperat animo; & illico de castro missum herile pilentum, quo revehatur, conspicit; maritum Comitem de voti religione certiolem facit; annuentem habet, simulacrum Matris Virginæ, filium DEUM-Hominem, de cruce depositum, accipientis, de ligno confici jubet; mox trigonæ basi impositum eo loco statuit, ubi summum dõlorem, nuper ejecta pilento, fenserat. Fiebat jam inde comprecantis populi concursus ad sacram imaginem; quæ ne pateret injuriis Turcarum, ac per seditiones publicas furentium hæreticorum, arcis vicinæ facello, S. Emerico, Hungariæ Duci, dedicato, illata fuit. Restituta rursus est primæ stationi per C. Adami Czobor conjugem Excellentissimam Barbaram, e Comitibus Erdödiis oriundam, ac pro innata suæ Geniti pietate colebatur insigni religione; quam non duntaxat universa potentis illius Dynastæ Aula, sed subditi quoque, ac iter illac agentes æmulabantur; quin tamen præter dulcissimum quendam pietatis, ac sacri horroris sensum, animis, ad sacram iconem comprecantium, imprimi solitum, aliquod luculentius prodigium contingeret usque ad annum sæculi hujus circiter decimum; quo nocturnis temporibus sæpe gemitus auditi sunt edi pone sacram statuam; nulla sagacitate comperto, unde promanarent. Inierat hæc inter annus MDCCXVIII. quo phasidum laxata sunt spatia, ut eorum claustris includeretur etiam sacrum Virginis simulacrum, non sine piorum dolore, quod propius advolvi nequirent Matri gratiarum. Sustulit repagulum hoc publica pietas Oppidanorum SASTINIENSIVM anno MDCCXXXII. dum de more ad statuam S. Joannis Nepomuceni, sacra huic Divo luce supplica-

plicationem instituisse Paræcus. Una enim voluntate omnium sepes remotæ sunt; ac insigni animorum, in lacrymas liquefcentium sensu, vetus erga Virginem sanctissimam religio restituta est; quum jam ante non solum compluribus ægris valetudo ope Matris piissimæ reddita fuisset; sed ipsam quoque columnam, quam coronabat Virginæ Parentis Icon, cœlesti fulgore irradiatam non pauci conspexissent. Opinione celerius pervasit horum fama non modo viciniam, sed remotiores quoque Provincias, & ærumnosorum accendit vota, attraxit pias concurrentium populorum supplicationes, consequentibus innumeris morborum variorum curationibus, aliisque prodigiis. E primis facile illud dixerim, quo Josephum Walter, Sacræ Iconi affusum, ac preces fundentem, eadem apertis oculis, severo, minantique vultu ad pœnitentiam adduxit. Luculentius alterum in XII. Kal. Junias horam diei XII. incidit, dum Andrea Fischer, precationi intento, Thaumaturgæ Matris simulacrum composita ad ingentem tristitiam voce sequentia Slavico idiomate verba protulit: DEUS meus! DEUS meus! totus mundus me deseruit! inusitatis hæc, plurimisque aliis cœli favoribus latissime continuo diditis, amplius increvit sacri loci religio; qua, ne quid præter Sanctiones Canonicas ageretur, in disquisitionem adducta, approbataque e præscripto Tridentinæ Synodi, illustribus miraculis, quæ DEUS ad Divinissimæ Parentis preces per Thaumaturgum simulacrum operari dignatus est auctoritate supremi Sacrorum per Hungariam Patris declaratum est: exponendam publicæ venerationi esse Iconem illam Dolorosæ Matris. En ipsum Celsissimi Primatis Diploma:

„ **N**Os Emericus DEI, & Apostolicæ sedis gratia Ecclesiæ Metropolitana-
 „ næ Strigoniensis Archi-Episcopus, S. R. I. Princeps e Comitibus
 „ Efszterházy de Galantha, sacre Sedis Apostolicæ Legatus natus, Regni
 „ Hungariæ Primas, ejusdemque Summus, & Secretarius Cancellarius, Co-
 „ mitatus Strigoniensis supremus Comes, Regiæque Majestatis Actualis In-
 „ timus Status, & Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Consiliarius,
 „ nec non unus e Judicibus Tabulæ Septem-Viralis &c. &c. Memoriam
 „ commendamus, significantes, quibus expedit universis. Quod postea
 „ quam anni currentis 1732. mensibus vernis & æstivis in tantum invaluis-
 „ set pia devotio fidelium populorum erga statuam Beatæ V. M. Dolorosæ
 „ in Capella ad oppidum SASSIN, Comitatus Nitriensis, erecta, situata,

„ ut ex longinquiore Hungariæ, Austriæ, Moraviæ, ac Bohemiæ, vici-
 „ narumque Provinciarum partibus, seu voti exolvendi, seu sanitarum, ac
 „ conversionis, variarumque gratiarum obtinendarum causâ ad eam exami-
 „ na populorum, & processiones confluerint; quin & multos ibidem
 „ votorum suorum compotes, multas, & diversas gratias non absque mira-
 „ culorum speciei interventu obtinuisse, ad Nos usque fama perlatum esset;
 „ ut idcirco Nos, ne muneri Nostro Pastoralis deesse videremur, ex præscri-
 „ pto sacro-sancti Concilii Tridentini. Sess. 25. de Inv. SS. in eam devotionem,
 „ & miraculorum species, quæ patrari ferebantur, penitus inspicere, ac
 „ inquiri facere necessum habuerimus; prout & statuam eandem interea,
 „ donec inquisitio rite perageretur, ad sequestrum locum reponi mandaveri-
 „ mus. Inquisitione omni peracta, & nobis debite hisce diebus repræsen-
 „ tata, constitutionibus ejusdem sacro-sancti Concilii Nosmet accommodan-
 „ tes, adhibitis in Consilium Theologis, & aliis piis viris cum ex Capitulis No-
 „ stris Metropolitano Strigoniensi, & Collegiatis Pofoniensi, tum e sacro
 „ Ordine Crucigerorum de Rubea Stella uno, ex Alma Societate JESU
 „ duobus, ex Seraphico Ordine Reformatorum duobus, ac ex sacra Reli-
 „ gione Capucinatorum duobus, quorum fides, virtus, & scientia Nobis
 „ apprime explorata est, in Curia Archi-Episcopali Pofonii in Libera, Re-
 „ giaque Civitate, anno, ut præfertur currenti 1732. die 15. Octobris, præ-
 „ sidentibus Nobis easdem miraculorum species, gratias, & beneficia, ju-
 „ ratis etiam fassionibus plurium, ac fide dignorum testium, oculatis quo-
 „ que testimoniis firmata, & contestata, sicut & devotionem fidelium jam
 „ usu cæptam, & irradiatam, in maturius examen, & disquisitionem de-
 „ duximus, exauditoque unanimi sensu, voto, & consensu, supra me-
 „ moratorum Theologorum, de quorum fide & pietate, nullus ambigendi
 „ locus, invocato insuper Divino Numine ad majorem DEI summe poten-
 „ tis gloriam, simul Intemeratæ, & Immaculatæ Sanctissimæ Matris Virgi-
 „ nis honorem, eandem statuam Dolorosæ Matris in primævum locum
 „ suum, S. Capellam processionaliter, & debita cum solennitate (cui liben-
 „ ter Nos quoque interessemus, nisi Nos soliti detinerent morbi) exponen-
 „ dam esse duximus, judicavimus, decidimus; cum id & apertæ gratiæ,
 „ & miraculorum species jubeant, & indictam statuam singularis devotio
 „ plebis, imo ipsa sacri Mysterii Dolorum Beatissimæ Matris repræsentatio,

„ ac

„ ac effigies, quamvis præmemoratis prodigiis haud fulciretur, jure sibi
 „ residuarum quoque sacrarum Imaginum more, & exemplo vendicet.
 „ Horum omnium in fidem, & majus robur, ac firmamentum hasce No-
 „ stras, Sigillo Officii Nostri munitas, penesque prædictam Capellam fu-
 „ tura pro memoria servandas, dandas duximus, & concedendas. Poso-
 „ nii ex Curia Nostri Archi-Episcopali die decima octava mensis Octobris
 „ Anno Domini millesimo septingentesimo trigesimo secundo.

Fr. EMERICUS.

Ad Mandatum altæfatæ Celsitudinis.

(L.S.)

JOANNES JELENFFY, E. M. S.
 & ejusdem C. Principis a latere Canonicus,
 ac Consiliarius, Proto-Notarius Apostolicus.

Eadem Marianis amoribus innutritum piissimi Principis pectus agente Pastoralis sollicitudine, quintus Iduum Novembrium dies delectus est, quo (conclusa prius, in morem sacelli contabulatis asseribus trigona illa basi, ac tribus aris instructa) redderetur primæ stationi Virginea statua. Ut editum sparsum est in vulgus, maxima vis populi confluit sub ducentis & amplius vexillis; quam, e Parochiali Templo adfita, Lauretana ædícula, (in hac enim deposita fuit tantisper icon, dum institueretur examen e placitis Canoniarum legum) ad temporaneum Dolorosæ Matris Odæum deduxit Excellentissimus, ac Reverendissimus D. Emericus e Comitibus Eszterháziis Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ tum Canonicus, jam Nitrien- sium Pastor vigilantissimus, Sospitaticis Dominæ effigiem deferentibus sacris populi Curionibus. Finem non assequatur narratio, si percensere velim piissimæ gratiarum Matris exhibita hoc in loco clientibus beneficia. Surdis auditum, visum cæcis, claudis gressum, rationem amentibus, mortuis red- ditam, animam agentibus servatam esse vitam anathemata testantur. Ipso translationis die vi pulveris pyrii discerptæ in mille partes currulis machinæ intra confertam multitudinem excussa tria frustra nemine attacto concide- runt, pyrotechna adeo in medio volitantium tot mortium imbre indemni servato; octavo autem inde in meridiem producto die, adeoque summa in luce posito, tres fulgidissimæ stellæ, sacello, recens constructo, impendere

a plurimis sunt conspectæ. Grande hoc depositum, ac novum Hungariæ Palladium, creditum primum erat oppidi Paræco, dein Religiosis Divi Pauli I. Eremitæ Viris; qui ab anni MDCCXXXIII. die II. Aprilis, Dominicæ Cœnæ sacra, & vastissimam Basilicam, & elegans Cænobium eduxerunt, piorum eleemosynis, ac inter hos cumprimis Metropolitanæ Strigoniensis Emerici largitionibus adjuti, præstoque sunt confluenti populo vota in dies exolventi.

§. XI.

De Oppidis Comitatus NITRIENSIS.

SEX & vicenis ultra jam descripta oppidis interfinguntur CCCC. & eo plures vici Provinciæ NITRIENSIS, castellis autem facile quadragenis. Oppidorum hæc fere sunt nomina: Bajna, Brezova, Ekbel, Komjathi, Kofztolan, Motfonok, Nagy-Tapolcsán, Német-Prona, O-Turá, Perefzlény, Pöstény, Prividia, Radasócz, Radofchin, Sámbokrét, Sandorff, Sellya, Surán, Szabatistium, Szeniczium, Szkacfan, Verbovia, Vitencz, Ujhely, Ujlak, Ürmény. Plerisque horum sua insunt castella, aut castellis supparia Nobilium Prætoria. Suranum, Sellya, & Mocfonokum præsidio quondam tenebantur, ad reprimendas Ujvariensium Turcarum grassationes opportuno. Kofztolanum, arx rapinarum, dum Sæhla duce latrocinaretur degener illa a Bohemorum probitate fæx perditorum, internecone tandem isthic deleta, ut auctor est Bonfinius Decad. IV. Lib. I. Nagy-Tapolcsánum ætate Caroli I. Regis fecisse numerum in Civitatibus Regiis, ex ejus Regis constitutione patet. Sic enim ibi: „ Civitatenses „ dare, & solvere tenentur; videlicet Civitas Trenchinensis decem mar- „ cas; item Civitas de Bách triginta quinque marcas, item Korponja simi- „ liter triginta quinque marcas; item Civitas Barchiensis quindecim marcas; „ & Civitas de Tyrnavia centum marcas; & Civitas de TAPOLCHÁN „ viginti marcas modo prædicto cambire teneantur. „ Hæc ibi. O-Turá deinde Barfonyii morte pro fide obita nobilitata est; Német-Prona, & Prividia industriis opificum; Pöstenum saluberrimis, sed quæ in depressa Vagi ripa diversis identidem locis ortæ subdivales sunt, Balneis; Komjathum Forgachianæ, Ürmenum Hunyadianæ Familiæ sedibus; Vagh-Ujhelyinum vino, cultu civium, veterum Privilegiorum prærogativis (erat enim ætate

Belæ

Belæ IV. oppidum hoc, Villa, & Possessio peculiari jure Regalis) hodierna liberi oppidi gloria, Nobilium ædibus, insigni B. V. M. Præpositura clarescit. Decantato illi Wayvodæ Transylvaniarum Styborio hanc referunt in acceptis plerique. Primis annis eam fuisse Canonicorum Regularium pro explorato est nonnullis. Jam sæcularibus paret Præpositis; quos deligendi quia potestas est penes Beczkoviensis ditionis Heros, de Illustrissimis fere eorum Familiis cooptantur, non minore Ecclesiæ commodo, quam ornamento. Templum Sacerdotii hujus, ac ædes Præpositi ad omnem instructa sunt dignitatem. Illustrat hæc ætate munus hoc amplissimum suis virtutibus Illustrissimus ac Rev. D. C. Antonius Révay de Eadem, Comitatus Turocziensis Comes Perpetuus, Venerabilis Capituli Collegiatæ Ecclesiæ Posoniensis Canonicus, nec non S. Georgii Militis, & Martyris de Szerenes Abbas.

§. XII.

De iis NITRIENSIBUS vicis, qui memoratu dignum quiddam habent.

ARcibus hodie dum nonnulli Provinciæ NITRIENSIS vici ornantur, quos fere jam meminimus; alii vastis reversarum ruinis antiquata decora produnt; non pauci veteribus, novisque castellis superbiunt. Alsó-Rechén, Apony, Berench, Kis-Prona, & Salghó suis mœnibus interdum & numerosiores Turcas arcere poterant; Nitra-Szerdahely famosorum illorum Podmaniczkiorum, dum prædas agerent, præsidio tenebatur; Kolofs, sive Klis primum Bénédictinorum B. V. M. Cænobium, subinde nunc memoratorum Podmaniczkiorum receptaculum lege publica An. MDCXXXV. eversum, jam Sanctimonialibus Posoniensibus, Ordinis Divæ Claræ attributum. Ludanyium quoque Benedictinæ Familiæ Abbatiam SS. Cosmæ & Damiani Martyrum habebat; juris jam est Venerab. Capituli NITRIENSIS ac Templis duobus, Castello uno decorum. Divék-Uj-falú, Raicsán, Kis, & Nagy-Bossány, Koros, Kis-Dovorány, Ocskow, ac Tarnocz cognominum familiarium hærediis, natalibus, Prætoriis glorientur; primus quidem Uj-Falufianorum Baronum ceris; alter a S. Regis Stephani ætate propagati de Bokono Raicsányiorum Prænobilis Stemmatis vetustate, Kurofi-que, Stephanum Regem II. ex urfi unguibus liberantis virtute; tertius Do-

minici potiffimum de Bofsány sub Andrea II. Belli. Ducis heroicis facinoribus. Addi his Elefantum meretur, quod nomen suum ab Elephante perhibetur accepisse. Donarat Colomanno Regi belluarum maximam, Dynastarum nonnemo, cum duobus mauris. Rex, ut extaret memoria muneris, cujus nudum fors nomen tunc norant Majores nostri, donatorem Elephantis gerere cognomen iussit, una cum agro, quem ei laxum attribuit; qui hodie trifariam sectus est, in superioris, inferioris, ac S. Joannis Baptistæ vicis divisus. Postremum occupant Filii S. Pauli I. Eremitæ, cænobio longe amœnissimi positus, nec a censu maligne provisio gaudentes. Succedunt Beliczium, Castello, & salubribus, sed parum calidis, quia frigida scaturigine confusis balneis. WESZTENICZIUM præstantissimo croco, Kofs, Poruba, Tusfina Scultetorum Privilegiis, Tura-Lúka, uti O-Turá Martyrio Barfonii, præsentia Regiæ in Judiciis Locumtenentis, ac Joannis Simonides e S. J. Sacerdotis, odio fidei Catholicæ ab incolis nefarie peremptorum; Jabloncza anno MDCCII. Clade Ricfanii; Kovárczium prædocinio graffatoris Adami famosa. De hoc ita ad annum MDCXLI. Lib. V. Histor. Reg. Hung. P. Francisc. Kazy. „ Ad extremum nocte intempesta in Apponia-
 „ num Castellum, in valle Nitriensi positum effrenatius invasit, prædam-
 „ que vicenis florenûm millibus æstimatam corrasit. Verum omnem,
 „ quam ex ea hauserat voluptatem, vindex armatorum manus opinione citius abripuit. Dum enim æs signatum cyato fors argenteo pariter cum
 „ sociis partiretur, sensit majore vi, cui resistendo non esset, se peti, ut ne
 „ omnia amitteret, spolia ultoribus injuriæ, reliquit. „ Atque hic est decantatus ille prædonum Adamko ductor, cujus occupandi curæ præcipuos quosque Dynastas, Palatinum, Regem ipsum divexarunt. Porro Kovárczium Apponiani fuisse juris indicat secundum tabularia monumentum. Pauli Appony, laudatissimi ea de gente viri, quod in Templo scriptum videtur in hæc verba: „ Spectabilis, ac Magnificus D. PAULUS APPONY,
 „ trium Augustissimorum Imperatorum RUDOLPHI, MATTHIÆ,
 „ FERDINANDI felici sub regimine, præclaris virtutum facinoribus,
 „ Domi, Militiæque, Pacis, ac Bellorum operibus clarus, Cæsareus, ac
 „ Regius Consiliarius, Sacræ Regni Hungariæ Coronæ Conservator,
 „ Decus Familiæ, columen suorum clientum: eorum dolore obiit anno
 „ MDCXXIV. VIII. Septembris ætatis suæ LX. „ Hæc ibi. Nuda nunc
 pro-

profero cæterorum pagorum, castellis ornatorum, nomina: Attrak, Brunocz, Elecske, Jano-Falva, Kis-Báb, Kis-Jác, Kis-Vicfap, Könösd, Krencs, Lakacfy, Lafzkár, Luka, Moravanka, Novák, Radofna, Roman-Falva, Sáfö, Szalakufz, Szeptencz-Ujfalu, Szokolócz, Tararnok, Tükés-Ujfalu, Ugrócz.

CAPUT TERTIUM. DE COMITATU BARSIIENSI.

§. I.

Limites, Fluvii, Partitio, & Supremus Comes Comitatus BARSIIENSIS.



BARSIIENSIS Comitatus, a veteri BARSO dictus, ab orientali latere Hontensi, ab occidentali & septentrionali Nitriensi, nec non Zolienfi, ac Thurocziensi, a meridionali Comaromiensi, Jaurinensique Comitatibus terminatur. Irrigatur omnibus Grano, Zitwa, Nitra, rivisque minoribus; minimum vino, amplius frumento, plurimum Aurariis præstans. In quatuor minores Provinciolas (Processus) Levensem, Kis-Tapolcsánensem, Ofzlanensem, & Verebelyensem dispescitur. BARSUM, Ptolemæi Usceno, sive Uspio respondere nonnulli arbitrantur, quorum tricas jam expedire non vacat. Assatim se castrum hoc vetus, ac civitas olim suismet ornamentis commendabat; cujus opes æstimare licet ex illo Caroli I. tributo, quod cæteras inter Civitates BARCHO (sic enim superiore ætate scribebatur) impositum fuisse retulimus, dum de Nagy-Tapolcsáno ageremus prioris Capituli §. XI. Hoc idem olim Liberum, ac Regium, hac tempestate Levensis ditionis oppidum, Csötörtök-Helyinum quoque appellari notavit suo in scripto, sane perpolito, quod ad nos dedit, ornandæ Patriæ studio flagrans J. BARSIIENSIS Comitatus, intraque pomærium illius Basilicæ prostrare ruderam, quam Templariorum fuisse, habet majorum traditio; illa vero, quæ religionibus frequentatur, ære Nicolai Jaklin e ruinis surrexit. Summo Magistratu Provinciæ hujus fungitur hodie sæpe nobis laudatus Excellentissimus,

simus, ac Illustrissimus D. Comes Georgius Erdödy de Monyorókerék, Montis Claudii, & Comitatus Varasdinensis Perpetuus, BARSIIENSIS vero Supremus Comes, S. C. R. M. Actualis Intimus, & Consilii Regii Locumtenentialis Consiliarius, Cameræ Regiæ Hungariæ Præses, nec non Sacræ Regni Hungariæ Coronæ Conservator, ac Bonorum Arvensium Director.

§. II.

De principe Comitatus BARSIIENSIS, Libera, Regia, Montanaque Civitate CREMNICZIO.

SUGILLAT, nec inficete, Lazium Matthias Belius T. IV. pag. 182. quod a Granniis, Scanzia populis, appellationem CREMNICZIO adsciscat; at ut ipsius Belii conjecturis, a Slavico vocabulo Kramcze CREMNICZIUM procudentis assentiantur alii, perquam vereor. Quidquid ejus sit; Urbs hæc septem Montanarum Metropolis, BARSIIENSEM Comitatum multum ornat, nec solum Hungariam, sed universam Europam metallorum principe auro, a decem (ita missæ ad nos ab Inclyto BARSIIENSI Comitatu CREMNICZIENSIUM literæ) & quod excurrit, sæculis, locupletat. Eruitur porro e terræ visceribus tum minutulas dispersum in particulas, tum (rarius tamen) cum filice, vulgo *Gwartz* in varias, naturæ artificio, ductum formas probe excoctum, atque in lamellas, virgulas, flores, columellarum bases, & capitella duratum. Sex præcipuæ, suis distinctæ nominibus, aperiuntur metallicæ in territorio CREMNICZIENSI venæ, varios mentiente colores gleba. Has inter spem illa metallicis facit, optimam auri, quæ cum albicet, nigricantibus tamen maculis sit aspersa. E centum libris mineræ, probe lotæ, dimidiam, quin integram interdum unciam purissimi auri educi, frequens est. Nostra nos docuit experientia, reperta fuisse anno MDCCXXXIX., & sequente frustula, quibus dissolutis vix quarta pars ponderis in scoriam, atque fumum abiit, reliquæ aurum, modico argento confusum, erant. Ingenua civium confessio, scriptis testata, fidem facit: Terram fere omnem, etiam divalem, CREMNICZIO adsitam, qua meridies, & septentrio urbi nostræ objicitur, aurum continere; sed quia non omnis, quam pes calcat, sumptui fænus reddit, viscera rimanda sunt, e quibus nostra etiam ætate (verba sunt iterum
CREM.

CREMNICZIENSIIUM) adeo divites venæ compertæ sunt, ut centenario erutarum minerarum, mille, & amplius florenorum valor rediret. Et si vero non jugis hæc Numinis largitas affulgebat; curiosi tamen temporum scrutatores comperere: Schemniczium, CREMNICZIUMque toties uberiore cornu ærario Regio Augustæ Domus Aufriacæ nervum ministrasse, quoties belli, aliusve necessitatis usus ferebat; quam piissimi Numinis clementiam hodieque grati veneramur. Olim fodinæ omnes privatos habebant dominos, quos inde Urburarios dicimus, quod Regio ærario dependere certam portionem (quæ Urbura vocatur) fuerint obligati. Reditus hujus pars XLVIII. Regum nostrorum indulto Archi-Episcopo Strigoniensi debebatur, ac Pifeti nomenclatura veniebat; negligentius accurata per privatos res metallica effecerit, ut jure optimo pleræque ad Regium Fiscum devolverentur. Sane in tot capita divisæ sententiæ vix coalituræ erant unquam, ut insanos sæpenumero (qui tamen reapse necessarij sunt) decernerent sumptus ad opus provehendum. Pronum hinc est conjicere: cur nam CREMNICZIUM devehi soleat non modo confusum in ustrinis aurum, & argentum, quo isthic separentur; sed ipsæ interdum mineræ? Quum enim nulla alia Montanarum Civitatum Regiis juribus tot obnoxias habeat sylvas, atque CREMNICZIUM; e rebus utique Regis est, hoc uti compendio, cui privati sæpe contravenirent, suis quisque compendiis inhiantes. Secundum divites auro mineras, eruitur CREMNICZII singulari in fodina vitriolum quoque; cujus usus est in paranda Forti Aqua, separandis, insigni prorsus artificio invicem auro, & argento necessaria. Panditur hæc fodina alta in valle, ubi territorium CREMNICZIENSE in fines Comitatum Nitriensis, Thuroczienfis, & Zolienfis sese insinuat. In montium, vallem hanc cingentium, civitati cohærente clivo eminent arx pervetusta, sacello Divi Andreae religiosa. Traditio est: in tutelam adversus Tartarorum incursiones excitatam primitus fuisse. Urbiculam quod attinet, angusta est, ut in diverbium abierit: singulas ejus domos habere ante fores Templum; nitida tamen, nec solum Cænobio Patrum Strictioris Observantiæ, tribusque sacris ædibus, sed Regiis quoque sat commodis gaudet; Monetaria cum primis, tum Pifetaria Archi-Episcopi Strigoniensis, quam incolebat a Primare constitutus homo probus, cujus muneris erat cavere, nequid adulterati æris signaretur. Pensio, quæ hoc nomine, dabatur ex ærario Regio

(puta totidem grossi, seu minora pondera, quot beſſes, id est, Marcæ Regi obtingebant) Piſetum, ab hoc Piſetarius dicebatur. Complura iſthic ſane viſenda, oſtentantur artificia, ſignando præcipue æri, ac juvandis operis inventa; quæ hac ætate cum ad ſummum educta ſint, ad exteras Aulas, nominatim Ruſſicam CREMNICZIO deducti ſunt artifices, qui parandæ rei nummarie illic præſint. Gaudebat olim ſingulari privilegio una cum reliquis Civitatibus Montanis CREMNICZIUM, quo immunis erat a tributo; hodie contractus eſt in id favor ille, ut a Comitatu ſeparatas cum ſuis carbonariorum, ac lignatorum villis ſubducat rationes, inferendæ in Regium ærarium ſymbolæ ſuæ. Quo prærogativam Metropoleos identidem renovet, quot annis omnibus cæteris comitiola indicit, ut, ſi quæ lites in privatis ſingulorum tribunalibus parum æquis ſententiis compositæ ſint, novo iudicio corrigantur, tumque demum (ſi controverſia ita ferat) ad Perſonalis Præſentiæ Regiæ in Judiciis Locumtenentem deducantur. Qua potiffimum ætate CREMNICZIUM cæteris Civitatibus Montanis præferri, ac ſedes eſſe Regii Ærarii, atque Monetariæ cæperit, dicere non habeo. Eſt enim multo ante Caroli I. regnum floruerit opibus, atque teſtatum Rex ille faciat, ad Regiam CREMNICZIENSEM Cameram ab antiquo pertinuiſſe XII. admodum Hungariæ Cis-Danubianæ Comitatus, ac inſuper nummos percuti fecerit Bela I. his tamen nihil agunt, qui Regum iſtorum temporibus, quibusdam veluti polis prærogativarum CREMNICZIENSIUM natales affigunt. Nam nequid de Cameræ iſthic conſtitutæ ortu, proſus in explorato, affirmem, ipſa Carolini Diplomatis, laxè loquentis, ratio vetat; ſignari autem Bela I. Rege argentum poterat Quinque-Eccleſiis, aut Budæ, ubi perinde primis Hungariæ ſæculis Monetarias Regum fuiſſe, norunt patriarum rerum paulo gnariore. Non prætereundum hoc loco, quod CREMNICZIENSES de collimitanei, ipſorum territorio, pagi agris notant: reperiri nempe in iis plurimorum colorum lapillos adinſtar orientalium, qui Jaspides, Achates, Carneolos, &c. referant. Meminit horum Marſilius quoque in Prodromo ad opus Danubiale, referendo tot colorum originem in ſpirituoſas quasdam mineralium exhalationes, quæ pertuſo telluris cortice illuc ſeſe penetrent, particulas quasdam terreas complectantur, unde naſcatur diverſitas illa colorum. Alio in loco idem Auſtor ait: „ Subtiliſſimi vaporis forma, ſæ-

„ *Gwartz,*

„ *Gwartz*, auri, ac argenti vegetatio conspicitur. Atque interius in vi-
 „ scribus, ubi, secundum rectitudinem lineæ metallicæ, halitus diversi-
 „ mode intrat; matrice insuper foris quadam cœlestis ea aura firmissime
 „ clauditur a metallario saxo *Gwartz*; unde & fibræ, seu filamenta teneræ
 „ herbulæ in morem e tubulis, seu canaliculis suis protenduntur; post-
 „ quam fumi, seu tenuissimi vaporis sub specie, vase illo circulatorio ante
 „ fuerit in gyrum actus &c. „ Hæc e Marfillii, ut aiebam, sententia;
 nam nobis haud paulo alia, de genesi metallorum aridet opinio, quam pro-
 priis experimentis utcunque firmam tenemus.

§. III.

*De UJ-BANYA, altera Comitatus BARSIIENSIS
 Civitate Montana.*

Civitatem Regiam, & Montanam, quam Slavi, Hungarique Novam
 Fodinam dicunt, Germani Regium Montem (Königsberg) vocant.
 Divellitur uno milliari septentrionem versus a vico S. Benedicti, affidetque
 amni Grano. Erat olim in deliciis Mariæ, Ludovici I. filiæ, quæ frequens
 huc itabat. Ditissimas hoc loco superioribus sæculis aurarias fuisse, fasti ipsi
 loquuntur; at qua temporum, aut hominum iniquitate eviluerint, in diversa
 abeunt narrantes. Obrutam subterraneo quodam in specu, verius cunicu-
 lo aurario, convivantium, ac lascivientium facile quadringentorum ex utro-
 que sexu, ac omni ætate turbam, in pœnam bacchantium ibi perditissimo-
 rum mortalium, eoque ex tempore sensim defluxisse opes Civium, ac redi-
 tus fodinæ, in ore vulgi est; at in chartas, ætate nostra vetustiores, rela-
 tum, quod sciam, non item. Quare ut nolim detractum recentissimi cu-
 jusdam Scriptoris fidei, ajo tamen, vero propius esse, quod altiore quo-
 dam impulsa consilio suggerit opinari laudatissima BARSIIENSIS Provin-
 cia, cujus nihil immutatum hic expromimus rescriptum; Ibi: „ UJ-BA-
 „ NYA olim a prædivitibus auri fodinis, & aureæ monæ cusione, cui
 „ corvus rostro annulum tenens, insigne est, celebris, & temporibus Divi
 „ Matthiæ Corvini, ut habet traditio, maxime florens; sed vicissitudine
 „ temporum, & propinquitate fluminis Grani profundiorum puteorum fos-
 „ suram prohibentis, secus omnia submergentis cultura fodinarum inibi diu

„ neglecta erat. Hodie per Excellentissimum D. Comitem Georgium Erdödy (Tit.) Comitatus hujus supremum Comitem, velut Principalem, & septem Montanas Civitates in concreto, nec non alios privatos Urbarios, postliminio quasi resuscitata est, Granusque ingenti sumptu paratum in alveum, medium fere milliare tenentem, deductus, molas, in quibus minera contunditur, & aurum, singulari artificio, eluitur, versat. „
Haftenus ibi.

§. IV.

De Arcibus Comitatus BARSIIENSIS.

Quatuor duntaxat ultra Cremniczensem arces reperio, quibus munitur Comitatus BARSIIENSIS; HRUSSOVIENSEM videlicet, LEVENSEM, REVISTYENSEM, & SAS-KÖIENSEM. HRUSSOVIENSIS, Ujbanya protensis duobus milliariibus in occidentem recedit, naturæ beneficio, non artis ingenio munita, imo jam penitus collabascens. Eadem fortuna impendet REVISTYENSI, ac SAS-KÖIENSI; quarum una quæque accubat Grano vicino jugo, sed prior duobus, altera quatuor milliariibus Regio-Monte sejuncta in septentrionem. Benignior aliquanto fortuna LEVÆ aspiravit, qua stat hodie dum, quamvis multo hominum sanguine cruentata, plurimis assaultibus tentata, deditioibus in fidem accepta, ac vi expugnata, atque adeo munimentis exuta fit per seditiosos Anno MDCCV. Jacet infra Barsum oppidum, a quo Provinciæ nomen esse inditum meminimus, dimidio milliari a septentrione Granum, vitiferos colles a meridie habens in conspectu. Oppidum ejusdem nominis semper claruit illustribus bellica virtute viris, quorum non pauci etiamnum Regia castra sequuntur. Inter complures Heros, quibus amplissima castri ditio successu temporum parebat, Csákii quoque numerantur; quorum beneficis in omne mortalium genus animus LEVÆ diverbio fecit locum. Cum enim horrea LEVENSIA iis rerum potiuntibus paterent omnibus, indeque pabula, stramen, pias tolleret, quisquis vellet; qui non perinde rem suam usui mortalium permittunt, amant dicere: *Nem Csáky Szalmája*, hoc, inquam, aut illud: Non est Csákianum stramen. Ex oppidanis multi adhuc Calvino addicti sunt; qui cum positos a Principe Antonio Eszterházy hereditario suo Hero limites transgressi fuissent, ac labascens oratorium habi-

tis

tis insuper gravissimis inhibitionibus, novis substructionibus fulcirent, nec obscure in seditionem eorum temeritas propenderet; imperio Principis æquatum est solo oratorium. Ausus per eam occasionem fuit unus e pervicatoribus glandem plumbeam e manuarum maiore fistula excutere, designato ad ictum Domini curatore; sed insignem huius zelum protexit DEUS, glandeque illa forte fortuna incurrens primipilorum quidam pertusus corruit. Præter Paræcum Divina in oppido facit Ordo Seraphicus, commodo cænobio, Temploque recens auctus.

§. V.

*De cæteris BARSIIENSIS Comitatus oppidis,
eorumque Castellis.*

NOvem hoc puncto complector oppida: Aranyos-Marothum, Sancti Benedicti, Sanctæ Crucis, Kis-Tapolcsánense, Nagy-Sarloienense, Ofzlanense, Verebelyienense, Welko-Polense, Zarnovienense. MARÓTHUM Slavi Morawetzum dicunt, fors quod colonia quondam Moravorum isthic sedes fixerit. Quando relatum sit inter oppida, ægre conficias; Aureo autem (id enim Aranyos exprimit) cognomen inditum accepit, dum ætate nostra transfret in hæredium Paluskaianorum, quorum ære assurgit egregie. Oppidum S. BENEDICTI initia sua refert ad Geyfam I. qui An. MLXXXV. Magni illius Patriarchæ honoribus Abbatiam condidit, colendamque ejus filii dedit. Obtinet eam V. Archi-Capitulum Strigonienense ab anno MDLXV. quique pro sacro illo Collegio rem isthic familiarem procurat, Præfectus una est Conventui S. Benedicti *de juxta Gron*, & Regni Tabulario, non minus copioso, quam probe ordinato. Fanum, atque adædificatum illi Cænobium, petræ, Grano imminente, impositum, in morem castris munitum fuit. Gloriatur illustre hoc Sacerdotium sacro Cymelio, puta particula telæ, quasi gofypinæ, ex aliquo patientis DEI-Hominis Linteo rescissæ (Sanctæ Veronicæ Sudariolum imperiti vocitant) lytro salutis humanæ præciosissimo Christi Salvatoris sanguine etiamnum rubentis. Inæstimabilem hunc thesaurum dono dederat Benedictinis Patribus Matthias Corvinus; cui debita veneratio cum semper alias, tum cum primis habetur, quando ad positum in adjacente oppido huic colle sumptu Provincia BARSIIEN-

SIS, patienti Servatori facellum, quot annis e voto die III. Maji ad avertendam pestem solenni ritu supplicationes fiunt. Conjungo S. Benedicti Abbatia LEKÉRIENSEM, sanctissimo Servatori dicatam. Obtinebant & hanc olim Benedictini Patres, jam ejus collatio transit in jus Apostolici Regis; cujus dono hac tempestate ministrat redditus Caspari a Germeten, Soproniensi ad S. Crucem Beneficiato. Posuit in Sacerdotio, dum eo potiretur æternam sui memoriam Illustrissimus, ac Rev. D. Joannes Okolicfani, subinde Episcopus Varadinensis, constructo eleganti Templo. S. CRUCIS Fanum perinde affidet amni Grano, sed multum septentrionem versus. Est in ditione Archi-Episcopi Strigonienfis, plurimum attritum intestinis bellis, Tököliana præsertim seditione, dum Wurmio, Cæsarianorum Ductore, a primo mane ad serum in ejus agro pugnaretur. Desolatum eo turbine castellum oppidi, Primatum, ac in his præcipue Cardinalis e Ducibus Saxonie, sumptibus, ad omnem affurrexit venustatem. MINUS-TAPOLCSIANUM a Grano occidentem versus duobus milliaribus retrusum ad confluentiam duorum rivulorum jacet. Ornatur peramplo castello, cujus, instar arcis educti, munitio dudum obsolevit. Inest Castello B. V. M. facellum, oppido xenodochium, ac Templum; hoc veterum incolarum religio, duo priora superioris sæculi Hera Elifabetha Bánffy, Ladislai Rakoczii conjux lectissima, excitavit. Lætissimus est loci positus, ad cujus delicias confert hortus, & piscina herilis, hinc vitiferi colles, prata, fertiles agri, inde amœnæ valles, ac montes sylvosi. Non easdem opportunitates habent OSZLANUM, WELKO-POLYE, & ZARNOVIA. Nam primum quatuor milliaribus Cremniczio ad occidentem disjunctum, etiam qua plano est agro, magna coloni industria opus habet, ne maligne fructum recipiat. ZARNOVIA vero Cameræ Schemnicziensis juribus accensa, sterili agro est, multumque patitur damnorum a decurrentibus, pluvio cœlo, torrentibus; ornatur tamen duobus castellis ad Dœzios olim spectantibus. WELKO-POLYE demum dos Elefantensium S. Pauli I. Eremitæ Cœnobarum, nescio an planiorum novalium tantum suo in territorio habeat, quantum teli facit jactus; ut proinde lignario potissimum rem familiarem opere sustentent. Restat VEREBÉLYIUM Archi-Episcopi Strigonienfis nobilitare oppidum, ac sedis caput, bellica virtute, dum intra viscera Hungariæ hæretet barbarus, clarum. Patente in valle, ad Zitvam amnem protenditur duo.

duobus milliariibus Barſo remotum in occidentem. Vallis olim, foſſis, ac terreis propugnaculis munitum erat, quibus mulctatum eſt anno MDCLXIII. per Turcam, poſtquam in ejus poteſtatem Nitria, Leva, & Ujvarinum veniſſent. De prærogativis incolarum plurimæ latæ ſunt leges, Archi-Epiſcoporum, ac Regum Ediſta. Provinciale (cujus iterum grati memoriam facimus) Reſcriptum habet ſequentia : „ Oppidum VEREBÉLY fedes „ eſt Nobilium Archi-Epiſcopalium, quos patrio vocabulo exercituantes „ dicimus. Habet proprium Tribunal, Palatinum quoque peculiarem, qui „ in ipſos poteſtate ſupremi Comitum pollet. Conſtant e pluribus Curiis, „ Archi-Epiſcopali collationi ſubjectis, quæ de Verebély & Szent-György „ denominantur; quod in his potiſſimum locis prædictæ Curie habeantur. In oppidum nihilominus ipſum, præter memoratas Curias, Jurisdiſtionem Comitatus BARSIIENSIS exercet.

§. VI.

De memorabilibus Comitatus BARSIIENSIS vicis.

Quemadmodum ſpatiis, ita vicorum, quoque numero multum concedit Nitrieniſi Comitatus BARSIIENSIS. Inter hos caſtellis ornantur Brogyan, Cſcernye, Fil-falu, Simoni, Koſztolan, Nagy-Ugrocz, ac Nitra-Szegh; magnorum autem heroum ſanguine, pro ſalute Patriæ glorioſe effuſo nobilitati ſunt KEZSY, ac duo VEZEKÉNY. Pone priorem viſitur ædicula ſacra, perenne monumentum Comitum Stephani Koháry, Excellentiffimi D. Comitum Andreæ, hodie ſupremi Hontenſium Comitum, Avi. Is dum adverſus barbaros primam cum Chriſtianis impreſſionem faceret, ſub primum pugne æſtum eo loci victima concidit; cui ſuperſtructum eſt facellum ære neceſſariorum. Copioſiore irrigatus eſt ſanguineo imbre interjacens ager majori, minorique VEZEKÉNO, quatuor nempe Heroum Eſzterháziána de ſtirpe oriundorum, quos illic uno die VII. Kal. Sept. anno MDCLII. barbarorum abſtulit furor. Res ita accidit: late per ea tempora procurſantes Strigonieneſes, quique vicina tenebant loca, Turcæ, ingentes Chriſtianorum agebant prædas. Tangebatur tot civium in diriffimam necem abreptorum dolor univerſos; qui ferre poſſet,

opem,

opem, præsto nullus erat. Confluxit funesto die illo ad VEZEKÉNUM nobilis juvenus, cumque nostrorum nonnisi mille equites, pedites tercenti, barbarorum ex adverso quater mille essent, miserabile captivorum Christianorum agmen raptantium; non potuit cohibere se amor in cives, quin primum carperent, mox invaderent in prædatores. Favit equidem bonæ causæ cælum; nam cæsis ultra octingentos Turcis, erepti sunt captivi centum admodum & quinquaginta, cum non contemnenda prædæ parte; at una Illustrissimos quatuor Heroas amissimus cum aliis quinquagenis. Memorandum hoc Christianæ virtutis, ac pro libertate captivæ plebis tantorum stemmatum in mortem ruere non dubitantium specimen, ne quando obliterari posset, Excellentissimus ac Reverendissimus D. Emericus e Comitibus Eszterházy de Galantha jam Episcopus Nitriensis, tunc Dorensis, & Præpositus Major Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis in gloriosæ illius arenæ campo columnam posuit, sequente inscriptione notatam:

SISTE VIATOR! ET LEGE.

IN HOC CAMPO, UNO DIE, UNA EX FAMILIA,
QUATUOR INVICTI HEROËS CECIDERE.

LADISLAUS COMES ESZTORAS,
PERPETUUS IN FRAKNO,

S. C. R. MAJESTATIS CONSILIARIUS CAMERÆ,
PRÆSIDII PAPENSIS SUPREMUS CAPITANEUS.

FRANCISCUS ESZTORAS,
PRÆSIDII GYARMATH SUPREMUS ITIDEM CAPITANEUS.

THOMAS ESZTORAS,
PRÆSIDII LEVENSIS V - CAPITANEUS.

CASPARUS ESZTORAS,
EQUES AURATUS.

Alteri ejusdem columnæ lateri inscriptum legitur:

FATALIS SANGUINI ESZTORADUM MARS TURCICUS.

ERRAVI:

VOLUIT FATALIS ESSE,
NON FUIT;

QUIA
VIROS, QUOS NECUIT,
NON TOTOS EXTINXIT.

HIC

HIC
 TERGEMINA ROSA ESZTERHÁZIA
 EFFLORUIT
 IN NOVAM PURPURAM,
 QUATUOR HEROUM SANGUINE IRRIGATA.
 ERGO MARTIUS
 HIC CAMPUS EST;
 QUEM
 NE SOLA JAM HABEAT ROMA,
 HEROIBUS ESZTERHÁZIIS
 DEBET HUNGARIA.

Cæteri vici suis se opportunitatibus commendant. Nam qui planiorem occupant regionem, plerisque Ceres benigna est, Bacchus collinis, Pan montanis, Diana saltuosus. Ad hæc ALSÓ - SDANY lapidas propinat acidulas. GELETNEKUM (HLINIKUM Slavi vocant) magnæ parti Hungariæ molares subministrat lapides; NITRA-SZEG, SZKLENNO, & VIHNE, calidis præstant aquis. NITRA - SZEGIENSES nondum ad certos reductæ sunt lacus; VIHNENSES, & SZKLENNENSES ex æquo salubritate certant; opportunitate tamen, ac sudatorio specu SZKLENNO antecellit. Multi sunt in dilaudando hoc benignæ parentis, naturæ beneficio exteri, ac domestici Scriptorum. Scaturientes e terra calidas (quarum Tollius in SZKLENNENSI vico XXX. circiter, aut XL. fontes se vidisse testatur) quia pluribus locis visuntur, lubens prætereo; sudatorii, quem attingi, specus, non meminisse non possum. Est in modum conclavis factus, de quo aquæ per decliviâ defluunt, conchaque, ad id parata, excipiuntur. Calet nativo thermarum æstu, non tamen æquali ubique caloris intensione, sed quo pro libitu uti possis, altiorem, depresso remve occupando locum. Qua destillantes aquæ per latera antri hujus decurrunt, sedimentum in crustæ modum adhærescens relinquunt, hic rubrum, ibi niveum, alibi viridescens, nigricans, cærulescens. Virtutem speluncæ hujus optime in se expertus describit eruditus ille peregrinator Jacobus Tollius in epistola quadam: „ Uno, eodemque, inquit, „ tempore, ac momento ad ficcum, & humidum me balneum contuli. „ Aderat enim specus ingenuus, in quo per latentes meatus, adeo calentes expirabant halitus, ut copiosissimum e toto corpore sudorem elice-

P A R S I .

C c c

„ rent;

„ rent ; suberatque his meatibus aqua calidissima , quæ cum ingredienti
 „ fervida videretur, mox ab halitibus illis concalescens pro frigida erat.
 „ Locus ita erat adaptatus, ut confidentibus humeros, & medium
 „ corpus halitus afflarent, inferiora aqua tegerentur. „ - - Affinia sunt,
 quæ de saluberrimo hoc antro suo notat Inclytus Comitatus, ac nos experti
 affirmare possumus. Sane non secus laxantur totius corporis pori, totus-
 que homo quadantenus contabescit, quamsi de cera compactus ardenti soli
 exponeretur. Accedit naturæ beneficio hominum industria, quæ sat com-
 modis vicum hospitibus instruxit. De his ita Provincialis Commentator :
 „ Cæterum hic non lavacrum solum, sed & hospitia longe commodissima
 „ suppetunt. Balneum enim quavis parte ædificio, pluribus conclavibus
 „ distincto, cingitur, ut singulis a liminibus integrum sit non sine volupta-
 „ te prospectare in lavantes ; „ Hæc ille quam graphice, tam latine, ut
 merito ejus verbis, nihilo mutatis, usi simus.

CAPUT QUARTUM. DE COMITATU HONTENSI.

§. I.

Fines, Divisio, Opportunitates, Aquæ, Montes, Supremus Comes Comitatus HONTENSIS.



PLus cæteris omnibus Hungariæ Provinciis habet difficultatis
 metari HONTENSEM. Evenit hoc inde, quod cæteræ
 quidem continua serie protendantur; HONTENSIS ex
 adverso intercipiatur Zolienfis, & Neogradienfis parte, quæ
 intercapedo quinque admodum milliaria exæquat. Refertur id in duorum
 clarissimorum stemmatum Hunt, & Páznán, jam inde a Geyzæ Hunga-
 rorum postremi Ducis ætate in Hungaria late dominantium, atque adeo
 Provincias, de quibus hic agimus, obtinentium in unam Familiam, secu-
 tis temporibus, consociationem. Nam ne hisce de Regno, ac re Christia-
 na optime meritis quidpiam detraheretur; moveri sane Reges poterant, ut
 quemadmodum divisæ illæ Optimatum Familiæ Hunt majorem, Páznán,

mi-

minorem regionem istam in ditione habebant; sic in unam coalescentes *Hunt-Páznánianam*, utriusque juribus potirentur. Ampla hæc regionum interjacentium spatia cogunt, ut tam majorem HONTENSEM Provinciam, quam minorem, finibus quamque suis circumscribamus. Et major quidem ab ortu Gömöriensi, Neogradiensi, Hevesiensi, a meridie Pesthienensi, ac Pilisiensi, ab occasu Strigoniensi, & Barsiensi, eodem & Zolienfi a septentrione clauditur; minorem vero ab ortu Gömöriensis, a meridie Hevesiensis, ab occasu Neogradiensis, ab aquilone Zolienfis attingit. Dispescitur major in tres Processus: Schemnicziensem, Bathensem, & Bozokiniensem, minor quarti loco habetur. Montibus admodum frequens est utriusque Hunti regio, quos inter Börsönyenses, Palaftienses, Schemniczienses, Szitnenses eminent; sunt pariter sui amnes utrique, & rivi: Danubius, Granus, Ipolis, Rimanus, Carponensis, Bakabanyensis, Schemnicziensis, cæteri; non illic vitiferos colles, graminosas valles, fontes lapidescentes, calidos, acidos, præ obviis medicorum potionibus salubres, desideres; ut sua in loca rejiciam Cereris, Bacchi, Pales munera, granatellos, nativos colores, cinnabarim, vitriolum, omnis generis fossilia, & præstantissima metalla. Felicissimæ huic Provinciæ Supremi Comitatus dignitate præest Excellentissimus D. Comes Andreas Koháry de Csábrág, & Szittnya, Perpetuus in Murány, Generalis Campi Marefchalli Locumtenens, nec non unius Legionis Dimacharum Tribunus, ac S. C. R. M. Confiliarius Actualis Intimus; cujus amplissimum genus, Majorum, ac propria merita remunerari cupiens Augusta, ejusdem probatissimæ Fidei Prætorianas cohortes credidit, dum sacro diademate incingeretur Posonii. Redibit per vices laudatissimæ Koháriorum Profapix mentio, dum ad laxas eorum ditiones deferemur.

§. II.

De Liberæ, Regiæ, Montanæque Civitatis SCHEMNICZIENSIS primordiis, positu, incolis.

Non facile definias, plusne ponant, an perdant operæ, qui nimii sunt in veterum originibus Civitatum perquirendis, quadam conjectatione vocum delusi. Sane qui SCHEMNICZIUM e Sebenicchio Pastore

operosius procidunt, gerras aut natas sub colo fabellas obtrudunt. Nec refert, quod hodieum insignia Urbis Telamonibus, seu lacertis ambientur, quarum indicio divites argenti venas reperisse narratur opilio ille. Nam id genus animantia in ipsa gentilitia arma, multoque amplius externum eorum ornatum sapius ex ingenio, quam historiarum veritate adsciscuntur. Alioqui magister ille pecorum Sebenicz (quæ vox Slavis significat: *sibi nihil*, quasi Battus ille sibi nihil commodasset, detegendo metallariis venas, lacertarum indicio proditas) reluctante admodum Minerva fingitur ominosum illud nomen gessisse, atque Urbi commodasse. Quid? quod vetustius nomen civitatis hujus sit BANA (quod Slavico idiomate significat fodinam) quam SCHEMNICZIUM? priusque celebres isthuc aurariæ fuerint, quam commentitia de Pastore nomenclatio adhærere acceperit Urbi huic? BANAM equidem appellat, civitatem hanc Ladislaus Cumanus, dum Templum S. Nicolai a BANENSIBUS civibus constructum transfert anno MCCLXXV. in Fratres Ordinis Prædicatorum; ex adverso vocem SCHEBNICZII, aut SCHEMNICZII ante adultum æræ Christianæ Sæculum quartum supra decimum usurpatam fuisse vix sit, qui prodat. Vetustatem deinde fodinarum, ac civitatis SCHEMNICZIENIS Tabularium Urbis illius affirmat. Nisi enim gravissime mihi impositum est, dum paulo curiosius hæc ante octennium illic scrutabar, ex vero authographo in adversaria retuli, SCHEMNICZIUM vetus anno post Christum natum, MDCCXLV. conditum, aut certe condi captum fuisse. Parum hæc epocha probabitur iis, qui simul eruta, simul propemodum signari cæpta in Regno Hungariæ metalla opinantur; impatientius ferentes, si quando metallarios ante Belæ I. summum Sancti Stephani Regnum his in regionibus opus fecisse audiant. Sed, hercle! perperam. Nam ut de cæteris lites non feram, ætate C. Cornelii Taciti, ferrum in Quadis fodiebant Gothini. Recitavi jam supra e libro, quem scripsit de Moribus Germanorum Tacitus, insignem ejus locum, quem hic attexere, quæque in rem faciunt, adjicere non piget. Sic autem habet: „Juxta Hermunduros Narifci, ac deinde „Marcòmani, & Quadi agunt. Præcipua Marcomanorum gloria. - - „Nec Narifci, Quadive degenerant. - - Nec minus valent retro Marfigni, „Gothini, Ofi, Buri: terga Marcomanorum, Quadorumque claudunt. - - „Gothini, quo magis pudeat, & FERRUM EFFODIUNT; omnesque „hi

„ hi populi pauca campestrium, cæterum saltus, & vertices montium, ju-
 „ gumque infederunt. „ Non ergo defuere Quadis metallarii ævo Taciti,
 qui floruit paulo post dimidium primi sæculi Christiani. Constitutis utcun-
 que primordiis Urbis nostræ, fortunam ejus, positum, ac primos incolas
 prolixius enarrandi locus esset; nisi proposita brevitatis hanc etiam hospita
 quondam civitati referre gratiam vetaret. Si cursim, carptimque de rebus
 non expeditissimis loqui fas est, SCHEMNICZII conditores, ac, si minus
 soli, certe præcipui incolæ, Slavi erant usque ad annum circiter MCCXX.
 qua ætate S. Elisabetha, Andreæ II. filia, Ludovico VI. Thuringiæ Landgra-
 vio nupta, præbuisse creditur occasionem deducendarum e Saxonia has in
 Regiones coloniarum; quæ calliditate, opibus, Regum gratiis prævalentes,
 ut pertæsi litium primores Slavorum Urbe decederent, crescendique Saxo-
 nibus locum darent, effecere. Attenuata & horum fortuna est tum civi-
 libus, tum Turcicis, præcipueque Tartarico bello, quo machinæ etiam me-
 tallicæ sunt everse. Excepit hanc cladem nihilo mitior alia, fames dirissi-
 ma; post incursum Simonis Rozgon, qui ut ægre faceret Elisabethæ, Alber-
 ti viduæ, in ejus clientelam igni, ferroque sæviebat dirissime. Accessit,
 ad malorum ejus temporis cumulum gravissimus terræ motus, quo vetus
 SCHEMNICZIENSIS Civitas penitus pessumit. Putant eam stetisse non-
 nulli in illius montis jugo, qui hodiernæ Urbis æstivo ortui objicitur, exhi-
 betque parietinas quasdam. Rudus hoc contemplatus ipse sum, jugum adii,
 nec tamen ullum civitatis, verum speculæ duntaxat, summum arculæ vesti-
 gia quædam notavi. Tenet proinde primam stationem urbs nostra, etsi
 plurimum in dies augeatur. Situm ejus ut assequare, depressas quatuor
 valles, in unam tandem desinentes cogita, quas qui cingunt præalti montes,
 obsidentur metallariorum ædiculis, nullo ordine sparsis, qua vero planatur,
 verius mollibus clivis laxiores duæ valles assurgunt, præcipua sunt Urbis fo-
 ra, cultis ædibus, quas præsertim Urburariales vocant, decora. In his cor
 occupat Prætorium cum annexo Divæ Annæ Sacello, Basilica S. Catharinæ
 Virginis & Martyris, sua cum turricula cupro (quod sciam, unica toto in
 Regno) tecta; paulo infra meridianæ Urbis interioris portæ accubat Regia
 supremi Montanorum Ærariorum Præfecti Domus, cui ab ortu objicitur
 Domicilium Patrum S. J. ac Templum. Excurrit hinc longissimus vicus,
 inferior dictus, meridiem versus; ab æstivo autem occasu objacet arx, quam

novam appellant; ut discrimen sit ab illa, quæ e propinquo colle imminet Civico Prætorio. Hunc in modum, cum tota propemodum civitas pendeat de montibus, verius, quam collibus, peregrinos mire afficit, si pluvio cœlo, ac tempore nocturno eam depressiorem per vallem accedant. Quod enim lumen per fenestras emicans eminus conspiciunt, stellarum esse putant; sæpeque mirantur, laudant adeo clima, in quo decidui imbres, ac nubes siderum lucem terris non eripiant. Sed jam de singulis pauca dicamus.

§. III.

De SCHEMNICZIENSIIUM sacris ædibus.

Primum quod se offert SCHEMNICZIENSIIUM Templum, veteri in arce, magnifico opere Divinæ Matri constructum erat. Amplitudinem ejus, ac soliditatem grandes parietinæ produnt; at ortum, vel occasum, nemo fatis. Paræciale fuisse, non vanæ sunt conjecturæ; Nam si cætera deforent, anni MCCCCLXXVIII. documentum literarium, quo Nicolaus Zygenpacher Sacelli S. Michaelis in cæmeterio Parochialis Templi B. V. M. ædificati mystæ sumptus confert, omnem eximit dubitationem. Ne vero Magnæ Hungarorum Dominæ deesset primævus cultus SCHEMNICZII in loco Sacelli, Divo quondam Nicolao sacri, erectum Fanum, ejusdem in cœlos Assumptæ Deiparæ honoribus consecratum ferunt. Florentem jam anno MCCLXXV. Parochiæ SCHEMNICZIENSIS fuisse statum oportuit, cujus Curio Renaldus Præpositi una S. Thomæ de Monte Strigoniensi dignitate eminebat. Suberat eidem Paræciæ per eam tempestatem vicus, jam Libera, Regia, Montanaque Civitas Bela-Banyensis, exoluta hac subjectione primum Corvino Rege sub annum MCCCCLXVIII. Falluntur proinde, qui existimant: Simonis de Rozgon populatione Basilicam illam desolatam fuisse, quarundam ut opinor, Urbis nostræ Ephemeridum narratione inducti. Ibi: „ Succenderunt (Rozgoniani) Civitatem „ prædictam totaliter. - - Et sic SEBNICZIENSES dimiserunt Ecclesiam „ eorum cum multis bonis, quæ hostes receperunt omnimode cum Eccle- „ siæ rebus, Calicibus, Crucibus, & Reliquiis Sanctorum multis, & Clau- „ stri. Hæc sunt facta anno prædicto (MCCCXLII.) feria V. post Pen- „ tecostem, & excusserunt Venerabile Sacramentum Corporis Christi in „ Ecclesiis utrisque, Altariaque fregerunt. „

XVI. annis anteceffit Dilnensis (Belá-Banyensis) Parochiæ a SCHEMNICZIENSI divisionem, Paræciale Templum tunc quidem non penitus demolitum fuiffè oportebat ; quod alioqui non erat diffimulaturus Annalista, qui meminit minorum. Demus ergo post illam ætatem natarum hærefum furori hanc quoque inter alias ruinam ; cum præfertim non defint eruditi viri MS. quibus notat gravem rerum Ecclesiasticarum conversionem SCHEMNICZII factam fuiffè post sæculi XV. annum LX. ; id quod quarto inde ineunte anno eveniffè domesticæ Ephemerides nonneminis adverforum, quanquam sub obscure, infinuant.

Coævum prope fuerit Basilicæ Marianæ Sacellum S. Nicolai, a Civibus de BANA constructum, atque a Parocho sacris procuratum ad annum MCCLXXV. quo, assensu Magistratum, Paræci Renaldi, Strigoniensis Capituli, & Archi-Episcopi Benedicti voluntate, bona Ladislai Cumani gratia, in sacrum Prædicatorum Ordinem translatum fuit. Mansit in eorum potestate annis propemodum CCXIV. nam anno MCCCCLXXXIX. redditum effè lego Parocho, Fratrum nonnullis emortuis, aliis alio demigrantibus, qua nescio, rei domesticæ penuria adactis. Hæsit plusquam annis XL. sin minus in ruderibus, at certe tristi in vastitate ædícula, cui & priores angustias, & recentem desolationem fertur detraxiffè Maria Ludovici II. vidua circiter VII. ab indigna cæde Regis mariti annum, constituto isthic Xenodochio quoque Elifabethino, Templo autem capaci, ac nitido assumptæ in cælos Deiparæ honoribus consecrato. Obtinebant ærumnosi vetus Cœnobium annis facile CXXXV. dum statione decedere, ac Patribus Societatis JESU locum facere jussi sunt voluntate Leopoldi M. Egit hoc opere Augustus, tum ne sedes DEO dicatis hominibus attributæ suis cum redditibus paterent Laicis, ut plurimum heterodoxis ; tum ut Apostolicæ Sociorum operæ fixum haberent SCHEMNICZII Domicilium. Ante enim Neofolio isthuc, Cremniczium, Ujbányam, cæteraque metallariorum loca ingenti cum incommodo suo, & majore animarum, Pastore destitutarum, detrimento, quum vacabat, aut necessitas ferebat, procurrebant, in Augusto quodam conclavi Domus Regiæ sacra facientes, quod omnia civitatis Templâ Lutherani obtinerent. Ut in ædis hujus, Marianæ Basilicæ cohærentis, ac tractu temporis Sailerianæ (Ellenpachianam vocant alii) possessionem venere Socii, non levibus incrementis rei Catholicæ facta est conversio,

fio, provehente pios eorum conatus Numine, gloriosis meritis P. Katqnfzky (uni Alumnorum Religiosi illius ordinis viro, naviter Apostolico, ac in odium fidei a Tökölianis dire perempto, id nominis erat) provocato. Extat hodie dum supplex ad Augustum datus libellus, quo Templum aliquod SCHEMNICZIENSE reddi orabat status Catholicus; principe illo ufus momento, quod prope mille censerentur eorum capita, si quando ad solennia concurrent isthuc, e vicinis pagis; jam quinquies supra vicies multiplicato eodem numero auctiorem in sola Paræcia SCHMNICZIENSI sibi fecit DEUS populum credentem; deturbata sunt Templorum omnium, per seditiones occupatorum possessione novitia sacra, atque ad posticum ædis profanæ angulum retrusa.

Ætate tertium inter SCHEMNICZIENSIA Templum est S. Catharinæ Virginis, & Martyris. Fiunt in hoc ab JESU Sociis Divina pro Natione Slavonica, quemadmodum in Assumptæ Deiparæ pro Germanica. Substructiones Catharinæ solidæ sunt, nec quidquam ad cultum desideres, sive Altaria, sive sacrum apparatus spectes. Externo ornatui multum addit pretii tectum cupreis laminis obductum; facellum item Thaumaturgi fama laborantium Patroni S. Joannis Nepomuceni. Quando potissimum sacra, de qua loquimur, ædi dignitas Paræcialis accesserit, perinde ac, qua ætate excitari cœperit? Oedipo opus est. Adolescente sæculo Christiano XV. Divina Missæ Officia ad Aras Partheno-Martyris Catharinæ facta fuisse a stipendiato Mysta reperio; verum id fieri poterat, etsi Mariana adhuc Mater cæterarum Ecclesiarum esset.

Quartum, S. Annæ fanum, urbicæ curiæ partem occupans, pietatem Magistratum commendat; qui non satis firmum se justitiæ credebat, ponere domicilium, nisi præcipuam in eo partem occuparet Religio. Assurrexit cum ipsa curiæ structura annum circiter MCCCCXCVIII. Ne regredi cogar ad Prætorium, hoc loco adscribo, quæ in eo præcipua visitur omnis recti maxumas, ac probi regiminis leges complexa

**PTOLOMÆI ARPHASIDIS
ÆGYPTIORUM REGIS TABULA.**

NUNQUAM MAGNI FECI DIVITEM TYRANNUM,

NEC ODI HABUI PAUPEREM JUSTUM.

NUNQUAM JURISDICENDI TEMPUS PAUPERI DISTULI,

NEC LARGITIONIBUS ADDUCTUS DIVITI PEPERCI.

NUN-

NUNQUAM FECI GRATIAM ALICUI, FAVORE CAPTUS,
 NEC IRATUS POENAM INFLIXI.
 NUNQUAM PERMISI MALUM IMPUNITUM,
 NEC BONUM IRREMUNERATUM.
 NUNQUAM CAUSAM, LIQUIDO JUSTAM, ALTERI TRACTANDAM
 COMMISI,
 NEC OBSCURAM SOLUS DECREVI.
 NUNQUAM JUS NEGAVI PETENTI,
 NEC MISERICORDIAM MEAM MERENTI.
 NUNQUAM QUENQUAM IRATUS MULCTAVI,
 NEC DONA LÆTUS MAGNIFICE PROMISI.
 NUNQUAM TEMERE GESTIEBAM IN PROSPERITATE,
 NEC IN ADVERSIS ANIMUM DESPONDI.
 NUNQUAM ODI INCITATUS DAMNUM ALICUI INTULI,
 NEC REM TURPEM OB AVARITIAM COMMISI.
 NUNQUAM ADULANTIUM AMORE CAPIEBAR,
 NEC AURES DETRAHENTIBUS PRÆBUI.
 SEMPER OPTABAM A BONIS DILIGI,
 UT ME METUERENT MALI.
 ET BREVITER: FAVEBAM PAUPERIBUS,
 ET EXTRANEIS, FAVORE CARENTIBUS.
 POSTREMO, QUOD OMNIUM EST MAXIMUM:
 FUI DILECTUS A DIIS, MULTA POTENTIBUS.

Postrema SCHEMNICZIENSIIUM sacra ædes infidet occidentali ci-
 vitatis colli, quem occupat arx nova, specula verius dicenda. Insignitur
 titulo B. M. V. ad Nives, potissimumque frequentatur sacris, dum fidelium
 manibus parentatur; nam cæmeterio cohæret. Præter hæc dicata DEO
 Domicilia intra Paræciam SCHEMNICZIENSEM sacra faciunt iidem Pa-
 tres Societatis JESU in constructis hoc sæculo ipsorum cura delubris Teplen-
 si, Koplachiensi, Sitrsbergensi, elegantissimique morienti Servatori sacri
 Montis, quæ adhuc operas fatigant. Demus ipsorummet verbis adumbra-
 tum, qui faciunt opus. „ Cultus, ajunt, erga morientem Servatorem,
 „ haud leve anno MDCCXLV. sumpsit augmentum, Divinis ejus hono-
 „ ribus deducto ad fastigium Templo, in Novo Monte Calvariæ, binas
 „ inter turres, candidis laminis contactas, atque ad omnem ætatis nostræ
 „ ornatum fastigiatas. Sacrum exaltationi sanctæ Crucis diem delegimus,
 „ quo prima isthic in crucifixi DEI-Hominis memoriam immolaretur ho-

„ stia coram ingenti populi multitudine e Templo Mariano sub duarum
 „ Sodalitatum labaris, ac duobus metallariorum signis adducta. Non at-
 „ tinet religiosissimam supplicantium pompam, & apparatu longe augustif-
 „ simo obitos. benedictionis Templi ritus ex usitato Ecclesiæ more institu-
 „ tos, referre. Erant in his, quæ non orthodoxos duntaxat ad pietatem
 „ proveherent, sed errantibus quoque a via veritatis approbationem extor-
 „ quent. Sacram quod attinet ædem, artifice Viennensis Apellis manu
 „ eleganter picta tota est. Concameratio gloriosum resurgentis Domini,
 „ choris Angelorum stipati triumphum exhibet; latera ornant duæ aræ,
 „ quarum una depositum de Cruce Dominum, altera ejusdem sepulchrum
 „ refert. In harum medio assurgit Mons Calvariæ, ærariis multæ elegan-
 „ tiæ lapillis investitus; cui decoris plurimum adjiciunt inspersi campestris
 „ flosculi. Florido huic monti insistit simulacrum pendentis de ligno duos
 „ inter latrones DEI-Hominis. A tergo montis ejusdem Solymæa Urbs
 „ eminet, confusa crucifigentium cohors militum, & insultantium Judæo-
 „ rum caterva. Denique in utroque montis latere hiant antra, quorum
 „ alterum Princeps Apostolorum, alterum Magdalena, magna illa pœni-
 „ tentiæ exempla occupant. „ Hæc illi. Adhæsit jam radici montis fa-
 „ cerrimi delubrum majus, castissimis & ipsum Religionibus augustum, pro-
 „ movente operas Viro religiosissimo, nervum autem ultro congerente pri-
 „ vatorum, Urbici Magistratus, ac metallicæ societatis pietate. Addenda
 „ his ampliata annis proxime præteritis Josephina ædícula Windschachtæ, in
 „ qua, diffusissimæ civitatis platea, duo Socii in quintum annum hospitan-
 „ tur, ut incrementis populi votis jugiter præsto sint. Vicinus Windschachtæ
 „ vicus commodum Cænobium ac elegans Templum habet, quod pariter
 „ paucis retro annis assurrexit pro Eremitis S. Hieronymi eo inductis anno
 MDCCXXXIV.

§. IV.

De SCHEMNICZIENSIBUS ærariis, sive Metallifodinis.

Vicenas prope compleret paginas, qui nuda hodiernarum, veterumque
 aurariarum, cæterorum item vastissimi SCHEMNICZIENSIS terri-
 torii nomina congereret. Partem harum Rex obtinet, partem Urburarii;
 qui

qui sumptu suo metalla effodiunt, ac scoriis depurata Regiæ vendunt Quæsturæ. Primas ab hominum memoria tenet argenti feracissima Piberorum sectura, cuius aperiendæ auctor fuit exeunte sæculo XV. Georgius Piber. Eadem Windschachtenfis quoque dicitur, quod polleat præ aliis liberiore aura. Insignes, quæ ad illam conservandam erectæ sunt machinæ in primis habentur, quæ digna visu habet Europa, cum reditu nulla ei Hungaricarum, nescio an aliqua Europæarum, possit conferri. Fidem propemodum superant, quæ de libris metallicorum, quibus accepti, erogatique æris minutissima quæque inferuntur, excerpta mecum amicus ante Octennium communicavit, in hæc verba: „ Opulentissimi reditus erant Fodinæ Ober- „ Piber-Stoln dictæ, quam Windschachtensem, & Haupt-Handl appella- „ mus, illis annis, quibus sua Sacratissima Cæsareo-Regia Majestas, Domi- „ nus noster Clementissimus Carolus VI. gloriosissimum bellum gessit „ contra juratos Christiani nominis hostes, Turcas. Rationum libros a Ra- „ koczianis motibus ad nostram hanc ætatem ob certas rationes habere non „ possum; inservio autem eo, quod fide digne narratum accepi; videlicet „ universam Armadam nostram e proventu fodinarum SCHEMNI- „ CZIENSIUM consequenter præattactæ Ober-Piber-Stolnensis (nam re- „ liquæ respectively nihil reddebant ultra expensas) fuisse intertentam. Ex- „ cessivus iste calculus ne videatur limites veritatis prætergredi, superioris „ sæculi annos aliquot sincere connoto. Et primo quidem ab anno „ MDCLXXII. per continuum octennium Piberiana fodina superior, an- „ nuatim argenti reddebat ultra quater centum septies supra vicies mille & „ sexcentas libras nostras, quarum quævis 16. Lothonibus æquivalet; au- „ ri autem bis mille sexcentas & sesqui octo itidem marcas, sive libras „ nummulatas, adeoque aureorum CCXXII. millia quingentos & octoginta „ quæ, non supputato operarum monetariarum pretio, efficiunt Rhenano- „ rum DCCCXL. millia trecentos & viginti. Grandi huic summæ adje- „ ctum argenti pretium conficit septem milliones octingenta unum & tri- „ ginta millia Rhenensium octoginta supra quingentos. Idcirco non vi- „ deatur - - incredibile, quod confraternitas nostra loco capitalis summæ „ florenorum centum quatuor, & sexaginta, accepisse dicatur fere nonagin- „ ta ejusdem monetæ millia. Clariora hæc evadunt ex ipsis Cameræ libris, „ in quibus notantur eruti fuisse anno MDCXC. e fodinis SCHEMNI-

„ CZIENSIBUS centies, bis & tricies mille quadringenti quinque supra,
 „ vicanos ducati; in argento duo milliones octingenta unum & quinquaginta millia, octingenti quindecim floreni; præterito illo proventu, qui
 „ eodem anno e minoribus stolnis prodiit, fecitque quadraginta millia ducatorum, & in argento octingenta millia Rhenanorum. „ Ita amicus ille. Infanam hanc vim æris si in operas facile septies, & decies mille, Præfectos, machinatores, artificia, facta, tecta, innumera alia dispartias, pars minima Regio infertur ærario. Certe lustris proxime superioribus raro signati auri, argentique in decimum quartum quemque diem plura quinquagenis millia Regibus accessisse fat certis auctoribus didicimus. Fieri id existimo e sapientissima Augustissimæ Domus Austriacæ providentia, ne continua alia sollicitatione saxa sterilecant, quemque benignissimus DEUS publicis necessitatibus pie contulit, in populi luxum abeat thesaurus. Sane quod recitatum supra scriptum domestici Præfecti chartæ non commisit, ab extraneis citra hæsitacionem profertur. Superiore bello Turcico SCHEMNICZIUM, appenso solo ad libellam argento facile novem milliones Regis ærario affudisse; cum tamen longo usu testatum sit, argento isthic haud parum auri admixtum esse. Quamobrem Marfillius mineras SCHEMNICZIENSES totius Europæ secturis metallariis anteferens in Prodomo ait:
 „ In Saxonia, Bohemia, aliisque partibus septentrionalibus non nisi purum, ac simplex argentum, neque, ut ibi (loquitur de SCHEMNICZIO)
 „ solaris istius metalli divitiis locupletatum reperitur. „ Per vices, quod jam monuimus, ob intercipientia minerales venas saxa, & aquarum eluviones tenuior fructus respondet sumptibus, sed qui reddit cum sænore veluti postliminio; quod conducet genuina relatio super statu fodinarum SCHEMNICZIENSIVM, quem obtinebant annis abhinc XXX. ab ipso Cæsareo Stratego submissa, quam, latinitate donatam, paginæ huic inferendam duximus; sic autem habet:

„ Princeps fodinarum dicitur Biberiana, vulgo Ober-Piber-Stollen,
 „ quæ priori ævo in singulas hebdomadas CCCCXL. hoc est, quolibet
 „ anno octingentas supra ducenties octies & vicies mille marcas, ut vocant, effundere consueverat. Cum autem ob operum, equorumque
 „ defectum aquarum vis paratos meatus, venasque obruisset, resumpta
 „ mox earum cultura pro hydraulicis machinis quinque millia Rhenensium,
 „ pro

„ pro fossoribus vero XIV. millia itidem Rhenensium in hebdomâdas sin-
 „ gulas expendere necesse fuit; sumptibus tamen pro Strategorum indu-
 „ stria semper decrefcentibus. Stagnantium aquarum copiam ex eo conji-
 „ cies, quod intra horæ spatium ope plurium rotarum, quarum specimen
 „ pridem Kircherus in mundo suo subterraneo exhibuit, amplius binis mil-
 „ libus urnarum educatur. Præter hydraulicas machinas parandi quoque
 „ peculiari studio fuere capaciores alvei, ac fossæ, quibus aqua effusa ex-
 „ hauriretur, & in officinas operis juvandis infervitura, scite deduceretur.
 „ Quæ omnia ubi integre elaborata, adornataque fuerint, minerales labo-
 „ res, uti jam ab anno superiori (existimo MDCCXVI.) aliqua ex parte
 „ experiri datur, si usquam alias, commode, utiliterque cessuros, nemo
 „ in dubium revocat. „ Nec plura Strategus. Alioqui tædiosum foret,
 cætera minutatim persequi, etsi paulo curiosiori lectori non injucunda; cu-
 jusmodi sunt positus, nomina, structura, & profunditas puteorum mine-
 ralium; quorum qui altiores sunt, pedibus MCLXIV. deprimuntur; in-
 doles tot diversissimarum minerarum, ars eas conflandi, depurandi, au-
 rum ab argento secernendi, ac in limpidissimam aquam dissolutum argen-
 tum ad suam soliditatem reducendi, quæ in Regiæ Domo Quæsturæ cum
 voluptate experiri licet. Verum non nostri hæc propofiti.

§. V.

De Liberis Regiis, ac Montanis Civitatibus
BAKA-BANYA, & BELA-BANYA.

Conjungo duas hæc urbiculas, quod neutra admodum habeat, quo pa-
 gina farciatur. Recedit Schemniczio BELA-BANYA horario itine-
 re æstivum ortum versus, nec amplitudine, nec auriarum felicitate compo-
 nenda Schemniczio. Nihilominus habet officinam conflatoriam, tudites,
 lacus, cætera, quorum in ærariis usus est, sumpsitque majores ab annis octo
 animos pristinæ suæ gloriæ vellificandi, auctis metallicorum operum studiis;
 extra quæ vix habet, quo in civitatum Regiarum liberarum censum venire
 potuisset. A Bela ne Regum uno, an a candore (nam Biela, Bila, & Be-
 la albam Slavi vocant) minerarum trahat nomenclationem? disceptant,
 quidam, a neutris faciente firmiore quodam momento. Nam nec sectura-

rum albedinem notavi dignam, quæ loco nomen faceret, & quod suspicantur nonnulli, florentius Bela III. Rege oppidum fuisse, a Tartaris vero eversum vix nomen vici sustinere potuisse, atque ista infelicitate in ditionem Schemnicziensium venisse, non tam firma sunt, ut hæsitationis aliquid non admittant. Equidem adsciscunt sententiæ hujus Patroni id in subsidium, quod Frölichius, & Parschitius annotavit; ille: „TYLLEN (nam hoc quoque nomine BELA venit) oppidum metallis jam exhaustum est, at „vetustate reliqua vincit: Parschitius autem ad annum MCCCCLXVIII., „Post varias lites, & altercationes - - Ecclesia DILNENSIS, quæ ante „filialis Schemnicziensium fuit, facta est Parochialis. „hæc, inquam, facere arbitrantur pro BELA-BANYENSIVM antiquitate non prorsus nulli; verum Frölichio aperta sphalmata, quæ alias inspergit suæ medullæ Geographicæ non mediocriter derogant; e Parschitianis vero litibus non continuo elicias, altercatum fuisse inter finitimas Urbes de Curione, quod proprii prærogativa Parochi priscis illis Belæ III. temporibus gavisâ fuerit BELA-BANYA. Eædem fere lites de ætate BAKA-BANYÆ, Slavis Bukanetz; quo nomine donari poterat ob fagarum sylvas arborum, quæ hodieum famosæ sunt, & ministrant pabulum alendis ignibus Winschachtensum machinarum, etsi non brevissimis duobus milliariis hinc in Occidentem brumalem recedat BAKA-BANYA. Fuit hæc aliquamdiu collimitium Christianorum adversus Turcas, propugnaculumque Civitatum Montanarum, majore, ac diuturniore civium virtute, quam præsidii numero defensum. Exilitas proventus metallici, ager item rusticationi præ cæteris Civitatibus Montanis idoneus in causâ est, quod aurariis parum inclarescat, valeatque BAKA-BANYA.

§. VI.

De Arcibus Comitatus HONTENSIS.

E Sex HONTENSIS Provinciæ castris tria superant, quæ commode collantur: Novum Schemnicziensè, CSABRAGHIENSE ac BOZOKINENSE, totidem alia, vetus Schemnicziensè, SZITNENSE, DREGHELIENSE, evasere jam inhospita. De Schemnicziensibus egimus suo loco. BOZOKINUM caput est Præpositura S. Stephani I. Regis, erectæ sub Stephano Rege II. a Lamperto S. Ladislai e sorore Sophia nepote annum

num circiter MCXXVI. Primam hanc esse Præposituram, aut e primis unam, quam facer Præmonstratensium ordo in Hungaria obtinuit, inde conjectes, quod ortus sit sæculi XII. anno vicefimo. Deplorandum Mohacienſe prælium BOZOKINENSI quoque Sacerdotio exitiale fuiſſe videtur, quod suum habebat Præpositum anno adhuc MDL. quamvis extorrem; de quo ita P. Samuel Timon in epitome Chronologica rerum Hungar. „ Curator arcis Tfabraghiensis, quem Provisorem in Hungaria dicunt, Matthiam Zavariensem, extorrem Præpositum BOZOKIENSEM, postremum ex ordine Præmonstratensi, mortifere vulneravit. „ Quisnam perempto Zavariensi usurpaverit Præposituram hanc? nusquam notatum invenio. Conjectant nonnulli Balassium, Cfabragi Dominum, non imperato servi maleficio, ditionem illam obtinuisse; cum præfertim exploratum sit: Sigismundum Balassa anno MDLIX. diem suum obiisse; & ab secuta hunc octennio post uxore, ultimis tabulis insigne illud Ecclesiæ hæredium in fratrem ipsius Georgium Fanchium devolutum fuisse. Ego malim dicere: decedentibus quacunq̄ue temporum iniquitate Præmonstratensibus fidem Balassii ampla illa ditione Ferdinandum sibi obstrinxisse, quod secus Sidoniæ Balassæ, ejusque mariti Pauli Fanchii exaratae in favorem Societatis JESU tabulæ, aut contractus Joannis Fanchii nullius roboris fuissent; quod tamen ita non est. Diu satagebat Georgius Szelepchénius Strigoniensis Archi-Præful, partem illam Patrimonii Dominici afferere ditionibus Ecclesiæ; quod tandem perfecit quoque, ac ex æquo in Tyrnaviensē Collegium, ac erectum ab se Mariano-Szelepchénianum inibi Seminarium ejus annuos redditus dispesci voluit, probante Leopoldo M. Castri, adhærentisque oppidi cognominis habitum describere non attinet; hoc ægre a vico discernas; illud olim hostium furorem reprimere, hac ætate vix remorari potest. Multo validius CSABRAGUM est, hæreditariis Koharianæ Comitum Profapiæ ditionibus, Regum indulgentia, transcriptum. Emeruere istud immortalis tot præclarissimorum Heroum facinora Petri, utriusque Stephani, Gabrielis, Wolfgangi, Joannis, Francisci, Andreæ, cæterorum, quorum si quando ingrata posteritas foret immemor, lapides ipsi loquentur. Stephanum II. virtus bellica, fides in Regem, religio in DEUM, pietas in patriam, in egenos, sacras familias, Divorum Tempa, omne mortalium genus beneficentia, morum integritas; omnigena sapientia, parsimonie jun-

cta magnificentia, eo evexerunt, ut præstantissimis, quos unquam habuit Hungaria, viris, suo merito componi possit. Extat posthuma Clarissimi Viri memoria, a Rhetoribus Tyrnaviensibus tenui opusculo, at sensu pleno, celebrata. Cum tessera loco haberet illud, Christiano sapiente dignissimum scitum, cui suum subscribere nomen solitus erat hunc in modum: Dat DEUS, cui vult. Stephanus Koháry; temere derisisse illud fertur, cum fidissimi vero Regi Comitis diriperet gazas primipilus Rakocziæ factionis, parum pio sarcasmo Koharianæ illi gnomæ subjuncto: Accipit, ubi vult, Nicolaus Bercsény. Sunt, qui afferent, se pluribus in locis exaratum utramque hanc tesseram legisse, nescio, majorene pientissimi Herois commendatione, an opprobrio Nicolai? Ut ad CSABRAGUM redeam, est in editiore colle positum castrum, in deliciis a Stephano nostro habitum, ejusque morte nobilitatum. Recedit Schemniczio brumalem ortum versus tribus circiter milliaribus, SZITNA vero (quod erat alterum ejusdem laudatissimæ gentis castrum, præalto monti superstructum, jam neglectum) bene protensis duobus, de cujus ruderibus, patente in subjectam latissime regionem prospectu, fontibus, collapsis substructionibus, amplitudine, cæli salubritate, subjectis graminosis vallibus, cæterisque compendiis, jam adjiciendum nihil puto. Nihilo melior fortuna DREGHELI, quod alii DEREK-HELYUM, hoc est egregium locum appellant, qualis erat, dum floreret castrum. Quoties e propinquo licuit mihi contemplari opportunissimum defendendæ regioni Ipolitanz castrum (licuit autem sæpicule) non potui non indolere tristissimo ruderi. Arduo, petrosoque monti imposta erat arx olim gemina, puteo, sexcentos geometricos pedes alto (si fides accolis) reliquisque commodis affatim instructa. His, suaque virtute fretum fuisse autumo castri hujus Præfectum Georgium Zondium; cujus insigne facinus, atque adeo Zriniani, in defendenda Szigethana arce æmulum, describit egregie Nicol. Istvanffius Lib. XVIII. Histor. editionis Colonienf. pag. CCXIV.

§. VII.

De Castellis, & oppidis Comitatus HONTENSIS.

MARGITENSE rudus arcemne, an castellum prodat, vix e ruinis, aliunde ne vix quidem discas; OSGYAN, RAHN, SZABATHKA, Turcas aliquando a prædis cohibuerunt, vallis, fossis, ac aggeribus suis;

fuis; BATH, BÖRSÖNY, NEMETHY, RIMA - SZOMBATH, SAAGH, SZEBEKLIB, TISZOLCZ oppida sunt, fuis quodque opportunitatibus infigne. OSGYANUM ad hæc memorabili clade Botskaianis per Bastam illata, nobilitatum est. Expugnarat castellum hoc colli impositum propter pagum nominis ejusdem Blasius Némethi; detrahendam opinionem victoriæ in vulgus hoc opere sparſæ, cenſuit Baſta. Ergo quem in Tranſylvaniam ductabat militem, quaſi ex itinere digreſſus, objicit Némethio, cæſiſque ad bis mille collectitiis, Blaſium cum paucis (tercentos fuiſſe accolæ narrant) peditibus in caſtellum compellit. Hic quia ſe parum tutum videbat Blaſius animatis ad audax facinus ferociſſimis quibusvis, ferro viam per medias acies parare decrevit. Verum circumventus, ac velut indagine clauſus interneſione deletis fociis, vivus ipſe in poteſtatem venit, ac juſſu Baſtæ quadrifariam ſectus eſt. Suppar Némethianæ temeritati erat SZABATKENSIVM Turcarum feritas. Conſtabat hæc munitio duplici vallo, admodum firmo, propugnaculis item, ac turri quadrata lapidea non contemnendæ munitioſis medium occupante, foſſa denique lata, & aquis plena. CCCC. hic ſe concluſerant barbari, quibus occidione occiſis, caſtellum quoque ſolo æquatum eſt anno MDXCIII. Caſtellis jure SAAGHUM accenſeas, opibus olim, præſidio, Præpoſitura Ordinis Præmonſtratenſium B. M. V. & Conventu, ſeu Tabulario Regni oppidum florens. Sacerdotio illi conſtituiſſe reditus Hunt-Paznános anno MCCLXVIII. e Tabulis conſtat; at quando, quave injuria Religioſiſſimus Præmonſtratenſium Ordo depulſus eo ſit, atque Archivium interierit? in obſcuro eſt. Suſpicari licet: mala hæc incidiſſe in annum MDLII. quo Eunuchus Aly, Ipolitanam regionem evaſtavit, SAAGHUM ſubjectis ignibus concremavit. Dati ab exceſſu Præmonſtratenſium SAAGHO ſunt ſæculares Præpoſiti, quorum neſcio, an non primus fuerit Matthæus Pokloſtyai, quem anno MDLIX. in SAAGHIENSI Præpoſitura confirmatum eſſe ab Olaho, meminit Timon in Epitome Chronol. editionis Caſſöv. pag. CLXXIX. Jam locum incolunt terni de Societate JESU Religioſi, ut, cum Neſolienſi tertiæ ejusdem Societatis Patrum Probationi reditus hinc miniſtrentur, non deſit ſpirituale pabulum ſubjectis. Ab incolatu Religioſorum memoratæ Societatis, oppidum hoc tantisper aſſurgere occipit; cui nihilominus multum de veteri cultu deeſt. Cætera Comitatus HONTENSIS oppida ne penitus præteream,

BATHUM mercatu ; BÖRSÖNY olim metalli fodinis, jam aucupio ; RIMA-SZOMBATH amplitudine, Calvinianæ sectæ potentia, ac non contemnendis privilegiis ; TISZOLCZ acidulis, ac ferri secturis ; SZE-BEKLIB rudibus, ac parietinis, prioris fortunæ indicibus ; NEMETH recens adeptis oppidi privilegiis memorabilia sunt.

§. VIII.

De Vicis Comitatus HONTENSIS.

UNde bis centum vicos connumeravi, quos finu suo complectitur HONTENSIS Provincia. Elegantibus Nobilium ædibus multi horum decorantur ; ea laude eminet Fanum S. ANTONII ad meridiem horario itinere Schemniczio recedens, amplo Castello Kohárianæ gentis, ac incolatu Excellentissimi D. Comitis Andrææ illustre. Vallis, qua rivus Schemniczienfis ANTALINUM delabitur, molis metallariis, secretoriis auri a scoria, liquatoriisque officinis instructa est, ingenti compendio Regii Ærarii. Iter, quod in Castellum ANTALENSE ducit, norunt apprime ærumnosi, ab Hera loci non largis duntaxat eleemosynis, sed amictu etiam donari quot annis majore numero, quam existimes, soliti ; quibuscum & nos bene precari dignum est, sæculi nostri Elisabethæ, sacras in ædes non minus beneficæ. HONTUM eo solo nomine memoriam sui petit, quod acceptum fors a vetusta Hunt-Paznániorum stirpe nomen indiderit toti huic Provinciæ. Dréghelyæ arcis collimitium est, assidetque, Ipolæ fluvii ripis. MAGYARADUM a thermis, concrecente in lapidem aqua, specu, sulphuris feraci, commendationem habet. Molli clivo MAGYARADUM intercipitur a SZANTONE, Cisterciensium Patrum vico ; in quo & Religiosi illius Ordinis domicilium, & insignis fons acidularum, saluberrimarum æque, ac sapidarum. Scaturiunt eadem intra SZUCHENSIA quoque, & PONDELOKENSIA pomæria. MAROSS (Slavi MARUSSAM appellant) Carolo I. ac Mathia Corvino Regibus cultissimum oppidum erat ; ad quod, Wissegrado in adversa Danubii ripa oppositum, Reges ipsi digredi solebant. PALASTUM, cognominis pervetustæ Equestris Ordinis Familæ hæredium, castello, elegantia plenissimo, ornatur. Posuit hoc Franciscus, in Excelsa Cancellaria Regia Hungarica Augustæ a consiliis. Vir pietate, zelo religionis, consilio, comitate,

la-

laborum tolerantia primis accensendus. Accessit PALASTO ad hæc memoria ab inauspicato Taiffeli cum Turcis prælio, quo Ductor ille captus cum nonnullis aliis militaribus Præfectis fuit, facile quatuor mille cæsi, cæteri disjecti. Evenerunt hæc ad annum MDLII. ac infelices Taiffeli, a fortuna deserti, casus tumularunt.

CAPUT QUINTUM.

DE COMITATU ZOLIENSI.

§. I.

Divisio, Opportunitates, Limites, Supremus Comes Comitatus ZOLIENSIS.



Montanorum Comitatum præcipuus ZOLIENSIS a Civitate veteri, aut Castro ZOLII, Hungaris ZOLYOM, Slavis ZWOLEN dicto, nomen accepit. Clauditur a septentrione alpibus, & calvis montibus, quorum pars ulterior spectat ad Liptoviam; ab ortu Comitatum Gömörïensem, & Hontensis eam regionem, quam minorem Hontum vocari diximus; a meridie majorem Hontum, sive tres alios Processus Hontensis Comitatus complexam Dynastiam, ab occasu demum Barsiensem, & Turocziensem Comitatum pro limitibus habet. Porrigitur in longum Brizno-Bánya ad pagum Domanik, quod spatium facile novem milliaria efficit, cum latitudo nonnullis locis ad quinque, alibi vix ad duo procurrat. In duas puta superiorem, & inferiorem regiones, quas Processus appellant, dividitur. Prior vix aliquid colit planioris agri, plusculum posterior; utrique tamen a metallis, aquis, venatu, sylvis, aëris salubritate, reliquisque commodis sua laus debetur. Supremi Comitatus dignitate præest ZOLIENSIBUS Illustrissimus D. Comes Antonius Eszterházy, quem una a consiliis suis habet Augusta.

§. II.

De Liberis , Regiis , Montanisque Civitatibus
BRIZNO - BANYENSI, ET LIBETHO-
BANYENSI.

EXtrema ZOLIENSIS Provinciæ, qua Gömörienfem attingit, prima, quam Granus alluit, Civitas BRIZNO-BANYA est. Nomen ei a Betulis, Slavico fermone Breza vocatis, Urbis olim occupantibus locum, adhæsit. Retrusa est Neofolio quatuor miliaribus, obtinetque locum facile tota Hungaria ovilibus opportunissimum. Hinc præcipua ei laus a cafeo, lautioribus quoque mensis digno; nam de reliquo sterili agro est, maligne red-dente fructus, nisi multo lætamine subigatur. Metallorum secturis aliquando navasse BRIZNENSES operam, argumento est adjecta BRIZNÆ vox BANYA, quæ metallarium puteum, seu fodinam significat; verum quodnam metalli genus eruerint, nescio, an præter Timonem in literas retulerit alter. Hic autem in Imagine Antiquæ Hungariæ Lib. I. Cap. XIV. pag. CX. de Quadorum Ferrariis ita scribit: „ In territorio BREZNENSI sunt anti- „ tiquæ illæ (nempe de quibus facit mentionem Tacitus, cujus locum ex- „ ponit) Quadorum Ferrariæ, ac in latere Boreali veterum Montium ad „ Rosenbergam in Liptovia. „ Floruerit sane olim ferri proventu, oportet, ut in Regiarum censum civitatum venire mereretur indulgentia Ludovici I. anno MCCCLXXX. cujus exemplum secuti sunt Sigismundus, Matthias II. & Ferdinandus I. quorum isto rerum potiunte muris cingi cæpta est anno MDXXXVIII. Præter Paræcum, habet Domicilium Patrum Piarum, Scholarum, a quibus ætas tenerior ad mores Christianos, & scientiarum rudimenta formatur. Æquali ferme intervallo infra BRIZNO-BANYAM ac Neofolium orientem versus jacet LIBETHO - BANYA, Montanis & ipsa Regum Civitatibus accensa uno ante Briznam anno. Gloriatur multorum Regum gratiis; soli felicitate, metallorum ubertate, aliisve oportunitatibus non item.

§. III.

§. III.

De Civitate NEOSOLIENSI.

Tertia ZOLIENSIUM, secundo Grano, Civitas NEOSOLIUM, pulcherrima Montanarum est. Appellatio videtur profluxisse a Neü-Sool (quibus Novum Palatium significant Germani) quod cultæ Urbis istius ædes, a Saxonibus lustro fortasse V. sæculi supra decimum tertii construi cæptæ, quandam Palatiorum speciem exhibere visæ sint, collatæ mapalibus Villæ Novæ Slavorum, qui ante hunc locum insidebant. Exordia hæc ut firma sint, ante annum tamen MCCLV. in Urbibus non fecisse numerum pro certo habeo. Secus enim Bela IV. Diplomate eum in finem edito se non conferre, verum confirmare Privilegia *Bisatricensium* testatus fuisset. Positum est NEOSOLIUM in confluxu Grani, ac limpidi non minus, quam celeris cursus amnis Bisatricæ, a quo lingua Slavorum BISZTRICZA, Hungarorum BESZTERCZE-BANYA vocatur. Subjacet latitudinis Geogr. gradui 48. cum 40. minutis; longitudinis vero gradui 43. cum duodecim minutis. Divellitur Schemniczio ad septentrionem IV. miliaribus, Cremniczio tribus ad ortum, quadruplici suburbio, cupri-fabrinis, sacrarum ædium ornato, civium humanitate, Collegio S. J. pietate Josephi I. Regis Apostolici dotato, cum jam anno MDCLXXXIX. Præposituram Saaghiensem ejusdem Religiosi Ordinis Patribus Tertiæ Probationis Leopoldus M. donasset; ipsa vero Societas ab anni MDCXLVIII. die I. Maji in horrentem hæresum tribulis agrum hunc, Cremnicziensem, Schemnicziensem &c. operosas procurfiones per vices faciendo, inquilina coluisset. Cohæret Sociorum Domicilio Tempellum Christi Nutritio sacrum. Procurant iidem quinque alia: duo ad S. Spiritus, totidem Arcis, ac Elisabethinum Odæum. Posuisse hoc postremum crediderim primos civitatis conditores Saxones, a quibus & Xenodochium adjectum, reditibusque cumulatam fuerit, quos jam usurpat Civitas, ut ajunt, non ingratis Regum, & sat arctis limitibus circumscripta, ne profanis usibus addicat, quod majorum pietas sacris devovit. Crescente urbis fortuna, de augustiore Basilica consultare cæperunt Saxonice NEOSOLIENSIUM colonix, facileque coivere in molis illius Assumptæ in Cælos Deiparæ constructionem, quæ jam in modum arcis ambitur fossa, muris, ac turritis propugnaculis. De anno jacti primi lapidis

magnum diffidium est inter Scriptores. Nam unus (quanquam nullo fatidoneo fultus momento) ad annum MCCC. initia vastissimi operis refert; alii ad exitum sæculi XV. Facit ab his, quod Michael Königsberger, pulcherrimæ ædis conditor, exquisitissimo illam sacro apparatu (cui parem universo Hungariæ Regno nequicquam quæsieris) ditavit, contecturus haud dubie prius eandem cupreis bracteis (quod ultimis tabulis faciendum constituit) si tot ante stetit annis. Alioqui nulla sunt, quod sciam, ampliatae ædis, perquam concinnæ, indicia, quibus piissimo Michaeli, Regiarum tunc fodinarum Curatori, honor Fundatoris detrahi possit. Mille centenarii feruntur cupri infumpti in tectum fuisse. Spoliata hoc ornatu est ædes facerrima octo retro annis, inductæque totius (quam vocant) navis tecto scandulæ, quod ærarii civici curatoribus videretur, minore sumptu grandem illam molem ligno contegi posse, quam vi ventorum excuffas aliquot laminas reparandas reponi. Augustissimo sacræ ædis operi nihil non respondet: Baptisterium ex ære solido fustum habet; organum inusitatae molis, ac præstantiæ, dum esset, qui norat plurima instrumenta musica uno illo effingere; majus (secundum alia) campanum æs quingentas supra septem & decem mille libras appendens; sacra vasa, cruces, & quod caput omnium, gemmis gravissimi sacri amictus. Mirabamur aliquando, Paludamentum sacerdotale, cujus vespertinis in officiis usus est, paulo brevius esse, quam ut reliquo ornatui congruat. Repositum nobis, quod passim aliis: dum Templum hoc obtinerent Lutherani, atque sacer thesaurus in potestate Prædicantium esset, dedisse id suo in uxorem amori unum eorum, ut duorum Apostolorum (qui hodieum desiderantur ad complendum duodenarium numerum) faberrime compactas de gemmis icones, rescinderet, uxorio mundo inferendas. Luisse crimen ferunt poena capitis, per ipsos heterodoxos dictata, sacrilegum. Narrationi huic ut fidem nolim undique affirmare; at si ea fuit Judicum sententia, est profecto, cur eam probem. In Königsbergeriana, quam descripsimus, Basilica, conciones fiunt Germanicæ duntaxat; pro Slavonicis vero intra ambitum arcis ejusdem constructum est minus Templum, iis, opinor annis, quibus collidebatur utraque natio, diffidiis non ante posituris, quam Saxones ipsius Pro-Regis (quem arbitrum petierant) spreto iudicio in poenas, Regni tabulis anno MDCXIII. insertas, sese induissent, mitiora post consilia secuti. Olim auri fodinas in territorio NEO-

SO-

SOLIENSI cultas fuisse meminit Tollius, suntque adhuc quædam earum indicia; verum his fortasse malignius operæ pretium reddentibus, in eruendo ære Cyprio labor ponitur. Sedes ærarii hujus Vallis-Dominorum est duarum fere horarum itinere pedestri remota NEOSOLIO occidentem versus. Hæc urbis Regio iisdem prorsus gaudet Privilegiis, quibus ipsi cives, mœnibus conclusi. Sacra faciunt terni de Societate JESU, quibus large admetiuntur sacras occupationes Montes Veteres, ac diffitissime sparsa aliquot centum carbonariorum tuguria. Duo hic naturæ sunt beneficia; alterum Chryfocolla, relictum cupri virentis sedimentum; alterum mutati (si Superis placet) in cuprum ferri miraculum. Metamorphosi huic vulgo persuadendæ occasionem præbet, quod, quam immerferis rivulo ferri formam, eandem cupri post hebdomadas aliquot sis recepturus. Istud porro commodissime, ad mentem P. Kircheri mundi subterranei Lib. X. Sect. III. in id retuleris, quod per aquam, vitriolo (quo pleni sunt isthic montes) imprægnatam successive exedantur ferri particule, quarum locum occupant cupræ, atque ita & ferro succedit cuprum, & vix tenuiter mutatam recipis figuram. Certe nihilo diversa est conglobatarum molecularum in succedente ferreæ v. g. solæ cupri compositio ab illa, quæ æqualibus ligneis adhærescit. Qui ajunt: intra trimestre centum libris non multo plus ferrearum laminarum in cuprum verti posse; avara manu calculum subducunt, nisi exiguo locorum spatio eximium hoc naturæ munus circumscribant; constat enim plura librarum millia id genus cupri colligi posse, & vero etiam solere, quot annis. Tot inter illustria sua compendia decoraque fœdissimo contaminata probro est, civitas NEOSOLIENSIS, dum Bethleniana accepisset hospitio Comitibus anno MDCXX. Nihil his magis absonum, nihil Hungaria Christiana vidit a suis moribus magis alienum. Communi confœderatorum nomine destinatur ad barbarum Legatio, munera parantur, quibus in exitium Patriæ societas armorum confletur. Legitimo Domino subditi dicam scribunt; Regem sacro-sancto Diademate redimitum, dignitate exuat; a Romanis alienum sacris exauctorato sufficiunt; Archi-Episcopum Strigoniensem, & cum eo optimum quemque exilio mulctandum decernunt. Scenicus Rex Bethlemius, forte mero æstuans, inter secundas mensas sacrum illud Hungariæ Palladium inferri jubet; eo viso: En, inquit, & Coronam Regni Hungariæ habemus; quis est, qui illud mihi imponet? Ad quod

quod ministellus Calvinianus: Ecce me, ait Domine. Rejecit cum stomacho impudentem vernam Bethlemius, sibi que Apostolicum Diadema imponere tentat; at omine sinistro. Nam lingua, & manus officium negat, suoque exemplo discit profanus, quantæ sit DEO curæ cœleste illud Mariani Regni Cymelion. Hac eadem in urbe cufa fuit anno MDCLXVII. teste Szent-Ivánio, faba illa tristium Hungariæ factorum, quæ Tökölianum denique in tumultum desiere.

§. IV.

De Vetere ZOLIO.

ZOLIUM vetus, jam communius VETERO-SOLIUM dictum, Libera, Regia, Montanaque civitas est, ac ZOLIENSIS Comitatus Hungaris Zolyom-Vár-medgye, Slavis Zwolenszká Stolicza, caput. Antiquitas ejus tum ex ætate Neofolii, tum e tabulis elicitur, quas, dolor est, ita in scriniis corrumpi, ut protrahi publicam in lucem non possint. De fodinis, quas coluerit hæc civitas, nihil habeo dicere. Dignitatem urbis Montanæ emereri poterat, si suo sumptu in alieno territorio metalla eruebat. Adulto sæculo XIV. iis instructa erat ædibus, ut indicta isthuc a Ludovico I. Polonorum Comitibus hospitio accipere possent. Amabat in ea hospitari, quoties se in locis circumpositis venatu exercebat Corvinus Rex; per cujus Nothum Joannem, vivo dum Patre, ZOLIENSIIUM Comitem, emoto Giskra Bohemo, subjectis ignibus incinerata est, ne quid superesset e congestis in hoc rapinarum receptaculum, quod animum Bohemorum follicitaret, urbis repetendæ, quinquennali maleficiorum officina depravatæ. Ager ZOLII nostri felicior est, Neofolienfi, a quo duobus milliaribus secundo Grano recedit. In vicini montis, a Pineto, Juniper e Jove nuncupati, crepidine, prout in Prodromo suo annotavit Marfillius, testis oculatus, reperiuntur fata aurifera, sive filamenta auri, culmis aristarum implexa, quod auri genus putum, Germanis Gediegen-Gold dicitur. Causam hujus ditissimæ messis repetens ille, ait: Halitus quosdam subtilissimos vaporum, e terra expirantium, in aëre circumagi, ac tandem capreolatim ad culmos aristarum quodammodo insilire. Affine est, quod refert Tullius, se nempe vidisse id genus aureum filum, in annulum, orbe triplici, contortum, cujus particulam sibi dono datam grata animi contestatione

gra-

gratulatur. Amplius quiddam vidit ætas nostra. Nam paucis retro annis canabis, herbidas inter, excrevit aurea, cujus radicem dum vestigaret agri dominus, contorta in glomum fila, seu bene protensam auream virgulam, quæ paulo tenuiorem canabem densitate æquabat, reperisse fertur, ejusque partem, ulnæ minoris longitudine, Schemnicziensi cuiquam Dominæ, adhuc superstiti, donavisse. Hæc de agri felicitate. Urbicula tenuis est, nec admodum superbis ædibus instructa; habet unum duntaxat Templum, extra sacellum arcis, civitati conjunctæ. Est hæc in ditione amplissimi stemmatis Eszterháziani non tam ad vim hostium reprimendam, quam herilem habitationem comparata. Exhibet hodie dum nonnulla Corvinianorum conclavium indicia. Ad finem hæc scribendo deduxeram, quum affertur ad me aureus nummus hac notatus Epigraphe: MONET. AUREA CIVIT. ZWOL. In adversa parte spectatur effigies Ferdinandi IV. militari in habitu, corona redimiti, Regale pomum sinistra gestantis, & gladio accincti. Infertus est interiori circulo annus 1656. exteriori vero circumfunditur inscriptio: FERDINA. D. G. RO. I. H. BO. † Quam hinc ZWOLENENSI Civitati recte affirmetur Monetaria? suum quisque sequatur sensum.

§. V.

De Civitate CARPONENSI.

Quinta Regiarum, Liberarum, Montanarumque ZOLIENSIS Comitatus Civitas CARPONA. A Carpise populis, Carpati, haud procul a Danubio accolis, an a Carpione (Cyprino) in præterlabente rivulo præter morem capto, dicta sit, non definio. Primum arridet sciolis, alterum probat nomenclatio Germanorum, quorum sermone CARPONA Karpffen nuncupatur. Præcipuam habet a vetustate laudem, cum de cætero nec amplitudine, nec ædium elegantia præstet. Alluitur amniculo Krupnitza, de quo fors nomen urbi huic fecere Slavi Krupina. Firmatur duplici propugnaculo, sat olim robusto, ut Turcis, interiores Hungariæ plagas insidentibus finitima, eorundem audaciam non semel eluserit, fregeritque. Templum Paræciæ, quod urbi in colliculo adjicitur, post ultimos motus domesticos hæreticis ereptum est, atque a Curione Paulo Olafz, post Canonico Strigoniensi, ac Almifiensi Episcopo, pristinum in florem repositum,

fitum, & pluribus (nam amplum admodum est) Divorum aris adornatum. Idem hic vir Illustris nobilitavit CARPONAM Patrum Piarum Scholarum Domicilio, a quibus juvenus bonis literis, moribusque imbuitur. Primam Civitatis hujus ætatem suos ad natales reducere, ut laborarim, nequivi. Bela IV. Rege in formam Privilegii redactæ sunt CARPONENSIVM prærogativæ, ac immunitates, cujus partem ideo huc conjicio, ne hallucinentur lectores, si quando vetustioribus in diplomatis Hospites Villarum legerint. His enim nominibus cives, ac Regias Civitates significari non obscure significat hoc diplomate Bela, dum eximendo Jurisdictioni Comitum ZOLIENSIS, atque adeo Comitum Curialis subjectioni CARPONENSES incolas (nequid addam de reliquis Privilegiis, quibus in Civitatum Regiarum ea ætate veniebant oppida) Hospites, Civitatem Villam appellat. Verba Regis sunt: „Fidelium Hospitum nostrorum, de CARPONA, supplicantium Nobis, ut Privilegium ipsorum, tempore Tartarorum amissum, eis iterato condi juberemus, - - item quod, judicem de eadem VILLA (puta CARPONA) quemcunque voluerint, libere sibi assumant &c. „ Agrum CARPONA sic satis commodum colit; fructibus præstantissimis abundat, vino austero, nisi acidum malis dicere, temperantiæ, sobrietatisque amorem ingenerat; faminarum cum cacodæmone impiis commerciis famosa habetur. Erat, cum & mihi non absque horrore quodam e medio hominum, januisque clausis, unam CARPONENSIVM Matrum, nemine adstantium qua elaboretur, observante, disparentem notare contigit, dum a pertæso scelestissimas coitiones marito de maleficiis arcefferetur.

§. VI.

De Arcibus, Castellis, Oppidis, ac Vicis Comitatus ZOLIENSIS.

IN unum hæc omnia locum conjicimus, quod nihil admodum peculiare habeant, quod quidem in nostram venerit conscientiam. Ultra jam memoratas Neo- & Vetero-Soliensem arces, sunt LIPCSENSIS, & VIGLESIENSIS, nec non rudera vetustioris Vetero-Solienfis, ac Dobroniwenfis. LIPCSENSIS in edito sita est saxo, imminetque oppido cognomini, olim hæredium Lipscianæ Familiæ, post Verböczii, Legum Hungaricarum

carum compilatoris ; tum Vesselenii , a quo ferarum vivariis , pomærio prætenfis , instructa erat. In duas divisa est regiones , superior habet puteum altissime depressum , sed cujus aquæ longo torpore jam corruptæ sunt ; inferior salientem fontem , nec quidquam præterea exquisitum. Castella novem hodieum coluntur , BADVANENSIA , MITSINENSIA , GARAM-SZEGHIENSIA , tergemina , dicere volo : in singulis horum locorum bina , tum KIRALY-FALVENSE , OSZTROLUKENSE , & HAINIKIENSE , denique rudus DUBRAVICENSE. Novem pariter numerantur oppida. RADUANUM , Neofoliensi suburbio conjunctum , vetustæ Equestris Ordinis e Polonia oriundæ præpotentis Familiæ in Hungaria natale solum ; TOTH-LIPCSE , a Slavis primis possessoribus ita cognominatum ; DOBRONIWÆ , BABA-SZEKO , NEMET , ac TOTH-PELSOCZIO collectim acceptis oppidis concessere Reges jus gladii ; NAGY-SZALATNYA , & OTSOWA pollent agri bonitate ; PONIKUM plumbi , ferrique mineris. In vicis amplitudine eminent DETVA , in territorio Otfoviensi non ante integrum sæculi alterum sæculum. Nec plura de his , quamvis & thermas , & acidos fontes , & ferarum genera , plurimaque naturæ arcana e montium visceribus , per octo supra octoginta pagos , minoresque vicos Comitatus hujus non raro eruta referre posset , qui plusculum otii nancisceretur.

CAPUT SEXTUM.

DE COMITATU THUROCZIENSI.

§. I.

Positus, Partitio, Fines, Supremus Comes Comitatus THUROCZIENSIS.



Mutuatur Comitatus THUROCZIENSIS nomen a fluvio cognomine , qui eum , quam longus est , interluit , aut arce THUROCZ vel Turuch , jam ZNIO dicta. Arridet hæc derivatio recentiorum Scriptorum nonnemi , præpore illa , ob Comitatum Hungaricam significationem , quam ab arcibus mutuatur , ut in proposito themate Túrócz - Vár - Medgye , Comitatus

TUROCZIENSIS, idem fit, ac TUROCZIENSIS castrum limes. Mihi succurrit hoc in favorem oppositæ opinionis, quod Comitatus hic noster (ut ne reliquos in subsidium hoc loco adsciscam) suis limitibus definitus ante fuerit, quam erigendæ arcis TUROCZIENSIS cogitatio fit suscepta. Nam Hungariam quidem suos in Comitatus ætate S. Stephani divisam fuisse satis exploratum est; ex adverso castrum TUROCZ initia refert ad sæculi XIII. mediam ætatem, quod infra dicetur. Verum istud veluti ob iter. Provinciola hæc sylvosis montibus, quasi septa horti refert figuram, tot areolis, quot vicis, oppidisque distincta. Habet vicinos Comitatus Trenchiniensem cum Arvensi a septentrione, solum Trenchiniensem ab occasu; a Meridie Barsiensem & Nitriensem, ab ortu Liptoviensem cum Zolienfi. Æquat longitudine quatuor milliaria, totidem fere latitudine. Hac exilitate cum sit, dispescitur nihilominus in quatuor Regiones: Blatniczensem, Moschoviensem, Szklabiniensem, ac Znio-Claustrensem. A castro totius Comitatus principe fertur denominata fuisse Turocziorum gens quondam incluta, quæ summa rerum hac in Provincia potiebatur, cujus jam vix memoria superat, nec scio, an fide Diplomatum Familiam illam floruisse firmetur. Unum Nicolaum Thuroczium lego Supremi Comitatus THUROCZIENSIS, ac Magistri Curie Regiæ sub Ferdinando I. munere functum fuisse; at is non de castro TUROCZ, verum de Szent-Michály gentilitium cognomen habebat. Excepit hunc in dignitate Supremi Magistratus istius Comitatus pervetusta Révaiorum Familia, quod axioma insigni cum laude sustinet Illustrissimus D. Comes Petrus, Majestati Regiæ a Consiliis.

§. II.

De opportunitatibus, cum primisque proventu olei Comitatus TUROCZIENSIS.

Nullam suam intra ambitum Urbem Regiam habent TUROCZIENSES; id quod magno accidit incommodo. Ufu enim compertum est, eas regiones opibus præpollere, quæ frequentibus ornantur Civitatibus; quod in has ruris fructus plebs vicina convehat, ac pretium laboris recipiat. Conantur huic incommodo TUROCZIENSES occurrere, cumque agrum anguste admensum nec fertilem habeant, pecus ad hoc non plurimum, vi-

tem

tem nullam; a furnulis, in quibus e cumino, baccis pini Carpaticæ (Libanum illi vocant) & canahylo, Germanis *Krumboltz*, Slavis *Kofzodrewo*, excoquant, & mira dexteritate per remotiora etiam Regna divendunt. Saluberrimum, & citra controversiam omnium, quæ habet Europa, præstantissimum est Carpaticum, e falcato, quod dixi, ligno elicatum, indeque a Slavis *Kofzodrewinowi Olej*; a Germanis *Krumholtz-Oel* appellatum; cujus mira vis est ad medendum vulneribus internis perinde, ac externis, cæterisque morbis, ut innumeris ipsemet didici exemplis. Id moneo: ut non omne, quod avidi pecuniarum dicunt infitores, sibi constat; sic loco carpatici vendunt TUROCZIENSES sæpe de Baccis Pinearum excoctum oleum, pauculis carpatici guttulis delibutum. Sua & huic laus est, ac vis medendi; multo tamen remissior priore. Cœli temperies, hic, si usquam saluberrima, fontes lapidi, amnes piscosi, colles, pascendis gregibus lanigeris, accomodatissimi, ubi aprici, acidulæ, thermæ, cætera.

§. III.

De Arcibus Comitatus TUROCZIENSIS.

Res arces, cultas omnes, ac editis jugis impositas, habet terra TUROCZIENSIS; BLATNICZAM, SZKLABINAM, & ZNIONEM. Primam Templariorum fuisse vulgi est opinio; dudum una cum SZKLABINENSI transit æterno jure in ditiones pervetustæ Révaïorum Familiæ. Substructiones utriusque suis dignæ sunt Heris; at SZKLABINA habitationes plures habet, quæ Regibus ipsis aliquando præbuerunt hospitium, quemadmodum edita hic Diplomata, & Gentilitia Corvini arma, portæ apposita condocent. Neutrius harum novimus ætatem primam, vel conditores, nisi quid Slavos fuisse, nomina ipsarum prodant. At ZNIONIS, sin minus initia, certe Auctorem tum Petri de Réva fide, Commentarii de sacra Hungariæ Corona Centuria III. tum Belæ IV. Diplomate testatum habemus. Verba Regis, dato in favorem Magistri Andreæ, filii Iwanka, (a quibus propagatum est genus Forgachiorum) Diplomati anno MCCLVI. inserta sunt sequentia: „ Ad hæc, idem Magister Andreas, jugi laborum instantia, & sollicitudine diuturna Castrum Thurocz munitissimum fecit construi. „ Porro ne istud diversum a ZNIONE suspiceris, Révaianam in subsidium narrationem voca. Is autem loco

citato utrumque arcis nomen exprimit : „ Castrum THUROCZ, in-
 „ quit, apud veteres illius ætatis eo quoque nomine clarum habebatur,
 „ quod tum Regi, tum plerisque, eo (nempe ad Sajonem amnem infeli-
 „ cissime gesto cum Tartaris) bello profugis, & fugæ & salutis certissimum
 „ præbuisset asylum, cujus in hunc usque diem vestigia, & rudera super-
 „ sunt, ædificium nempe quoddam, turris instar, in loco excelso, ZNIO
 „ appellatum; quod virtutis Forgachianæ memoria conservat. Iwanka
 „ namque fundamenta munimenti illius jecerat. „ Ita Illustris ille Scriptor;
 consulto opinor, prætermittens rimari causas metamorphoseos THURO-
 CZII in ZNIONEM, tanquam arbitrato Viri gravis parum dignas. Eo
 magnopere posteros devinxisset, si ad nostram memoriam literis transmi-
 sisset: qua demum ætate, quibus auctoribus, quo scelere in rudus abierit
 castrum, in quo salutem, alter ille Fundator Hungariæ cum superstitibus
 atrocissimæ cladi Proceribus, repererat, existimo, cladem eam referri
 oportere ad Ferdinandi I. tempora, quod secuti Joannis de Zápolya partes,
 qui castrum hoc præsidio tenebant, non ante ejus possessione decedere vo-
 luerint, quam eam muris ipsis mulctatam vidissent. Passa multum est resi-
 dua e vasto castro ædícula a Tökölianis, quibus obsidentibus quum grandia
 damna intulissent septeni (nisi labor memoria) propugnatores, post reje-
 ctos sæpius assilientes, tandem, concipiente flammæ tecto, obruti, ea
 experti sunt ab heterodoxis, quæ barbarum quid scaperent media in Africa,
 & scribere calamus erubescit.

§. IV.

De Præpositura & Conventu B. V. M. ZNIO- VARALLYENSI.

ARci ZNIO subjacet tenue oppidum ZNIO-VARALLYA, commu-
 nius a Religioso Domicilio CLAUSTRUM nuncupatum. Intra hu-
 jus Pomæria illustrem Præmonstratensibus erexit Præposituram B. V. M.
 Hungarorum Patronæ, anno MCCLII. in perenne monumentum benefi-
 ciorum a DEO, precibus sacratissimæ Virginis, his in locis acceptorum
 Bela IV. En exordium Diplomatis, quo piissimi Regis animum metiare:
 „ Quanto, ait, propensiori cura Divinæ dignationis multiplicata circa nos
 „ insignia recensemus, & beneficiorum JESU Christi, ac præcellæ Geni-
 „ tricis

„ tricis ejusdem gloriosissimæ Virginis **MARIÆ**, & Regni nostri Advo-
 „ catæ magnitudinem devotæ mentis libramine ponderamus; tanto flagran-
 „ tioris affectus studio circa ea intendimus exequenda, per quæ Domini
 „ nostri **JESU** Christi gloria extrinsecus in se, nostro indigens adminiculo,
 „ apud homines sublimetur. „ Constitutæ hoc pacto Præposituræ acces-
 sit annis vertentibus Rgni Tabularium, cujus non una est in Comitibus men-
 tio. Motis locis possessione Præmonstratensibus, Sacerdotium in potesta-
 tem Laicorum venit, quibus ut ereptum est, mansit aliquamdiu in ditione
 Prælatorum secularium, dum ab obitu Stephani Radetii, Agriensis Episco-
 pi concederet voluntate Rudolphi II. ac annutu Papæ in jura Collegii Tyr-
 naviensis S. J. anno MDLXXXVI. Non diuturna fuit hæc Sociorum pos-
 sessio; nam ea principio Botskaiani tumultus exciderunt. Non refert æquif-
 sima Religiosæ illius Familiæ, jura, & insectationes heterodoxorum percen-
 sere; pace jam fruuntur, nec solum æternæ vitæ alimoniam præbent iis, a
 quibus accipiunt temporariam, sed insuper bini e tribus, quatuorve TU-
 ROCZII hospitantibus munere Conventualium fungentes (nam cæteri, qui
 hoc munus obeunt Præposituræ Paræci sunt) plurimum commodant Regno.
 Excitatus eorundem pietate subjecto in colle arci **ZNIOTANÆ**, est hac
 ætate mons, patienti Servatori facer, ad quem per sextas potissimum verni
 jejunii ferias vicinia confluit religionis causa.

§. V.

*Cætera Oppida, præcipuique Comitatus
 TUROCZIENSIS vici.*

Oppida sex accenso Varallyensi, vicos septem & nonaginta numerat Co-
 mitatus TUROCZIENSIS. **MOSSOVIA** incolarum frequentia;
SZUCSANUM amplitudine; **SANCTI MARTINI** Fanum Conventu
 Nobilium, ad Provinciæ Comitibus huc confluentium; **TOTH-PRONA**
 rudibus castri, **Belehrad** (Alba arx) hodie dum appellati, in adfite colle
 sparfis; **TURAN** situs amœnitate, memoriam emerentur. Accedit ad or-
 natum oppidi **S. MARTINI** Templum non inelegans, & ob visenda ali-
 quot Révayorum monumenta, non raro a Sectariis quoque frequentatum.
 Duo ætate priora huc transferendo non ægre faciemus amico Lectori. Unum
 eorum **Francisco I.** posuere Filii in hæc verba:

D. O. M.

D. O. M.

FRANCISCO DE REVA COMITI COMITATUS TUROCZIENSIS, AC LOCUMTENENTI OFFICII PALATINALIS REGNI HUNGARIÆ. VIRO PIETATE, ET INTEGRITATE, AC LEGUM SCIENTIA CLARISSIMO; QUI A CLADE MOHACSIENSI, QUA LUDOVICUS HUNGARIÆ REX, PROH DOLOR! INTERIIT, PARTES FERDINANDI IMPERATORIS, ET REGIS SECUTUS, MULTA TAM IN RECUPERANDIS, NISI FATA OBSTITISSENT, BUDA, ET ALBA, QUAM ALIIS GRAVISSIMIS, NON SOLUM HUNGARIÆ, SED TOTIUS REIPUBLICÆ CHRISTIANÆ NEGOTIIS, EIDEM REGI PRÆCLARA FACINORA PRÆSTITIT. MICHAELI ET FRANCISCUS DE REVA, FILII, ET VIRTUTIS, ET FORTUNARUM HÆREDES PATRI PIENTISSIMO P. C. VIXIT ANNIS LXIV. OBIIT ANNO CHRISTI MDLIII. DIE I. NOVEMBRIS.


Alterum non minus elegans, ac peræque, uti superius, vexillo inscriptum Epitaphium, continet laudes magni illius Duum-Viri Petri I. Scriptoris non inveniisti.

SPECTABILIS, ET MAGNIFICUS DOMINUS DOMINUS PETRUS DE REVA, SUPREMUS ET PERPETUUS COMES COMITATUS THUROCZIENSIS, DIVOR. QUOND. IMPERAT. RUDOLPHI MATTHIÆ, ET MODERNI FERDINANDI II. CONSILIARIUS, TUNCQ. AULÆ, JAM VERO DAPIFERORUM MAGISTER CONTINUIS XIV. ANNIS CORONÆ REGNI HUNGARIÆ CONSERVATOR. PIETATE ERGA DEUM, FIDE ERGA PRINCIPES, AMORE ERGA PATRIAM, PRUDENTIA IN OFFICIIS, BELLO, PACEQUE REBUS GESTIS CLARISS. IN IPSO SACRÆ CORONÆ CONSPECTU TRINCINII HOSPITANTIS, PIE VITAM MATURAM, CUM MORTE IMMATURA COMMUTAVIT, SUMMO TOTIUS REGNI, SUORUMQUE DESIDERIO. V. JUNII ANNO MDCXXII. ANNO ÆTATIS SUÆ LV.

Hæc, & plura ibi, in adversa parte vexilli, sât propitio Apolline cantata, quæ studio brevitatis omitto. Pagi, qui memorabile quidpiam habent, id fere a montibus, cavernis, ruderibus, aquis mutantur. Et acidularum quidem fontibus feni lætantur. BUDISCH, DUBOWE, JAHODNIK, SCHAWNITSCHKA, TOTH-PRONA, ZARKOCZ.

Pri-

Primarum scaturigo tam amœno est positu, ea limpiditate, nihil ut aspectu jucundius inter delicias fontium in eo desideres. Congruit sapor, ac salubritas; quare nemo hinc hauserit, quin lætissimum fontem multo coronet encomio. Suppar *Hayensium*, quas jam nemo non STUBNENSES vocat, laus thermarum, commodis lavacris, ac hypocaustis instructarum. Ajunt nonnulli, annum circiter MDCLXVI. Pro-Rege Francisco Vesselinio fuisse cudi cæptam, in Regis, ac Regni perniciem nefariæ proditiõnis fabam, magnorum subinde interitu famosam, STUBNENSIBUS in balneis sub papilione, rosam referente; unde natum sit diverbium, ut, quæ arcanissima esse volumus, SUB ROSA dici moneamus. Alii conjurationem illam apud Trenchinienses primum emeruisse contendunt, in transversum agente Pro-Regem virum Maria Széchia; quæ proinde non immerito culpam hanc luit, custodiæ ad obitum usque mancipata. Ruderum (ut & hoc dicamus) præcipua sunt VISSEGRADIENSIS, & DRIENOKIENSIS arcium, quarum illa in crepidine cognominis præcelsi montis, hæc in Moschoviensi jugo eminebat. De grandibus per plurium vicorum, Stubnæ collimitaneorum, agros sparsis parietinis, nihil pro certo affirmaris. Amplissimam Urbem fuisse, nemo non dicat, qui eas lustravit. Vero proxime videntur accedere, qui hic metantur GORMANUM, vastissimum veterum Slavorum municipium. Germanetzius (aliis Harmanetzius, & Gormanetzius) mons præaltus fidei nonnihil conciliat ista componentibus, quod rudera hæc ad ejus radices passim emineant. Non reclamât Ptolemæus GORMANI positum describens.



CAPUT SEPTIMUM.

DE COMITATU TRENCHINIENSI.

§. I.

Positus, amplitudo, fines, opportunitates, Supremus Comes Comitatus TRENCHINIENSIS.



Uperatis Turocziensis Provinciæ claustris, directoque ad occasum itinere Comitatus TRENCHINIENSIS occurrit, quintus a primo totius Regni, si cum censu, in publicum conferri solito, æstimes; si florentium utraque in republica virorum pretio, nescio, an ulli secundus. Attingit Moraviam ab occidente, Silesiam & Poloniam a septentrione, ab ortu Turocziensem, a meridie Nitriensem Comitatum. Funditur per utramque Vagi (veteribus Cusi) ripam, non parum procurrens Kiszuczensi districtu ad extimos Hungariæ fines, qua spectat aquilonem, qua verò Vaganæ vallis angustias transgreditur, integro BANENSI Processu se intra Comitatum Nitriensem insinuat austrum versus. Hinc si ambitum metiare, sex & triginta circiter æquat milliaria, in longum porrectus facile tribus supra decem, latitudine nullo non loco inæqualis, his senis, alibi quaternis, mox paucioribus circumscriptus. Agro, qua planatur, ubere ac fœcundo est; ubi assurgit in montes, industriam coloni exercet. Abundat sylvis, rivulis piscosis, vallibus lætissimis, collibus apricis, ac vitem ferentibus, ut nec ad delicias honesto loco nati quidquam desiderent, nec suis colonus destituatur opportunitatibus, seu ruris opes, secundo Vago, quo lubuerit, devehere, sive quæstu lucellum facere velit. His instructa commodis Provincia præpotentes omni ævo habuit Dynastas, ad quos summa Reipublicæ attinebat. In his famosus ille Matthæus Trenchinienensis, Petri Filius, Striborius, de Striborich, Zapolyani, ac, si recte memini, ab anno MDLXXXVI. Illesháziani; de quorum avita Domo Excellentissimus D. Comes Josephus, Hæreditarius in TRENCHIN, Liptoviensis una Comitatus Supremus Perpetuus Comes, S. C. R. Majestatis Intimus Actualis, & in Excelsò Consilio Locumtenentiali Regio Consiliarius, nec non Regalium per Hungariam Dapiferorum

Ma-

Magister in quintum supra vicesimum annum Provinciam hanc, nupero hosti finitimam, summa providentia, singulari dexteritate, comissima (qui summorum quorumvis virorum character est) affabilitate, religionis studio, imorum, summorumque approbatione gubernat.

§. II.

De Arce TRENCHINIENSI.

Laudatissimæ, cujus descriptionem aggressi sumus, Dynastiæ, Libera, Regiæque Civitas, aut verius arx TRENCHINIENSIS nomen impertivit. Subjacet hæc latitudinis gradui 48. cum minutis 50. longitudinis 41. cum minutis 39. Antiquam hic Romanarum legionum stationem, coloniamve fuisse, eruit, e quibusdam Romanis uncialibus literis, teste Istvánffio Lib. IX. Histor. cotibus incisis, ac veterrimæ illi Terentianæ turri, cor superioris arcis occupanti insertis P. Samuel Timon, illustre Comitatus nostri decus. Est cur dolcamus, insigne hoc monumentum præfente anno magna sedulitate quæsitum, minime tamen repertum esse. Ætas castrum adhuc in obscuro est. Terentianum, Terentiumve conditorem statuas, multum annosum dixisti. Floruit Terentianus Juliani Apostatæ ævo; Terentius imperante Constantino Magno. Julianum has in oras duxisse militem, a cujus Duce Terentiano condi castrum potuisset, legisse me non memini; ex adverso Constantinus Quadis, ac Sarmatis, harum Regionum incolis, opem tulit contra vernas Ofos, Quadicæ dominationis impatientes. Apposite in rem meam Timon in imagine antiquæ Hungariæ Lib. I. Cap. XIV. „ Quadi, inquit, & Sarmatæ Pannoniam sæpe depopulati sunt; „ sed rursus in fidem Romanorum se permisissent. Et necessaria fuit illis „ clientela. Cum enim contra Scythas quosdam pugnaturi servos suos „ Ofos armassent, ii vero ad exitium ipsorum armis abuterentur; ad Con- „ stantinum Magnum, in quo omnia summa erant, confugerunt, servi- „ tiaque ope & auxilio Romani militis, in conditionem pristinam retraxe- „ runt. Narrat hæc D. Hieronymus in Chronicis, dum ea, quæ Magnus „ ille Imperator anno sui principatus octavo, & vicesimo egregie, fortiter- „ que fecit, persequitur. Inde vero monumenta Romana Trenchinii. „ Hæc notum illud eruditis nomen, Samuel noster. Quæ si ita sunt, quum Constantinus M. Imperium adierit anno Christi CCCVI. quod ter felix, ter

faustum sit! nondum adulto salutis humanæ sæculo IV. jacta sunt Metropolis nostræ fundamenta. Quamobrem non est, cur a Terentio ad Terentianum gloriam conditoris castri TRENCHINIENSIS transferre laboremus; cum præsertim seſqui annuus Apostata, Persico impliciti bello, dominatus, nihil admodum Terentiano reliquum fecisse videatur, quod præclare ageret in Quadis, Juliano imperante. Affirmatis hunc in modum castri natalibus, politum ejus adumbremus. Eminentem, ac abrupto incumbit scopulo hinc Vago, cui impendet, inde faxeis fossis, muro triplici, cætero apparatu prævalidum. Digna sunt scitissimi Historiographorum Istvánffii verba, a quibus paginæ huic decus accedat: „ A parte, ait ille Histor. Lib. IX. „ nobis pag. 98. fluminis (Vagi) propter faxeæ crepidinis præcipitium, „ nullis viribus, nullaque tormentorum vi expugnabile est. Ab occidente „ vero, qua olim elegantes hortorum deliciae, atque ambulacra, cum læ- „ tis frondentium plantarum, ac tiliarum ambulacris visébantur, montem „ oppositum habet; e cujus cacumine pilis tormentorum peti, ac concuti „ posse videbatur. Verum Stephanus Zapolianus, Joannis Pater, vir bel- „ licosus, & experiens, re animadversa, constructo duplici muro, maxi- „ meque firmo, nec non profundiore fossâ, utrinque faxeis parietibus sus- „ sulata, multis impendiis, magnoque labore ita vitium correxerat, ut ea „ quoque ex parte nonnisi summis longissimæ obsidionis viribus superari „ posse censéretur. „ Accessere ab Istvánffii ætate urgentibus cumprimis nuperis Borussi motibus, complura munimenta, quibus conferri primis Hungariæ propugnaculis queat. Hosti sane, etsi impetitum sit a pluribus, uni Cociano, Ferdinandi I. copiarum Duci, succubuit, non tam assilientium militum virtute, quam flammaram intus grassantium furore edomitum anno MDXXVII. Interiore ornatu per eam ætatem, qua præbebat, Heris hospitium, tam superbo instructa erat, ut minorum gentium Regibus nihil admodum invideret.

§. III.

De Libera, Regiaque Civitate TRENCHINIENSI.

ELegantes illæ hortorum, ac umbrariorum ambulacrorum deliciae, quarum superiore loco meminit Istvánffius, occasio fuerint, ut in vulgus emanaret, impositam aliquando fuisse TRENCHINIENSEM civitatem eadem

dem jugo, cujus extremum angulum castrum obtinet, atque inde ad radicem postea descendisse. Istud vero ut credam ego, non ante inducar, quam vetusto quopiam condocear monumento. Sane nec ærcis defensionem ea urbis metatione consultum fuisset, nec loci angustiae, aquarumque defectus construendae illic urbiculæ consilium unquam admisissent. Quare si quæ rudera, terra obrutorum (nam prominentium quidem, neque dum ephæbuli isthic lusitaremus, ulla legimus) vestigia quispiam detexerit, hortensium illa villarum fuisse rebor, minime vero civitatis tot sæculis florentis. Ipsa adeo castrorum structura ita conformata est, nullam ut unquam videatur habuisse communicationem cum ea regione, in qua stetisse collinam illam urbem, alieni nostro sensu volunt. Ad hæc manuscripta, quæ sunt præ manibus, condocent: Cœnobium illud (cujus rudera ad inferiorem portam ante vicennium lustravimus) anno æræ Christianæ MCCC. Minoribus S. Francisci datum fuisse, quum dudum ante fuerit constructum, in eoque anno MCCCLXXII. refedisse Joannem, Alexandrinæ Sedis Patriarcham, Apostolicæ Sedis Nuncium. Idcirco non ingratis vulgi liceat nobis a via (quod fert paræmia) vaccarum deflectere, dum ratio succurret, qua duce in suspicionem erroris nostri veniamus. Ergo affusa ad radicem Terentiani clivi TRENCHINIENSIS civitas jam tum erat, dum ejus inquilinos Bela IV. quodam Diplomate hospites suos, ipsam vero civitatem villam appellat, qua nomenclatione tempestate illa Regiæ civitates veniebant. Lentis nihilominus convalescebat progressibus, ut sæculo integro, postquam Regiis accensam esse civitatibus novimus, multis modis tenuior fuerit seu Báchio, seu Carpona; nisi existimes, id gratiæ habuisse Carolum I. anno Christi MCCCXLII. Vitæ suæ postremo urbi nostræ, ut, cum civitati de Bách XXXV. marcarum tributum imperarit, totidem Korponjæ, Tyrnaviæ vero centum; denas duntaxat a TRENCHINIENSIBUS voluerit dependi. Hæc utut se habeant, amœnissimo urbicula jacet loco propter allambentem Vagum amnem, a cujus exundantis rapacitate non levia accipit detrimenta, sed quæ tamen fortassis æquent cumulate ejusdem ratiferi fluminis emolumenta. Ambitur muro simplici, nec satis ad reprimendum hostem comparato; intraque hunc uno laxiore procurrit vico, quem, si acutiore polleas oculo, uno obtutu emetiare. Tres, secundum decumanum hunc, minores sunt viculi, quorum unus a superiore porta arcem

versus, sparsis aliquot ædibus castrensis jugi lateri adædificatis, & Parochiali Templo absolvitur; duo reliqui ad inferiorem portam hinc & inde, nonnihil procurunt. Parsvitatē notam detergunt mundæ areæ, nitidæque, quibus honestatur, domus. Vastissima, pluresque diffusa per plateas prætenduntur mœniolis urbiculæ suburbia, hortis, sic satis commode cultis domibus, & famosissimi, citraque illius injuriam, tota Hungaria præstantissimi Zythi coquinis celebria. Divorum duo duntaxat, delubra habet, Xaverianum, de quo mox, & natæ Angelorum Reginæ sacrum; ab Illyesháziorum Comitum Mausolæo, Altari nigri marmoris, alabastrinisque simulacris conspicuo; tum a vetustate; denique ab æris campani molibus vgrandibus illis, ac ad numeros harmonicos accedentibus, commendatum.

§. IV.

De Collegio, Domo Probationis, Templo S. J. & Conviçtu Nobilium TRENCHINIENSI.

Libero paulo ante datam fidem, & Magni Indiarum Apostoli ædem pulcherrimam subeo. Posuit hoc suæ Pietatis monumentum Georgius Lippay Strigonensium Archi-Præsul. Initia referimus ad annum sæculi superioris secundum supra quinquagesimum, quo Metropolitæ ille dotem Collegio, Domui Probationis Societatis JESU, Xaverianoque Templo transcripsit, cum ab annis retro septem pauculi de eadem Societate Viri suam TRENCHINIENSIBUS Catholicis operam probassent. Celerrimis operis assurgebat ædes sacra, ut anno MDCLVII. ex ritu Ecclesiæ dedicari potuerit a piissimo Fundatore; ad eam vero majestatem, qua hodie nitet, marmoris in morem incrustatis parietibus, & scitissimi Apellis manu perfectam elegantiam, cui amplissimæ vicinorum etiam Regnorum urbes merito invideant, exeunte primum sæculi hujus lustro tertio assurrexit. Cultus, qui maximus isthic habetur Thaumaturgo Xaverio, non uno sibi demeruit beneficio urbem clientem; quæ ut gratam se Patrono huic suo confiteatur, bis quot annis ad ejus aram affusâ, toties suis a peste, Divi meritis, libertatæ memoriam recolit, renovando vota, colendi sacrum piissimo tutelari diem exquisitis religionibus, pridiano jejunio, cæteris. Advertant hæc pii Lectoris memoriam ad ea, quæ Societas JESU sub primum sui TRENCHINI-

CHINIUM ingressum tulerit fata, & benignissimi Numinis longe suavissimam erga servos suos Providentiam adoret. Calendis Decembribus anno Christi MDCXLV. Szkalkensi ex Abbatia in urbem sese penetrarunt Socii, futuri aliquamdiu inquilini ædium Brigittæ Bosznyákæ, mox hospitaturi in domo Mariæ Terfzyánfzkæ, Pauli Serenii conjugis lectissimæ; jam utriusque hujus piæ matronæ liberalitate in jura Societatis translata sunt ædes illæ. Lacessebat invisos hospites contumeliis; probris onerabat; lapides, ipsas adeo bellicas expediebat machinas in arce adversus novorum civium domicilium hæresis, extrema quæque prius experiri certa, quam tirones invisæ Religionis immitteret urbi. Sed machinas quidem cum propugnaculo, cui insistebant, ingenti fragore prolapsæ, dextera subvertit omnipotentis, quæque furor in odium Religionis Orthodoxæ ministraverat saxa, in concinissimam tironum, ac DEI ædem convertit; tironum vero, sæcularem amictum primum in Religioso (quod mos habet) domicilio exutorum; modestiam amat, & jam tum, ut vidit, odisse, si vellet, nequibat. Locus quem hodie obtinent Socii, idcirco potissimum delectus est, quod isthic pervetus ædícula confiterit, Divinæ Triados Altari, redituque, Mystæ suffecturo, conspicua. Spatium hoc cum dono primum Lippaius Antistes contulit, Szelepchénius & ipse Georgius, Episcopatus Nitriensis tunc Administrator Liborchensis pagi donatione cumulavit, ac Sociis perpetuum esse jussit. Successit his Szécfénius, tertius in munere Primatis Georgius. Is, ne Decessoribus liberalitate, Divinæ gloriæ zelo, amore in Patriam concederet; bonarum literarum Studiosæ Juventuti Convictum anno MDCXCIV. fundavit, de quo non unus in publicum promanat fructus.

§. V.

*De Abbatia SS. ANDRÆ, & BENEDICTI
de RUPIBUS dicta.*

Nobilis a positu, religiosus a piis peregrinantium votis, sanctus ab incolatu duorum Eremicolarum, ANDRÆ & BENEDICTI locus, cui de Rupibus, Slavicum nomen SZKALKA, adhæsit. Recedit TRENCHINIO uno lapide solitudo pulcherrima; in qua Divi Benedicti filiis Jacobus, Nitriensis Antistes, circiter annum MCCXXII. bona Regum gratia,

tia, posuit Abbatiam SS. ANDREÆ, & BENEDICTI, quorum sanctissimæ vitæ meritis, rara abstinentia, morte in conspectu DEI pretiosâ, ac prodigiis illustrata est. Extant hodieum austeritatis horum Divorum impressa saxis vestigia, quæ jam recognoscere non vacat. In corpore Divi ANDREÆ, sive ZOERARDI, natione Poloni, reperta est ab obitu catena ferrea, quæ cute foris obducta, & putrefacta intus carne, ipsa viscera tangebatur, solo, quo ad umbilicum adstringebatur, nodo prodita. Discipulus ZOERARDI, ac virtutum æmulus BENEDICTUS, origine Dalmata erat. Hunc interemptum esse a latronibus produnt, ac in præterfluentem Vagum amnem demersum. Latuit sacrum corpus anno integro, dum indicio aquilæ, de ripa identidem prospectantis, detegeretur. Protractum ex aquis sacrum pignus circiter annum M^CMXIII. illatum est Cathedrali Nitriensium Basilicæ, S. Emmeramo dicatæ, ac sanctissimi Magistri ANDREÆ, anno MX. defuncti, exuviis adjunctum; quorum ditissima sepulchra spoliavit, exactis inde tercentum annis, Matthæus Trenchinienfis, Regni Prorex contaminatissimus; a possessionum amplitudine (nam ejus ditio a minore Carpato, hoc est Liptoviensi Comitatu, secundo Vago protensa, Pofonium usque procurrebat, Máthyás-Földe MATTHÆI TERRA nuncupata;) vastitate Templis, ac Præfulum, Carolo I. adhærentium fundis illata; nefariis cædibus, rapinis, factione, in Regem commota, orbi notus. Hujusne belli tumultu, an alius posterorum erepta sit Sacræ Benedictinorum Familiæ Abbatia, non est in promptu statuere. Sacris destituta Heris, Regum voluntate, ac summi Pontificis annutu attributa est Societati JESU, servitque ejus tironibus, ac TRENCHINIENSI Collegio, ad pie relevandum, animos, indefesso religiosæ vitæ studio fatigatos. Ævo nostro plurimum decoris isthic accepit ædes Divorum, spatiis lavata, aris, reliquoque apparatu sacro adornata. Rupes perinde, de qua in Vagum, tunc subtus fluentem, præcipitatum ferunt S. BENEDICTUM, a triennio cultior evasit. Imposuerat illi facellum, Divæ DOROTHEÆ Virginis & Martyris honoribus consecratum, Comes Georgius Thurzo anno MDXX. quod subinde ornatus redditum Assumptæ in cælos DEIPARÆ Virgini dedicatum magna Catholicorum religione frequentabatur; quorum votis quo plenius satisfieret, obtento Excellentissimi, ac Reverendissimi Domini Diœcesani assensu, ipso, ab adita per Collegium TRENCHINIENSE S. J. Abbatie

tiæ SZKALKENSIS possessione, sæculari anno, puta MDCCXLV. paulo & ipsum amplius redditum est, atque additis duabus cum novo ære campano turrulis, novi item operis Altaribus excultum, devotionem fidelis populi, e vicina etiam Moravia concurrentis, non parum auget.

§. VI.

De BECZKONE, BAAN, DUBNICZA,
Oppidis, Castris, Castellis.

DUarum horarum itinere, secundo amne Vago, TRENCHINIO divellitur BECZKOVIVM, cultissimis olim ædibus visendum, muro cinctum, jam negligi cæptum oppidum. In suburbio Paræcus sacra facit fat amplo in Delubro; intra murum cænobium Patrum Franciscanorum, ac Templum consistit, nobile Haskoianæ pietatis monumentum. Arx præruptæ undique rupi infidet, dudum deserta; quæ tamen retinet hodie dum dignitatem, qua per amplæ ditionis caput audit. Traditio est: fuisse in Aula præpotentis Dynastæ TRENCHINIENSIS, ejusdemque Wajwodæ Transylvaniarum Striborii morionem, cui BUCZKONI, aut BECZKONI nomen erat, non inficetum illum, & oppido in animum heri salibus suis illabi gnarum. Egit rem suam tunc potissime, cum Striborius ingenti paratu nuptias filio adornaret. Confluebat ad epulum opulenti Principis Regnum, quin esset, quem facietis BUCZKO non destineret. His ut redderet magnanimus Toparcha gratiam, addixit: quidquid morio petiisset. Catus ille in rem suam, construi sibi hoc loco Castrum petiit; Striborius (nam hoc ab aliis nomine compellatur) promissa fecit; arcem, pro eorum temporum ingenio, præclaram posuit; BECZKONI donavit; ditionibus cumulavit. Diu non alio moles, quam a stulto (Bolond - Vár) mutuato cognomine veniebat; quod secutis ætatibus erubescens heri, BECZKONEM dixere. Oppidum a vini austeritate famosum est. Æquali fere spatio in ortum Beczkovio, TRENCHINIOque sepositum est BAA-NUM oppidum, insigne Illyesházianæ Gentis hæredium; infra quod nobile quondam, jam vetustate fatiscens, ac in ruinam vergens castellum. Ejusdem magnæ Domus; idque facile Princeps oppidum sesqui altero milliari TRENCHINIO recedens adverso flumine, DUBNICZA dictum, recens

inductis variis, iisque præstantissimis opificibus, ædibus œconomicis, castello quadrangulari, in modum arcis elegantissime educto, hortorum delictis, quodque caput est, incolatu Excellentissimi sui Heri memorandum, cujus amplissimæ ditioni a TRENCHINIO denominatæ, in citeriore, ulteriore Vagi ripa, numerosa non minus, quam copiosa oppida, vici, castella parent.

§. VII.

De ILLAVIA, CASZSA, BELUSSA, PRUSZKA, PUCHOVIO, LEDNICZE Oppidis, Castris, Castellis.

Citeriorem Vagi ripam supra TRENCHINIUM obfident ILLAVIA, CASZSA, & BELUSSA, ulteriorem PRUSZKA, & PUCHOVIVUM, oppida situ commoda, rusticationi opportuna, quæ idcirco uno §. complectimur, quod unum cadant sub obtutum. ILLAVIAM intra, Dubniczamque horarii itineris spatium interjacet; hanc collimitanea excipit CASZSA; tum, interjectis paucorum vicorum novalibus, BELUSSA. BELUSSA, laxum Illavienfis ditionis oppidum, nihil præterea peculiare habet. CASZSA eminente intra montes arce quondam celebris erat; cujus hac ætate rudera nemo invidet, propinquiori vico Porubæ; ILLAVIA duabus piscinis, ædibus bene cultis, ornato Paræciali Templo, Vago impendente arce gaudet. Bifariam hæc dispefcitur; alteram partem, quæ Vagum pone decurrentem, despefcit, obtinet Familia Comitum a Königs-egg; alteram Patrum Divinissimæ Trinitatis titulo insignitorum tyrociniio transcripsit Georgius Széchénus Strigoniensis Antistes anno MDCXCII. Accessit non minimum a Sigefrido Comite Breünero beneficii. Quum enim adædicaretur Cænobio Templum, liberali manu adjecit octo millium Rhenanorum elemosynam, facerrimo illi usui addictam. Asceterium hoc primum est in Hungaria laudati Ordinis; de quo ductæ sunt sacre colonie Pofonium non evoluto lustro; Comaromium ineunte hoc sæculo; Sáros-Patakinum anno sæculi hujus supra decimum quarto; Agriam sexto & decimo; Tyrnaviam secundo & vicesimo; Tyrociniium hoc Religiosum monumentum est non modo pietatis, sed longævitas quoque Széchénianæ, ab optimo illo senecione peculiari quadam cum voluptate constitutum.

Nam

Nam cum septuagesimum ætatis annum prætergressus id importunis quorundam dedisset precibus, ut a centum mille Rhenanis, solito majus admitteret fœnus, sed quod mors fœnerantis ad illos auri famelicos cum forte traderet; amabat, sæcularis Præful, meminisse, se, ultra opinionem creditorum vitam producere, ac ne quid ejus, quod fortem illam, atque hinc promanans solitum fœnus superabat, alio, quam auctoris vitæ honorem impenderet, amplissimis redditibus ILLAVIENSE Sanctissimæ Triados Cænobium dotavit. PRUSZKA Illaviæ objecta perinde Königseggianorum Comitum ditionibus adlecta. Ornatur, præter Parochialem sacram ædem, Monasterio Filiorum Seraphici Patris, ab Jakuficis de Orbova Comitibus, huc adductorum, castelloque eorundem olim Herorum, jam Königseggiorum. PUCHOVIO denique, quod Pruszkæ milliari adverso Vago, retruditur, nomen faciunt celebratissimæ toto Regno pannorum officinæ. Spectat PUCHOVIVM ad LEDNICZENSE Mattyafovzkiorum Dominium, quod, dum eo potiretur, Ladislaus hæresi purgavit, non minore zelo, quam successus felicitate.

§. VIII.

De Oppidis, Arcibus, Castellis, VAGH-BESZTERCE, BITSA, KISZUCZA-UJHELY, O-VAR, SOLNA, ZIGMOND-HAZA.

Utra Puchovium arctatur Vagana vallis, cujus angustia ubi laxantur paulisper in sinum decurrentis de montibus rivi, affedit populosum VAGH-BESZTERCZE oppidum. Respondet illi oblique nominis ejusdem edito monti adversa in ripa impositum castrum, ætate fatiscens. Arci subjacet a posito nomenclationem indeptus Várallya vicus, castello peregregio Szapariorum Comitum in amplissimas spes natorum, maternisque, ad decora sua, laudibus illustrium. Visitur isthic Balassianæ quoque Baronum Familiæ castellum, non perinde, atque Szapariorum amplum, ac instructum. At ZIGMOND-HAZENSE (ORLOVENSE Slavus diceret) recens ab Excellentissimo Domino Comite Paulo Balassa non uno nobis nomine infra memorando, eductum, & situs amœnitate, & salubritate cœli, dignum laudatissimo Hero suo præbet hospitium, si quando per munia Regni, quam ad dignitatem ampla, tam impatientia otii,

hoc animum Tusculo relaxare potest. Declinat moles pulcherrima non nihil ab amnis Vagi margine, ac lente assurgentis clivi latus premit. Substructiones, totum quod vivimus, referunt sæculum, conclavia nitorem, frons, obversa flumini, majestatem. Unum desiderassēs, quod Herus amat, si sacra deessēt ædes. Hanc, Divo Joanni Nepomuceno consecratam ita, construi fecit, ut castellum colentibus sit commodissima, & nihilominus subditæ plebi publica. Succedunt his BUDETINUM, BITSENSE, KISZUCZA-UJ-HELINUM, & O-VARINUM oppida; primum cum conformato ad splendorem Castro assurgit, ubi Vago sorbetur amnis Kiszutsa, estque sedes Comitum Szunyogh, trutarum vivariis, reliquoque paratu instructa; alterum superiore sæculo, heris admittentibus, ac Missionariis S. J. operam navantibus Romanæ adjunctum Ecclesiæ, firmum in recepta majorum fide perstitit, etsi tumultus domestici pluribus locis ad defectionem occasio fuerint. Exaggerat BITSENSIUM id constantiæ laudem, quod illi potissimum delecti a Luthericolis fuerint, apud quos primum, ab nata secta illa, sæculum clauderetur, ut habet P. Franciscanus Kazy Hist. Reg. Hung. Lib. II. KISZUCZA-UJ-HELINUM a mercatu, populi frequentia, opibusque laudem habet; O-VARINUM an ultra dirutæ arcis rudera quidpiam peculiare ostendet, non proditur, SOLNA denique nulli secundum toto in Comitatu oppidum, in vicinia Budetinenfis arcis per planitiem diffusum, multis nominibus memorandum venit. Situ admodum hilari est, ædium compositione bene cultam Civitatem, mercatu emporium referens. Agrum ferit frumenti, cauliumque, per univèrsum Regnum celeberrimorum, feracem. Amant & a Zytho laudari SOLNENSES, quod pene in contentionem veniat cum TRENCHINIENSI. Divina faciunt tum Franciscani, tum S. J. Sacerdotes, huc pia largitate Georgii Szelepçénii Strigoniensis Archi-Episcopi anno MDCLXXXIV. inducti. Qui domi Sociis, oppido Paræcus præest. Hinc Parochiali in Templo, SS. Triadi consecrato, Divina administrant. Ferunt: sacram ædem hanc ab uno de gente Otlikia excitatam esse. Diu profanabatur novi Evangelii superstitionibus, castis reddita religionibus exiit inductos per eam tyrannidem luctus. Arx sæculo priore Lutheranorum oppidum hoc videri poterat; nusquam certe firmius secta illa consistebat. Hic non residebant solum Superattendentes, sed conciliabula quoque coacta sunt, quorum præcipuum dici potest An. X.

fæ-

fæculi XVII. celebratum. Nihil non movit pientissimus Princeps Paulus Eszterházy, ut traductos ad Catholicæ Fidei veritatem in eadem confirmaret, præcavere tamen non potuit, quin ollas carniùm repeterent per domesticos tumultus. Erdödianus effecit zelus, ut jam nec vernam tolerant ab Orthodoxa Religione alienum. Qui Bitsensibus, & SOLNÆ ut essent, Duces ad viam salutis, cooptari meruerunt S. J. Patres. Ad primum SOLNA lapidem meridionali plaga pervetus stat ædicula, Divi Stephani Regum nostrorum I. honoribus dedicata; in qua Sanctissimi Proto-Regis iconi, miraculis claræ, ipsi iconomachi nostræ, superiorisque ætatis, pepercere. Ajunt: ædiculam ipsius Divi opus esse. Cætera non persequor; faciei internæ oppidi, ac incolarum genio tantillum deferre debeo. Ambitus fori quadrangulam figuram exprimit, concameratis porticibus, amatis adversum aeris tempestates, folisque ardorem receptaculis, munitus. Majus cæteris ornamentis loco sunt incolæ ipsi, faceti, comes, hospitales.

§. IX.

De cæteris Oppidis, Arcibus, Castellis, vicis Comitatus TRENCHINIENSIS.

CAstra, quorum facta mentio nondum est, desolata fere sunt. In his SZARECSENSE, LETHAVIENSE, SZUCSENSE, SZULLOVIENSE, OROZLAN-KÖIENSE, ZAY-UGROCZENSE, & siquæ sunt præterea, quorum nec possessores, nec nomina novimus, & rudera miramur. Ex oppidis duo, quod sciam, supersunt memorabilia, DOMANIZA, & RAJECZIUM; illud ab Hero suo Excellentissimo D. Emerico e Comitibus Eszterházy de Galantha, Episcopo Nitriensi, & insigni quondam castello, intestini belli damna in ruinis deplorante; RAJECZIUM industria Civium, qui fluviolum interlabentem ita fecare potuerunt, ut per omnes, nec sane paucas, divisus plateas decurrat, ingenti oppidanorum commodo, ac adversus incendiorum pericula præsidio. Amniculus idem opportunissimus una est ad parandas rubras pelliculas; quas tam scite tingunt RAJECZENSES alutarii, ut longissime cæteros post se relinquunt; hinc merces illæ ad exterâs quoque Provincias avidè expetuntur. Sed neque balneas isthic desideres; quæ cum insigni vi medendi polleant,

a Silesiis, Polonisque frequentantur. Quanquam hac laude quidem primas vindicare sibi RAJECZIUM nequeat, si suum hoc naturæ munus TRENCHINIENSI componat. Scaturiunt hæ supra TRENCHINIUM folido milliari, in municipio Excellentissimi D. Comitis Illyesházy, a calidis, Slavis TEPLICZE, Hungaris HÉVÉZ dicto. Tria sunt balnea publica, suis commoditatibus affatim instructa. Nam etsi domus incolarum e lignis contabulatæ sint, commoda tamen conclavia, hospitem duntaxat usibus aptata habent. Accedit adhæc amplissimum Heri Castellum, quod pluribus Magnatum, isthuc valetudinis causâ concurrentibus, sat laxas habitationes præbet, hospitalissimi Comitis indulto. Capere insuper Familias aliquot Procerum potest visendæ structuræ Xenodochium, superiore sui contignatione. Condidit hoc Illyesháziana pietas priorum subditorum utilitati; in quo, censu dominali, decem & quatuor decoro, æqualique vestitu amiciuntur, ac ultra conditionem suam laute habentur, digno quod universi Domini sequantur, exemplo.

Est & alio munere pia parens natura in TRENCHINIENSEM Provinciam benefica. Nam præstantes acidularum fontes communem fere earum fecerunt usum incolis. Præ aliis laudantur CHOCHOLNENSES. KUBRENSES, SZAMAROCZENSES. Super hæc autem curandorum morborum subsidia, eminet absque modo ille Numinis favor, quo ipsa infirmorum salus, MARIA, in sibi devotis FRIWALDENSI, ac WISNOVIENSI delubris prodigiose ab innumeris omne genus morborum depellat, gratiis late viciniam compleat, supplicum vota donis prævertat. Cresceret in immensum opus, si hæc singulatim percensere vellemus, aut singulorum vicorum meminisse. Qui, præter jam nominatos, castellis superbiunt, fere sunt sequentes: KRASZNYAN, MOTESICZ, ROZWAZE, ROWNYE, ZABLAT, cæteri. Hic sedes est Seniorum Comitum; ROWNYE, Matyafovszkiorum; utrorumque Romanæ Religionis studio, domestica pietate illustrium. Senarius, aliquot retro annis ex humanis ereptus, movit subfello Provinciæ Gömöriensis Hæreticos, Ladislaus Matyafovszky eorundem suis in ditionibus disjecit nidos; passus omnino neminem tot in latifundiis subditum, qui non dixisset veritati Sacramentum. Vide

lagati hujus Apostoli egregia facinora in Histor. Universit. Tyrnav.

Parte III. Lib. I. pag. 265. & seq.

LI-

LIBER QUINTUS.
HUNGARIÆ INTERAMNANÆ
PARS SECUNDA.

SIVE

REGIONES OLIM A SARMATIS HABITATÆ.

CAPUT PRIMUM.
DE COMITATU ARVENSI.

§. I.

*Denominatio, fines, opportunitates, Supremus
Comes Comitatus ARVENSI.*



ARVENSEM ponimus Comitatum velut in fronte regionis, quam olim colebant Sarmatæ; tum ne longe a confobrinatorum Quadorum finibus describendi eorum Regni principium rejiciamus; tum ut commodius ab extimo, quo regiones illæ contingunt Poloniam, limite, in cæteras descendamus. Clauditur autem Comitatus ARVENSI a septentrione Polonia, ab ortu Liptoviensi, a meridie Turocziensi, ab occasu hoc eodem, & Trenchiniensi. Sortitur nomen ab amne ratifero Arva, Slavis Orava, qui denominationem dat arci, hæc (quibus ita arguari libet) Provinciæ toti: si quod, ARVENSE in Hungaria sterile solum est, autumnalis segetis admodum impatiens, quin vernalis quandoque fementis messes præcox eripit hyems, quæ vix adulta æstate stationem hanc deserit, rigentibus æterna propemodum nive alpibus, quarum ætatem colore norunt æstimare incolæ. Hordei, lini, avenæ, ligni, pecudis lanigeræ, hic potissimum proventu vivitur, tum indefesso labore. Illico, ac sævire hyems desit, effunduntur suis e sedibus pagi, operisque univèrsùm Regnum implent; quæ ubi frumenti tantum, quantum ad tolerandum vitam ægre fat est, emeruerint, e remotioribus quoque Comitatus

bus

bus illud suo invehunt ovantes, panem, si forte in terram decidat, ori non ante inferre soliti, quam basio libatum. Hæc in plebe vitæ ratio; quam & in hac sæpe reperias, qui ære certent cum opimarum regionum incolis, quæstu, labore, sobrietate, exquisita industria, soli ingenium supplentes. Nobilitas nihilo tenuius, quam felicissimis in Comitibus vivit. Capreis, apris, attagenibus, perdicibus, cæteris gulæ irritamentis abundante regione; Ursis item, lupis, vulpibus, feris reliquis, quas vel argus insectari amet. Officium supremi Comitum administrat Illustriss. D. Comes Antonius Szunyogh de Jeszenicz, Perpetuus in Budetin, S. C. R. M. Camerarius.

§. II.

De Ditione Castri ARVENSIS.

DEmptis admodum paucis Nobilium vicis, tota ARVENSIS Provincia castri cognominis dominationi paret, populo ultra, quam reris, frequens. Castellæ isthuc vix ulla, nec nisi ætate tabescentia; Oppida, quod sciam, tria offendas: KUBINUM, TRSTENAM, & VELICSNAM. Domos & pagani habitant, civitatibus invidendas, quod in eo sylvarum Regno pronum est. Ipsa ditio, quondam opulentissimæ genti Turzonix obnoxia, lariceis e trabibus, asseribus, omnigeno instrumento ligneo, secundo amne suo in Vagum, Danubiumque devecto, ac per maximam Hungariæ partem sparso, reditus sat amplos accipit. Cavit huic ARVENSIUM quæstui, ac Regni commodo Comitum anni MDCXXXVIII. Articulo LXV. quo luculenter prohibetur, ne incolæ Comitatus ARVA &c. in demissione secundo fluvio Vagi, & libera venditione ratium, asserum &c. per Galgoczienses, & Semptenses Officiales impediatur. Plebes, si ubi, in ARVA corporis pollent viribus, diu producant vitam, raro ægriunt, illimi cælo incolis aspirante. Medicinam non aliam in Patria novit ARVENSIS, quam quæ sponte crescit in Alpibus, quarum præcipui fructus falcati ligni (de quo in Comitatu Thurocziensi mentio facta est) succus. Incidunt illius fruticis verius, arbutive, quam ligni extimas partes, qui vim arbuti callent, vitrellis appensis defluentem humorem excipiunt, ac adversus omne genus morborum adhibent. Si e suis claustris pedem efferrant, triticeoque vescantur, facile in dissenteriam incidunt, aut orto hinc alvi profluvio extinguuntur.

§. III.

§. III.

De Castro ARVENSI.

DUas in regiones divisam aliquando fuisse ARVENSEM arcem notum est iis, qui montes Provinciæ hujus lustrarunt. Inferior hodie dum satis culta, firmaque est; superiorem si quando Templarios habuisse incolas dixerimus, una vulgi fide niti oportebit. Dubia hæc admodum est, quod fere, quæ in rudus abiisse castra videt, famoso illi ordini obnoxia fuisse fidentius, quam verius asseveret. Misso igitur hoc (mea quidem sententia) commento, arci nostræ nomen maximum calamitas Petri III. Coloczen- sis Archi-Episcopi fecit. Erat hic acerrimi vir ingenii, favore Joannis Vitezii Bononiæ literis omnibus excultus, honoribus, ipso Archi-Præfulatus Coloczen- sis, ac summi Cancellarii dignitate a Mathia Corvino auctus. Perdidit hujus eum dignitatis munus. Quum enim inter Bajazetem, & Corvinum Regem induciæ coaluissent, atque ex literis initæ pacis illius temporariæ Achillæa & Nester Alba, præter voluntatem Corvini, omissæ essent, indeque simultatibus, ac fraudibus suis barbarus præstrueret ansam; præcipiti bile abreptus Rex, sui impotens, teste Petro de Réva Comment. de S. R. Hung. Corona Centur. V. „ Metropolitam verberibus graviter manu sua datis, in carcerem foedum, & angustia unius hominis latum, tetrumque - - conjecit; dum prius fortunæ inconstantiam ei exprobrasset „ his verbis: Arva fuisti Petre, Arva eris, & in ARVA morieris. Hunc „ enim fortuna, humanarum rerum domina, favorque Regis ex humili „ forte, ac egestate (quod voce Arva notatur) in summum fastigium extulerat. „ Reliqua. Fidem his negat Timon; nec immerito. Nam neque verbera tanto Præfuli inflicta dissimulasset Roma, nec in adstruenda prodicionis suspicione Réva tribulem habet. Ipse custodiæ locus a Tuberonè variatur; Regem vero in Metropolitam a Beatrice commotum fuisse, Bonfinius Decad. IV. Lib. IX. non dissimulat. Demus id Scriptorum fidei, ut a Reginæ querimoniis percito Matthia, sub obtentu admittæ in conficiendo Regio rescripto negligentæ (quis enim ita projectus est ad allinendum alteri incredibilia crimina, ut Præfulem tantum in suspensionem collusionis cum Turca vocare non perhorrescat?) Petrum, verbis acrioribus perfrictum, primum in arce ARVENSI, dein Wissegradensi custodiæ manda-

tum non inficiemur; quin vaticinium Regis sibi confiterit; siquidem mortuo Mathia exemptus est vinculis Petrus per Joannem Corvinum, Regis Nothum, pristinae dignitati, voluntate Wladislai, reddendus. Dicacem fuisse Petrum omnis ejus vita loquitur; obrectatores multos habuit, quia Metropolitanæ suæ sedis jurium rigide tenax. In Corvino, summarum Principe dotium, minimum erat moderationis, si a quo præsertim sibi scribi dicam notavisset. Sane Petri laudes ipsius Regni tabulis insertæ leguntur. Consule anni MDIV. Artic. XXVII.

CAPUT SECUNDUM.

DE COMITATU LIPTOVIENSI.

§. I.

*Amplitudo, nomenclatura, positus, divisio, com-
moda, fines, Supremus Comes Comitatus
LIPTOVIENSIS.*



Onitur hoc in encomiis Dynastiæ LIPTOVIENSIS, quod vivo dum Corvino Rege, Ducatus titulo fuerit insignita, Joannique Corvino, vidui Regis, uti dicebamus, Notho a Genitore donata. Perstitit ea regioni dignitas, donec in vivis erat Joannes; qui etsi factionibus novercæ spe Regni dejectus in Sclavoniam, Bani functurus munere demigrasset, Ducis nihilominus de LIPTO se dignitate non exuit. Nominis originem a tiliis sermone Slavico Lipa vocatis, arcessat aliquis, aut Civitate LITTOVIA, vulgo LIPCSA, non moramur. Attingit a septentrione modica cuspide Poloniam, reliqua parte Comitatum Arvensem, ab ortu Scepusiensem, a meridie Gömöriensem, & Zoliensem, ab occasu Turocziensem, montibus grandissimis undique conclusus. In latum quatuor, altero tanto in longum porrigitur, dives lanigeræ pecudis, amniculis, dulcibus, & acidis fontibus, balneis, minerarum, cristalli montanæ, lapillorum pretiosorum venis, feris, avibus, piscibus. Quem facer codex in dividendo orbe universo, hunc metatores LIPTOVIÆ modum tenuere; partiti enim sunt eam in Processum orientalem,

lem, meridionalem, occidentalem, & septentrionalem. Supremo Comite gloriatur eodem, quo Trenchiniensis Comitatus, Excellentissimo nempe D. Comite Josepho Illyesházio; cujus inclytæ stirpi dignitas hæc jure perpetuo attributa est.

§. II.

De Oppidis Comitatus LIPTOVIENSIS.

DECADEM implent oppida LIPTOVIENSIA, quæ hic ordine literarum pono: BOBROTZ, BOTZA, HYBE, five GIBBÆ, S. NICOLAUS, ROSENBERGA, SZELNITZE, TARNOCZ, THEUTO-LIPCSE, TRIUM-SZLECS, WRBICZA. Horum, quæ aliquid peculiare habent, annotamus. SZELNICZE multo fale nitri, ac fertili agro pollet, speciem potius vici, quam oppidi referens. Eadem tenuitas TARNOCZIO, & BOBROTZO; nec quidquam præterea. TRIUM-SZLECS, coalitum e tribus vicis oppidum, potitur jure gladii. Intra fines trini hujus oppidi collectos magno numero granatellos, ante lustrum nostra ipsi tractavimus manu. BOTZA a ditissimis auri venis, & acidulis; WRBICZA a piforum præstantia commendationem habet. HYBARUM, five GIBBASUM nomen in Gepidarum sedem cogere nonnulli laborant; quam nullo operæ pretio? norunt ipsi. Verior fors de ortu THEUTO-LIPCSE vulgo recepta narratio. Ajunt a mercatoribus, Lipsia, Saxonix Civitate, oriundis, dum Eperjesinum quæstus ergo iter facientes, equos, propter dumetum, incolis Hvosdecz dictum, adaquarent, manantibus e fonticulo aquis, aureas devehî arenas, observatum fuisse. Satis id erat auri sitientibus, ut isthic figere sedes constituerent, de regionis fertilitate jam nihil solliciti. Posuere tum illas editiore loco in Vagi margine, ubi hodie statio extremis suppliciiis afficiendorum. Veteris hic Civitatis vestigia quædam leguntur etiamnum; quam deseruere, quo propinquiores essent aurariis suis. Adstruit vulgi narratiunculæ fidem vetus codex MS. ipsumque Germanicæ colonix nomen, tantum non diferte Lipsia deductam prodens. Quibus per me licet, sit parum quis propitius; at nec suis conjectationibus oraculorum fidem petat. Divites illæ auri venæ, jam interiere, solumque eruitur antimonium. Duabus frequentatur sacris ædibus; major occupat forum, estque titulo S. Matthæi Apostoli insignita; minor, ad extimum oppidi

pidi angulum seposita, in honorem dolorosæ Virginis Matris excitata erat. Faciebant in hac olim rem Divinam PP. Franciscani, quorum cænobium facello adædificatum fuisse produnt. Provincialia Comitata hoc in oppido, ut plurimum, agunt LIPTOVIENSES Magistratus. Reliqua oppida sunt ROSENBERA, & S. NICOLAUS; illa a rosarum feracissimo colle, hic a Fano Tutelarum sui cognominatus; illam olim eodem loco, quem jam castellum S. Sophiæ occupat, illustrabat Monasterium Virginitatis D. Domini Regulam profitentium, hodie vero Patrum Piaristarum, beneficio Levenburgi Comitum isthuc inductorum, zelus excolit. S. NICOLAUS tribus retro lustis donatus fuit Patres Societatis JESU, munificentia duorum Illustrissimorum Præfulum, Georgii Ghilany de Lazy Dinniensis, & Joannis Okolicsány de Eadem, Varadinensis.

§. III.

De Castris Comitatus LIPTOVIENSIS.

Trium arcium memoriam faciunt, qui literis evulgarunt LIPTOVIENSEM Comitatum: LIPTO-UJ, & O-VARINUM, ac LIKAVAM. LIPTO-O-VARUM, veterem arcem LIPTOVIENSEM exprimit voce; positum nec ruderibus. Eminebat in caute, in adversa, oppido Lipsensium, Vagi ripa; vulcanus tectis illapsus ipsos in ruinam traxit, muros. Felicior nova (Slavi HRADEKUM, id est Arculam vocant) quamvis annosa & illa; nam interiorem ejus partem excitatam fuisse ferunt Tartaris Hungariam, Bela Rege IV. populantibus. Quare ab exteriori parte denominatum Novum Castrum autumo, quæ primum ineunte sæculo XVII. affurrexit. Incubat utraque depresso saxo; interior deliciis Herorum, altera servitiorum commodis aptata, neutra remorando, nedum reprimendo ætatis nostræ hosti idonea. Prolixior pagina LIKAVÆ debetur, unico LIPTOVIENSIVM, si quando ea stante trepidaretur, asylo. Seposita erat D. passibus Rosenbergeni ab oppido septentrionem versus, eminentemque scopulum coronabat, vicinis aliquot, iisque altioribus cincta montibus. Natalem, conditoremque ejus Joannem Huniadem loquitur incisus interioris arcis portæ annus MCCCCXXXV. cujus gentilitius quoque Corvus, annulum rostro gerens, illic visitur. Nec refert, potitum ætate illa, summa rerum fuisse Sigismundum. Nam quia hæc ditio in potestate Cor-

vini

vini erat, arcem, non ingratis Sigismundi, ædificare poterat Joannes; cui necquidquam nitaris conditoris gloriam detrahere, antequam epigraphen deradas. Cætera, quæ portis apposita esse referuntur, Insignia, Mathiæ filius, Joannes Corvinus addiderit; ut vel hoc indicio fit, LIKAVAM hæredium fuisse Huniadum, atque adeo Sigismundo etiam Regnum obtinente, Castrum illud ab Joanne Corvino construi potuisse. Quo in argumento ne verba perdamus, visendam molem illam, dum floreret, subeamus. Triplex vulgo triplici a muro appellabatur. Mediam ornabat toti ædificio incumbens solarium, captandæ auræ, lufui, animique remissioni peropportuum; interior vero, Palatia cum facello complexa, in octo ut vocant, contignationes, in quatuor angulos ducta, assurgebat. subtus præcellum hoc ædificium deprimebatur cella vinaria, exactis ad regulam faxis instrata; ex qua triginta circiter gradibus, e viva excisis petra, ad puteum, in morem propugnaculi eductis muris præensum, australique arcis lateri adhærentem, aditus patebat. Hoc unum opus LXX. millium Rhenensium impendio stetit non ægre assentietur, qui rem suis momentis æstimarit; altitudinem præsertim putei, ad ipsum usque Vagi alveum depressi; ambitum ejusdem, quadratis e faxis paratum, duas orgyas crassum. Sunt, qui operis hujus faciant conditorem Comitum Stephanum Tököli, ovisque, e LIPTOVIENSI, ac Arvenfi Comitatu comportatis, quæ cum vino, aquæ loco, ad conficiendum arenatum fervirent, usum esse. Inde est, quod substructiones illæ suis cum concamerationibus tam evaserint solidæ, ut non tam coagmentata cæmenta, quam una videatur petra. Sane cum postremis motibus intestinis, Rakoczii voluntate castrum æquari solo debuisset, omnem omnino vim clavarum elusit, in concameratione scitissima ne minimo quidem pulsantium malleorum vestigio relicto. Verum de hoc plus fatis.

§. IV.

De memorabilibus Comitatus LIPTOVIENSIS vicis.

VICIS LIPTOVIENSIBUS, qui Carpatos montes suo territorio attingunt, id commune est, quod inexhausti illius Hungariæ thesauri opes suo sinu contineant. Minima pars harum est, quæ aperto sub

Jove vifitur; digna tamen, quam Pharmaceutæ in primis ponant curis; delicatiffimi palati homines, confeñentur; ac rerum naturalium indagatores colant. Hic rupicaprarum, cæterarumque animantium, alibi non vifarum, greges; herbarum, radicum, fruticum faluberrimorum feminaria; pifcium in lacubus, sæpe aureis paforum arenis, vivaria; naturæ in aquis prodigia; rariffimarum, folique huic inacceffæ montium regioni propriarum avium examina. Reperiuntur interdum & lapides pretiofi, non granatelli duntaxat, fed anthraces quoque, arenæ aureæ, fubdiales auri, argenti, cupri, ferri, antimonii mineræ peropimæ, evidenti argumento, latentium multo pretioforum, id quod minerales halitus prætervolantibus quandoque avibus lethiferi, varie tinñti lacus, metallurgicæque venæ produnt. Fontes, lacus, putei, hic falſas, alibi gelidas, prope vicena per territoria acidulas; apud LUCSKAM calidas, lapideſcentes ad BESSENOVIUM, in agro ROSENBERGENSI refinam bene olentes, in SZENT-IVANIENSI ſcabiei, & obſcærioribus morbis medentes. Habet vicus hic politiffimus id una ſingulare, quod fit nobiliſſimæ, ac pervetufte cognominis Proſapiæ natale ſolum. Floret gens hæc perampla a ſeptem prope ſæculis in Hungaria; cujus Majorum fortunam Stislai cumprimis, Bogomorique dignitates, geſta munia, Regum in eos gratias vulgare, poſitis operis limitibus prohibemur. Propius ad propoſitum noſtrum accedunt fontes amnis Vagi, LIPTOVIENSI in Provincia orti. Duos eorum potiſſimos notarunt incolæ; alterum ad radicem minoris Krivani montis, ſic a Slavis ob aduncam crepidinem dicti; alterum in Regio Monte, qua hic LIPTOVIAM reſpectat. Adde iſtud, ne, ſi quando legeris, ex eodem monte prorumpere Granum, vel Hernadum quoque, erroris aliquid ſubeſſe exiſtmes. Nam hos quoque effundit jugum idem, Granum Gömörienſes in plagas; in Scepuſienſes Hernadum. Brachium illud Vagi, hic natum, a fundo fors nigricante, per ſubjectam ſcabioloſo colli (Slavis Praſſiwy Wrfek) vallem, dicitur Niger Vagus; illud vero, quod e Krivano promanat, poſtquam e ſtagno facile quingentos Geometricos paſſus æquante, per ſubterraneos meatus, ingenti cum ſtrepitu devolutum, in apertum evadit, Vazecz, quaſi parvus Vagus, appellatur, hocque nomen indit vico, quem primum alluit. Confluunt duo hi amnes dimidiæ circiter horæ itinere ſupra Király-Lehotam, moxque navigabi-

gabilem faciunt Vagum, quem Bela, Arva, alique minores fluvii, intra Comitatum LIPTOVIENSEM recepti, plurimum adaugent. Pisces, quos alit, saporis optimi sunt mugiles, mustellæ, salmones, timalli, trutæ, rariores cyprini, atque lupi. Quot vicorum alluat agros amnis rapacissimus, longum esset referre, nec præteritis remotioribus, consultum. Okolicsna, gentilitius cognominis Familiæ pagus, ornatur castello, cœnobioque Patrum Franciscanorum, beneficio Mattyašovszkianæ Familiæ isthuc inductorum. S. MARIA, Princeps harum partium Paræcia ab ipsis susceptæ Romanæ fidei primordiis, gaudet insigni Sacerdotio; cujus Infulis illustratur Reverendiff. D. Joan. Ujvendégi, E. M. S. Canonicus, Altariæ Rima-Szombathiensis Rector, Præpositus B. M. V. de LIPTO, Archi-Diaconus Zolienfis. Erat olim S. Petri quoque Præpositura in vico nominis ejusdem, cujus ditio jam transit ad Pothurnyaios Nobiles. THURIK demum vicus agrum habet refertum lapillis, omne genus frumenti, legumina, pecuniasque referentibus, in quæ opes Euclionis cujusdam tenacissimi versas ait vulgus, ultore DEO, quod publicam inedia levare nollet, dum has regiones affligeret.

CAPUT TERTIUM.

DE COMITATU GÖMÖRIENSI.

§. I.

Nomenclatio, fines, positus, opportunitates, Supremus Comes Comitatus GÖMÖRIENSIS.



libet nunc in paulo apertiore GÖMÖRIENSIUM agrum e jugis Liptovienfis eluctari. Mons, quem ajebam, scabiosus, probatissimæ Marcasitæ ferax, viam pandit, estque instar limitis Comitatus, Liptovienfi, Scepusienfi, GÖMÖRIENSI. Scepusienfi secuturum dabitur caput; GÖMÖRIENSIS indeptus est appellationem ab oppido GÖMÖR totius Provinciæ fere meditulum occupante; olim, ut conjectare fas est, amplo, cultoque, hac ætate, neglecto. Una mediocrium est hæc Toparchia, frugibus, ac pecori

cori amica, vitium non impatiens, lithrargyri, cinnabaris, ferri, olim & auri fodinis, asbestique proventu celebris. Ambitur a septentrione Comitatu Liptoviensi, ac Scepusiensi; ab ortu Saarosiensi, & Aba-Ujvariensi; a meridie Tornensi; ab occidente Zolienfi. Non ita affurgit in colles, & montes, ut amœna planitie destituatur. Supremo Comite gloriatur Excellentissimo Domino Comite Paulo Balassa de Gyarmath, S. C. R. Majest. Camerario, Actuali Intimo, & Consilii Regii Locumtenentialis Consiliario, nec non per Hungariæ Regnum Provincialis Commissariatus Directore, in quo genus, & vita, propria, & Majorum virtus ex æquo certant.

§. II.

De ROSNAVIA, præcipuo Comitatus GÖMÖRIENSIS Oppido.

ROSNAVIA, Hungaris ROSNO-BANYA, prodit ipsa nomenclatione, officinam se metallariam esse. Amplum, cultum, copiosum est oppidum; olim auri, hac autem ætate solius ferri secturis claret. Habet Patrum Societatis JESU Domicilium, qui teneriorem ætatem in Gymnasio literis, oppidum Divinis instituunt disciplinis, ac Paræci curis complectuntur. Induxit Religiosam Familiam illam in hoc Metropolitanæ Strigoniensis municipium, Georgius Lippai anno MDCLIX; auxit reditu Regiæ Judex Curie Stephanus Koháry. Quam callido sint cives ingenio, scitissime scribit Ladislaus Turoczius in Hungaria, suis cum Regibus compendio data pag. 179. quem Lector adeat. Post infaustum Mohacsienſe prælium avitam Religionem exuerant ROSNAVIENSES, nec minima facti sunt pars Lutheri; quando conciliabula ipsa, ad firmandam, qua possent, sectam illam isthuc indixere primores. Conciliato Hungariæ cœlo, sensim flaccescit radix pessima ROSNAVIÆ quoque. Præter cætera commoda, id singulare est ROSNAVIENSI plagæ, quod in ejus vicinia reperiatur Asbestus; ex quo, tempore tumultuum Rakoczianorum, confectæ chartæ folium, inter scruta repertum, ignibus non semel examinavimus ipsi.

§. III.

§. III.

De Arce MURANY.

PRæcipuum Comitatus GÖMÖRIENSIS ornamentum, MURANUM castrum est, æquali fere, sex milliarium intervallo, Leutschovia, Neosolioque diffitum. Amplum est, præter morem arcium. Erat aliquamdiu dominationis Vesselenianæ; jam in Kohariana concessit jura. Situm ejus describit sequentibus Lib. XVI. Histor. Istvánffius: „ MURANUM „ in præalta rupe situm est; circa quam alia rupes, æque alta, a meridie „ imminet; inter quas per faxeam viam ad arcem unicus patet aditus. Eam „ rupem, munito in sublimi ejus vertice castello, fidis militum impositis „ Baso custodiebat; quæ quidem ab occasu solis arcem altitudine superat; „ ibidemque est fons jugi aqua scaturiens. A meridie portam habet, qua „ itur in arcem, fatis amplam, & aliquot cohortium capacem ejus aream; „ nullis tamen per aliquot loca mœnibus, sed rupium præcipiti, & inaccessa „ crepidine munitam. A septentrione contra arcem alia rupes extare cer- „ nitur, quæ plano fatis vertice supra mœnia attollitur. Hæc tametsi ascen- „ su ægre admodum, & vix tolerabili labore superari potest; quam tamen „ si ascenderis, prospectum in arcis interiora proclivem habes, & telis missi- „ libus, eminus intortis, haud parum detrimenti arci inferri potest. „ Ita ille. Tam præbe munitum, atque a natura peræque firmum castrum, ter adversis patuisse lego; anno primum MDXLIX. Basone Præfecto, quem Rutheni, Valachique, rapinarum ejus, cædiumque nuper focii, jam per- tæsi, prodidere, Salmense patentibus portis admissõ. Deinde sæculi superioris anno supra quadragesimum quarto, Francisci Vesseleny, ejus, quem postea Pro-Regii fasces ornavere, insigni stratagemate; quo Heram arcis, Rakocziano præsidio tentæ, Mariam Széciam, sibi sponsam petiit, factusque voti reus, una illa Virgine conscia, ac eluctatos per admotas scalas in secretius conclave Regios milites admittente, in munitionis potestatem venit; denique anno MDCCX. post diu toleratam obsidionem Francisci Rakoczii jugum excussit, Carolo Regi subdi amavit.

§. IV.

Cætera GÖMÖRIENSIUM Castra, & Oppida.


MUranizæ jure optimo succedit arx, cui Slavicum nomen KRASZNAHORKA, quod speciosum collem denotat Latinis. Paret Illustrissimæ Andrassiorum Baronum Familizæ, non minus positu fortis, quam substructionibus decora. In ejus eleganti facello publicis religionibus colitur Icon Deiparæ Virginis, gratiis claræ. Emeruere id calentia piissimæ stirpis vota, quibus Augustissimam Cœli Dominam singulari placare cultu habet in more. Huic addendum est unicum HAINACS-KÖIENSE Vécseiorum Baronum Castrum, quod habitetur. Nam reliqua, PUTNOKIENSE cumprimis, habitatoribus viduata, muris spoliata lugent. In oppidis numerum faciunt: CSETNEKUM; GOMBASZEGUM, JOLCSVA, PELSÖCZIUM, RIMA - SZECSIUM. Primum amplitudine, opulentisque ferri fodinis celebratur; alterum Sajoni amni appositum, Paulinis olim Eremitis, constructo per Georgium, & Ladislaum Bebekios ad annum MCCCLXXI. domicilio, ac Virginæ Parenti Templo sese efferebat; JOLCSVA Castellum habet. PELSÖCZIUM a Bebekiana, RIMA-SZECSIUM a cognomine Szécseiorum Familia quondam illustrabantur. Nec plura, quæ de hoc Comitatu addamus, in nostram notitiam devenere.

CAPUT QUARTUM.

DE COMITATU SCEPUSIENSI.

§. I.

Amplitudo, fines, divisio, opportunitates, Supremus Comes Comitatus SCEPUSIENSIS.



Honoris id ergo tribuitur Comitatus SCEPUSIENSI, quod, præter morem aliorum, dicatur etiam TERRA SCEPUSIENSIS. Excurrit ejus longitudo ad X. latitudo ad VI. quamvis non ubique, milliaria. Longissimus est, qua se insinuat in Aba-Ujvariensem Comitatum ad fabrinas metallarias Cassövienses,

fes, & Lefniczenfi territorio in Poloniam; latiffimus ab adjacente Regio monti vico Sunyavæ inferioris adHobgardum, Saarofienfis Comitatus colimitium. Carpatiorum montium plurimas alpes continet, ultraque illas fefqui altero milliari ad amnem Dunavecziuum protenditur; per quem a Polonia difterminatur feptentrionem verfus; cum ab ortu Saarofienfem, a meridie Aba-Ujvarienfem, ab occafu Gömörienfem, & Liptoviensfem Comitatum attingat. Piscibus, fi quæ alia, SCEPUSIENSIS terra gaudet præftantibus. Nam ultra raros alibi timallos, trutas, falmones anguillas quoque Popradus alit. De abditis Carpatiorum gazis pro instituto noftro delibavimus quædam in descriptione Liptoviæ; de Regio Monte (quem litem effe noftri Comitatus alibi meminimus) unam Epigraphen, quadratæ tabulæ lapideæ incifam, decerpimus; qua testatum fit: Corvinum Regem, ad altiffimum hoc jugum venando pertigiffe. Est autem fequens: HIC HOSPITATUS EST MATHIAS REX HUNGARIÆ ANNO MCCCCLXXIV. Qui nobiscum hanc gloriofiffimi Regis memoriam communicavit, testatur: aliorum quoque characterum quædam in faxo apparere veftigia, fed quæ legiffe nequiverit. Alibi notatum invenio, hoc fcitum Politices eidem faxo inaratum effe: PRIVATUM COMMODUM; LATENS ODIUM; JUVENILE CONSILIUM; PER HÆC TRIA PEREUNT REGNA OMNIA. Dignum hæc fecere montem, ut *Regius* diceretur, fi nondum eam appellationem habebat. Sed ad institutum redeo. SCEPUSIACA Regio tota collina est, inque montes asperata; Baccho inimica, Cereri gratiffima. Dividitur in tres *Processus*; Magnum vocant (& vero duobus reliquis major est,) qui a finibus Poloniæ infra Popradum amnem diffunditur; qui hunc excipit medius, minor audit; tertius nullam, quod fciam peculiarem denominationem habet. Singulis horum funt acidularum fontes complures; balneæ magno, ac tertio; in lapidem porofum, & albicantem concrefcetes aquæ, arces, caftella, numerosiffima oppida, vici, situs amoenitate, ab incolarum, Saxonum præcipue, frequentia dilaudati. Tres hæ, quas attigimus Provinciæ conftituunt unam fedem, quam majorem, feu inferiorem vocant; superior altera confans vicis XIV. priori fparfim immixtis, dicitur Decem Lanceatorum, qui parent Heris, quorum, lanceis armatorum, munus erat, Regem belli adverfus pericula quævis protegere. Est his perinde, ac majori

fedi fuus Vice - Comes, & Judex Nobilium; quia tamen Tribunal hoc cum majore illo mutuo respondere debet in omnibus, idem Supremus Comes moderatur utrisque. Ampliſſimæ hujus Dynaſtiæ faſces ſæculo XIII. & fere toto XIV. varii geſſere, ſed prænominiſus duntaxat noti, puta: Philippus, Elias, Jula, Tetus, Jacobus &c. dicti Comites de *Szepes*, *Szepus*, *Scepus*, aut *Szepes-Ujvár*. Auſtus eodem titulo fuit & Philippus alter, oriundus e Drugethis de Homonna. Succedere quini Zapolyani; mox Hieronymus Lasko; tum octoni intra ſæculum Turzones, quorum extinctum genus exceperere jure Hæreditario Perpetui Terræ SCEPUSIENSIS Comites Cſákii, Ladislaus, & Stephanus, Regiæ Judices Curiz; Sigismundus, Regalium Tavernicorum Magiſter; Georgius Archi-Strategus; &, qui ſuæ vetuſtiſſimæ Proſapiæ illa in dignitate nunc ſæculum claudit Excellentiſſimus, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Nicolaus, Miſeratione Divina Sacræ Metropolitanæ Sedis Coloczenſis, & Bachienſis Canonice unitarum Eccleſiarum Archi-Epiſcopus e Comitibus Cſáky de Kereſztſzegh, Perpetuus Terræ SCEPUSIENSIS, Comitatus nominis ejuſdem Hæreditarius, Bachienſis vero Perpetuus Supremus Comes, Sacraſſimarum Cæſareo-Regiarum Majeſtatum Actualis Intimus Status Conſiliarius, & in Excelſa Tabula Septem-Virali Co-Judex, & Aſſeſſor Primarius, zelo Domus DEI, Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudio, Paſtorali ſolicitudine, ſuæ Genti innata comitate, de omnibus bene merendi affectu, reliquis virtutibus, quæ ſaſtigium illud abſolvunt, notiſſimus.

§. II.

De XII. Oppidis, Reipublicæ Polonæ pignori oppoſitis.

Palmaris eſt nonnullorum Scriptorum, nominatim Cromeri, Hiſtoriæ Polonicæ Lib. XIII. error, quo aſſeverant: Univerſum SCEPUSIENSEM Comitatum pignori datum fuiſſe Wladislao Tagelloni a Sigismundo Rege Hungariæ anno MCCCCXIII. aut ſuperiore; quum reape extra Lubloviensem, & Podoliensem ditionem, cujus pars Gnizna eſt cum aliquot vicis, XIII. duntaxat oppida ſint Polonis transcripta, ut mox ponendæ contractus Tabulæ condocent. Si divinare licet, error Scriptorum inde ortum ducit,

ducit, quod existimarint: totam plagam illam impignoratam a Sigismundo esse, quæ jure dotis a Boleslao Polono data fuit Stephano II. Hungariæ Regi, dum anno MCXVIII. suam huic filiam nuptui daret; id quod non est ita. En pactionis exemplar ad fidem Tabularii Collegii Tyrnaviensis Soc. JESU exactum:

„ **N**Os Sigismundus, Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hun-
 „ garorum Rex. Recognoscimus tenore præsentium, quibus expe-
 „ dit universis; ratione veri mutui, Nos a Serenissimo Principe Wladis-
 „ lao Rege Poloniae, ejusque Prælati & Baronibus XXXVII. millia Sexa-
 „ genorum latorum grossorum, novæ monetæ, numeri Bohemicalis, boni,
 „ & justî ponderis, habuisse, & cum affectu recepisse. Quem quidem
 „ Dominum Wladislaum Regem Poloniae, Successores, Prælatos, & Baro-
 „ nes ipsius, in restitutionem earundem pecuniarum, affecuratum cupientes,
 „ &, prout justum est, in solutionem ipsum reddere certiore, sibi & ejus
 „ Successoribus, Prælati, & Baronibus, terras, vel Castrum nostrum Liblo,
 „ alias Lublyan, cum oppido, & oppidum Podolonitz cum fortalitio, ac vil-
 „ lis ad ea spectantibus una cum oppidis, & Civitatibus infra scriptis, in ter-
 „ ra nostra SCEPUSIENSI, Strigoniensis Dioceseos situatis, videlicet:
 „ *Gnizna, Bela, Laibitz, Menbardzdorff, Teiischendorff, Michelsdorff,*
 „ *Neiidorff, Ristdorff, Vablendorff, Tülka Kircbdorff, Mattisdorff, Georgen-*
 „ *ceg, Duransdorff,* nuncupatis, cum earum omnium appertinentiis, censibus,
 „ fructibus, redditibus, proventibus, jurisdictionibus, temporalibus possessio-
 „ nibus, agris, pratis, lignis, campis, sylvis, nemoribus, mellificiis, piscatu-
 „ ris, piscinis, virgultis, lacubus, paludibus, aquis, & aquarum decursibus,
 „ molendinis, aucupationibus, venationibus, exactiõibus ordinariis, ob-
 „ ventionibus, adtinentiis, & appertinentiis universis, quibuscunque no-
 „ minibus nuncupentur, ac vocitentur, nihil possessionis, aut utilitatis pro
 „ nobis, & successoribus nostris in eisdem reservantes, obligamus tenore
 „ præsentium, voluntate Prælatorum, & Baronum Nostrorum, ad hoc
 „ specialiter accedentium. Itaque omnibus utilitatibus, & proventibus hic
 „ descriptis, sine alicujus usuræ scrupulo, id Dominus Wladislaus Rex Po-
 „ loniæ, & successores, uti, frui valeant, & gaudere. Cui etiam omnes
 „ cives incolæ terræ, civitatum, & villarum, prædictarum, tanquam no-
 „ bis, obedire, & singulis censibus, proventibus, obventionibus, interim

„ quoad ab ipſo, vel eorum aliquo, redimemus terras, caſtra, & oppida,
 „ civitates, & villas, eouſque reſpondere tenebuntur. Quas quidem ter-
 „ ras, caſtra, & oppida, civitates, & villas prædictus Rex Poloniæ, Suc-
 „ ceſſores, Prælati, & Barones ejus tenebunt, poſſidebunt, & habebunt,
 „ tamdiu, quouſque ſibi, aut ſuis Succeſſoribus, Prælatiſ, & Baronibus
 „ per Nos, aut Succeſſores noſtros, prædicta XXXVII. millia ſexageno-
 „ rum latorum groſſorum Bohemicalis monetæ, boni, & juſti ponderis, *aut*
 „ *valoris eorundem*, in auro, & argento fuerint efficaciter perſoluta. Pro-
 „ mittimus inſuper bona fide, & in verbo noſtro Regio, terras eaſdem, civi-
 „ tates, & villas, ab omnibus injuriis, & impugnationibus quorumcunque
 „ contrariorum, ac ſi eaſ per Nos poſſideremus, quamdiu idem Wladis-
 „ laus Rex Poloniæ, & Succeſſores ipſius ſervaverint, defendere, & tueri;
 „ illo etiam non omiſſo, quod ſi aliquis de Regno Hungariæ noſtro, eaſ-
 „ dem terras, caſtra, civitates, oppida aut villas ſub eodem Domino Wla-
 „ diſlao Rege Poloniæ, Succeſſoribus, Prælatiſ, & Baronibus ipſius recu-
 „ perarit, aut acquiſierit, ipſiſ ſine dolo, & fraude, reacquirere & ipſiſ eaſ
 „ reſtituere tenebimur, & debemus. In caſu autem, quo ipſiſ acquirere,
 „ non poſſemus, ex tunc ſibi, Succeſſoribus, Prælatiſ, & Baronibus ipſiſ
 „ prædicta XXXVII. millia ſexagenorum latorum groſſorum reddere, &
 „ ſolvere promittimus bona fide, vel hujusmodi bona, vel alia conſimilia,
 „ & ejusdem valoris, ſibi, & ſuis Succeſſoribus in eiſdem obligamur. Si
 „ autem facere non curaremus, aut neglexerimus, & tunc ad omnia dam-
 „ na, quæ ex incompletione præmiſſorum noſtrorum votorum, in præ-
 „ ſenti Litera expreſſorum, prædictus Wladislaus, Succeſſores, Prælati, &
 „ Barones, & regnum ipſiſ perceperint, Nos una cum Prælatiſ, & Baro-
 „ nibus refundenda, reſarcienda ſubmittimus, pro quibus Regni noſtri ho-
 „ mines cujuſcunque conditionis, dignitatis, aut præminentix, & bona
 „ ipſorum areſtare, captivare, terras noſtras invadere, & ſpoliare libere,
 „ & Dominus Wladislaus Rex, Succeſſores, Prælati, & Barones, ac Re-
 „ gnum ipſiſ valeant, abſque omni reſiſtentia, & contradictione, noſtri,
 „ & noſtrorum, tamdiu, quouſque ſibi, ſuis Succeſſoribus, Prælatiſ, &
 „ Baronibus, ac Regno ſuo per Nos, noſtrorum Succeſſores, Prælatos, Ba-
 „ rones, omnibus in omiſſiſ fuerit ſatiſfactum integre. Dum autem præ-
 „ dictas terras, caſtra, civitates, oppida, & villas ab eodem Domino Wla-
 „ diſ-

„ dislao Rege Poloniæ, Successoribus, Prælatis, & Baronibus ipsius, redi-
 „ mere, & liberare voluerimus; ex tunc literam nostram, sub sigillo Ma-
 „ jestatis nostræ pendente, ad eundem Dominum Wladislaum Regem Po-
 „ loniæ, vel ejus Successores, Prælatos, & Barones regni ejus scriptam de-
 „ bemus, pernotabiles duos Consules, unum videlicet Leutfcha, & alium
 „ de Cassovia, ipsis in Lublam dirigere, & eam sibi facere præsentare, ac
 „ significandum intimare; quod ipsas terras, castra, civitates, oppida, &
 „ villas, intra duos menses continuos, volumus ab eodem Domino Wla-
 „ dislao Rege, vel ejus Successoribus, Prælatis, & Baronibus liberare. Si
 „ autem Nos decedere contigerit, tunc duo Prælati, & totidem Barones
 „ Regni nostri Hungariæ, Sigillis eorum pendentibus, in hoc casu facere,
 „ debebunt, & tunc a die insinuationis, & assignationis litterarum, hujus-
 „ modi XXXVII. millia sexagenorum latorum grossorum boni, & justii
 „ ponderis, auro puro, vel argento, infra eosdem duos menses, ad ca-
 „ strum Dunavecz duci debent, & ibidem per homines dicti Domini Wla-
 „ dislai Regis Poloniæ, Successorum, Prælatorum, & Baronum nostro-
 „ rum in castrum Csfornstein importari, & adduci. Interim autem in ca-
 „ stro Dunavecz prædicto, quatuor Poloni de terra Cracoviensi, & San-
 „ decensi, vel alter eorum, quos, vel quem Rex Hungariæ, vel Barones
 „ ipsius Regni tunc nominaverint, & elegerint, videlicet die intimationis
 „ pro solvendis pecuniis, & redemptioni pignoris prædictorum, perma-
 „ neant, seu persistant, ita tamen, quod præsentés eligantur in Regno Po-
 „ loniæ, ubicunque existentes, non impediti tali infirmitate, aut impo-
 „ tentia, quod venire possent; quia impediti, illo non obstante, alii in lo-
 „ cum impeditorum transmittantur, & per Dominum Wladislaum, Suc-
 „ cessores, Prælatos, & Barones prædictos in obstagium, in eodem castro
 „ Dunavetz reponantur, neque abinde recedere debeant, donec castrum
 „ prædictum Lublo, nec non aliæ civitates, & oppida prædicta, nobis, &
 „ Successoribus nostris, five Prælatis, & Baronibus, integre fuerint resti-
 „ tuta, nulla etiam deceptione, excusatione, contradictione, vel occasio-
 „ ne obfistente. Harum, quibus nostrum, Prælatorumque nostrorum si-
 „ gilla sunt appensa, testimonio literarum mediante. Et Nos Joannes Epi-
 „ scopus Strigoniensis, Joannes Episcopus Jaurinensis, & Nicolaus de Ga-
 „ ra, Regni Hungariæ Palatinus; Comes Simon de Rosgon, Judex Curie
 „ Re-

„ Regiæ; Joannes de Bolfovitz Magister Tavernicalium Regalium; Ladis-
 „ laus de Vihatz, Banus Machoviensis; Joannes Bány de Maroth; Petrus
 „ de Perrem, Comes Ujvariensis; Emericus de Perrem, Secretarius, &
 „ Cancellarius Regiæ Majestatis; Joannes de Rosgon, Thesaurarius Regiæ
 „ Majestatis; Matthæus de Malots, Comes Barfonienfis; Benedictus Czu-
 „ dar de Makovitz; Prælati, & Barones Regni Hungariæ, promittimus
 „ bona fide, pro nobis, & nostris Successoribus, omnia prædicta per Do-
 „ minum nostrum Regem, & voluntate, & beneplacito nostro facta &
 „ disposita, & permiffa, inviolabiliter observare. In quorum fidem & te-
 „ stimonium una cum sigillo dicti Domini nostri Regis, sigilla nostra præ-
 „ sentibus sunt appressa. Datum Zagrabiz, octava die omnium Sancto-
 „ rum Anno Domini 1412. regnorum autem nostrorum, anno Hungariæ
 „ tricesimo sexto, Romanorum vero tertio.

Famigeratissimo hoc in contractu cætera plana sunt; valor monetæ admodum difficilis intellectu iis, qui Bohemicæ rei nummariz notitia destituuntur. Re cum Bohemis, Silesiis, Moravis institoribus, ac ærariorum publicorum administris collata, didici: In Bohemia, quam dicunt Germanicam, bonum grossum æquivalere nostris quatuor nummis cruciferis, adeoque unam sexagenam grossorum, hujus numeri Bohemicalis, Rhenensibus florenis quatuor. Facilis in horum valore calculus evadit; multiplicati enim septies & tricies mille sexageni isti grossi, per quatuor Rhenenses, dant centum quadraginta & octo millia florenorum Rhenensium. Alii ajunt: singulas sexagenas æquivalere latis grossis octo supra sexaginta; latum autem grossum quemvis, extra Silesiam, æstimari denariis quatuor, in Silesia vero tribus & dimidio, id est obolis (quos Slavicæ gentes Babkas vocant) septem. Quare cum numeri Bohemicalis fiat mentio in æstimando valore pignoratitiz pecuniz, nisi me fallit calculus, XXXVII. millia sexagenorum latorum grossorum faciunt Rhenanos octoginta mille sexcentos & quadraginta; exile profecto pretium tantæ ditionis, per potiolem Comitatus partem dispersæ, adeoque ultra modum Regno incommodæ, ob diversa exteræ Reipublicæ jura, & quoddam asylum, quo se maleficientissimus quisque tueatur. Hinc toties recuperandæ portiolem opimæ in Comitibus preces. Memoratu dignum de LUBLOVIA, & BÉLA quiddam habetur. Et LUBLOVIÆ quidem Quæstor Gasparek, homo non laudatissimæ vitæ,

a morte oppidum ter incendisse, uxorem, aliosque, alta etiam luce, infestasse, æs mutuuum hic contraxisse, alibi contractum expunxisse, ac multa id genus Anno MDCCXVIII. patrasse narratur; BELENSI autem in agro anno sæculi hujus V. palustris quidam locus sub exitum Junii mensis subterraneis (ut creditur) ab ignibus incensus, nulla civium industria ad serum usque autumnum potuit restingui; ex quo fors non male latentis isthic Naphtæ fontes conjicias.

§. III.

De Venerabili Capitulo SCEPUSIENSI.

Ilustre Terræ SCEPUSIENSIS ornamentum est Collegiata ad S. Martinum Ecclesiæ Sacerdotium. Constat sacrum hoc Collegium Canonicis decem, ac Præposito; qui in quartum annum est Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Alexander Mariaffy de Markus-falva, Episcopus Tinniniensis, & per SCEPUSIENSEM Districtum Archi-Episcopatus Strigoniensis in Spiritualibus Vicarius, & Causarum Auditor Generalis. Quos Præpositos SCEPUSIENSES, interdum & Episcopos legas. Habitus is honor est vetustissimis quoque temporibus Sacerdotio huic, quemadmodum sub Andrea III. (in quo virilis S. Stephani stirps extincta est) factum legimus Jacobo. Nihilominus ex hoc non recte inferas: Ecclesiam SCEPUSIENSEM aliquando Cathedralis fuisse. De conditore Templi, ac Sacerdotii, nemo literis certi quidpiam evulgavit, qui quidem in meam conscientiam venerit. Pervetustum opus esse, ipsæ Fani Martiniani substructiones affatim loquuntur. Amplum idem est, solidum, & cultum. In sacro hoc loco est una Regni Tabularium, multum olim a Transylvaniæ Principibus, cæterisque Regni depopulatoribus passum. Templi, quod memoramus, in honorem sanctissimi Pannoniarum Militis Martini constructi, occidentali lateri adædicata est ædes concinnissima a Stephano Pro-Rege Zapolya; in qua tam fabre coagmentati sunt, inque varias formas fastigiati secti in quadrum lapides, vix ut notetur calx, qua nectuntur. Conditus hic Stephanus Fundator est anno MCCCCLXXXIV. attestante insigni monumento, quod binæ inscriptiones metricæ adornant.

In latere dextro leguntur :

*Contegitur Stephanus Comes hac SCEPUSIUS urna,
 Qui decus ob Patrium mille trophaea tulit.
 Qui de stirpe fuit Regali conjuge dignus ;
 Dignus Regnicolis, & Palatinus erat.
 Una salus Regni fuerat, Tutela, Decusque ;
 Virtutis cujus fama perennis erat.*

VII. Kal. Jan.

In latere sinistro :

*Qui duxit sine honore suos inglorius annos,
 Ille sibi mortem sentiat esse gravem.
 Ast ego, qui fastos implevi ingentibus actis,
 Quive Palatino culmine clarus eram ;
 Lætus eo, quo fas animas, virtute superbas
 Scandere, magnanimos quo decet ire Viros.
 Nam licet hic Stephani jaceat sub marmore virtus,
 Attamen Hungarico clara sub axe viget.*

MCCCCLXXXIX.

Reliquerat Stephanus superstites liberos Barbaram, & Joannem, viduamque Hedwigem, e Thessiniensibus Ducibus oriundam. Barbara in Polonia, Joannes in Hungariae Solium evecti sunt; Hedwigis (Advigam vocat Istvánffius) matrona incomparabilis, pietatis operibus inclaudit, producta ad annum MDXV. vita, sanctitate plena. Pars quædam ejus in Ecclesias DEI munificentia est Sacellum hoc, Basilicæ Martinianæ annexum. Ut enim perennem memoriam faceret concessi a Numine Joanni filio favoris, sacellum, a marito constructum, insigni beneficio, sacratissimi corporis Christi cultui dicato, auxit. Exequitur prodigiosam Numinis in Joannem Zapolyanum beneficentiam Istvánffius Lib. VI. Histor. sequentibus : „ Ferunt illum (Joannem) post delectos agrestes (puta Cruce-signatos, „ qui, Duce Georgio Siculo, cædibus, & rapinis Hungariam confunde- „ bant,) & fufum innoxium plurimorum sanguinem, Eucharistiam, dum „ ea a sacrificante sacerdote astantibus populis ostenditur, mirum dictu! to „ to biennio videre non potuisse. Unde ipsum, ac incomparabiles, & re- „ ligiosissimas, quas nominavi, foeminas erogato in egenos, ac Mona- „ cho-

„ chorum, & sacratarum Virginum Collegia magno auri pondere obtinuisse, assiduis suis, & piorum precibus, jejuniisque, sacro-sancti ejus „ mysterii pristinus conspectus illi redderetur. „ Prodigii hujus tota Hungaria, ætate Joannis, vulgatissimi, hodieum in plebe quoque recens est memoria, majorum fide ad nos traducta. Obtigere gratia Pazmani, Regis voluntate, annutu Pontificis reditus beneficii Hedwigiani Patribus Societatis JESU Szatmarinum, & SCEPUSIENSE Capitulum (ita passim locus audit)-colentibus. Priusquam Leutschovix convaluisset Gymnasium, omnes Humaniores literæ isthic tradebantur ab inductis Societatis JESU Religiosis. Suis illi in Ephemeredibus notant ad annum MDCL. quod profitentis tum Oratoriam Facultatem P. Stephani Pethö discipulus, nocte, quæ illatam ipsi nefarie necem secuta est, Moderatorem Stephanum adierit, quoque perempti sui cadaver loco quærendum esset? indicarit. Postero die investigatum cadaver intra dumeta repertum est, indicio per occisum dato; quod dum deferretur ad tumulum, repente orta tempestate, e nubibus excutitur fulmen, ac unum e comitantibus sternit; quem deinde compertum est, cædis auctorem fuisse. Documento: Non esse tardum ad vindicandum sanguinem innocentis DEUM. Porro & Basilica hæc SCEPUSIENSIS præcipua, & præpositi, Canonicorum, ac Societatis JESU domicilia, in morem non inveniuntæ Urbiculæ, muro depresso cinctæ, conformata sunt, occupantque adversum SCEPUSIENSI arci collem, fane peramœnum. Multum inter ædes positu & amplitudine eminet Præpositi Palatium, ab Excellentissimo, ac Reverendissimo Agriensium Episcopo C. Francisco Barkoczio, dum illi præesset Sacerdotio, hortis, & ornatu, illius Heri magnificentia digno, excultum.

§. IV.

De Arce SCEPUSIENSI, ejusque ditioe, ac Heris.

ARX, de qua loqui instituimus, dedit nomen opimæ SCEPUSIENSI Provinciæ, quis autem arci? multi commenti multa sunt, nemo (mea quidem opinione) sat idonee. Istorum ne numerum augeam, consulto de voce tricari supersedeo; amplissimis eum profecuturus gratiis, qui conditorem, natales, primum validi non minus, quam nobilissime olim

instruēti castrī hujus Herum detexerit. Qui Comitibus de SCEPUS hanc laudem attribuunt, ac idcirco Philippum (qui floruit initio XIII. sæculi Christiani) primum, aut certe primis proxime accedentem constituunt, quod insignitum legant titulo Comitis Novi Castrī SCEPUSIENSIS (Szepes-Ujvar) tantum agunt, quantum, si ætate nostra dicerent: hodiernum Aba-Ujvariensem Supremum Comitem conditorem esse, aut cognominis castrī, ante sæcula diruti, conditoribus proxime accedere, quod hodiedum novum (Aba-Ujvar) dicatur. Appellatio autem de SCEPUS non magis uni cuiquam adhæsisse docetur stemmati, quam hodiernæ Inclytæ Domui Csákyanæ. Discussis utcunque verbosorum placitis, hocque pacto ad detegenda, si quæ habent, certiora, proritatis, arcem subeo. Sublimem illa, petrosam, arduum, abruptum imo (dempta meridiana regione) collem, verius montem, occupat, duas secta in partes, a situ denominatas, inferiorem, ac superiorem. Positu amœnissimo est, munitione firma, habitaculis ampla, & decora, cisternis, ac perenni fonte instructa, cui vitium facit ævi nostri genius, quod habitatoribus Heris destituta eminus in ruinam inclinet. Accepit hospitio Carolum I. Regem, dum, invalescente Matthæi Trenchinienſis factione has in partes delatus suis diffideret viribus. Auxit eas SCEPUSIUM, atque Regi vero thronum affirmavit. Wladislaus quoque Rex a Stephano Zapolya, Joannis Patre, Basilice isthic acceptus esse, & Joannes, modo memoratus, in lucem datus memoratur. Habet hodiedum grande æs campanum, olim Divæ Elisabethæ Delubrum; ad quod accubabant Eremitæ S. Augustini, a quorum Cænobio tota arx dicebatur *Magnum Clausstrum*. Ditio arcis Csákiis hæreditario jure obnoxia est, complectiturque vicos XII. uno plura oppida, quæ inter Gölnitz, & Remete a metalli fodinis laudantur. Olim Schwedler, quoque, Szomolnok, & Stoos hæredia erant ejusdem gentis clarissimæ, quæ post in Fiscum Regium, facta commutatione, sunt translata. In his, uti & aliis, præcipue meridiem versus ad Gömörienſis Comitatus confinia, si Marfillio, qui hæc iustravit, credimus, visuntur montes, e solo quasi ferro compacti: „ Quia (Marfillii verba sunt) per loca undique, ubi „ fodere volunt, ferrum inveniunt. Imo dicam, vallibus fluminum, ubi „ eadem confidunt, videri ex una ripa in alteram per dorsum fluminis de „ ferro lineas affurgere, quæ vias dividant. „

§. VI.

§. VI.

*De Libera Regiaque Civitate LEUTSCHOV-
VIENSI.*

Diu in paucis Hungariæ civitatibus ponenda erat LEUTSCHOVIA, situ, salubritate, civium frequentia, opibus, humanitate memoranda. Jacet nunc, funestissimo superioris anni incendio tantum non everſa. Corruptit hoc non modo privatas, publicasque ædes profanas plerasque, ſed Paræcialem quoque Baſilicam, illato multorum millium florenorum damno, vel uni ejus turri, nuper nitidiſſimæ, ac præſtantiſſimo ære campano inſtructæ. Elevatio ejus eſt graduum 48. minut. 57. longitudo vero graduum 41. minut. 3. Urbs tota confidet in declivi rupe, ovali fere figura, amplitudine fori facile cunctis Hungaricarum anteferenda. Nitor ejusdem inſignis erat; nam non modo foro principi adhærentes domus ita concameratos habebant ambitus, ut pluvio etiam cœlo ficcus ſub his porticibus obambulare potueris; ſed muri ipſi, ſcandulis contecti, porrecto tantisper tecto tutam ſubtus ab imbribus ſemitam faciebant. Cultus ædium gentem Saxoniam conditricem prodit. Accidit hæc fortuna loco poſt primam Tartarorum irruptionem. Annum in pluribus, qui civitati natalis fuit, lego MCCXLV. quanquam ſi ex vero connotatus eſt, quem interior principis Templi paries exhibet, puta: MCCVII. aut MXXVII. villam iſthic Regiam ante Saxonum in Hungaria adventum ſtetiſſe oporteat. Id proſecto ejus Templi, S. Jacobo dedicati amplitudo indicat. Sunt, præter vetuſtatem, quibus hæc ædes magna ſe offert. Nam & Bibliothecam habet ſupra ſeptentrionalem portam, ſane non contemnendam; & ſex marmoreos oſtentat Thurzonum Comitum tumulos; & ingentis molis organo, venuſtisque altaribus inſtructa eſt. Primas horum obtinet ſimulacrum Deiparæ, a Præſæpio dictæ, ſi minus prodigiis, at certe collatis in eos, qui venerari Virginem Sanctiſſimam in eo conſueverant, gratiis clarum. Abdiderant, illud olim incolæ Catholici in quodam Civici Prætorii angulo, metu, quorum neſcio, hoſtium, latuitque ultra memoriam hominum ſacrum illud Palladium, nullo interea aut vitio labefaetatum, aut pulvere, etiam tenuiſſimo obſitum, dum anno MDCXCVIII. requirente abſtruſioribus in Cameris literas quaſpiam Senatu, repertum eſt, ac publicæ religioni reſtitutum.

tum. Hæc de Parochiali Basilica: Jure suo huic succedit altera, Natæ Angelorum Reginæ Patrocínio insignita, per Georgium Szelepchénum Societati JESU traditi. Fecisse hic rem Divinam aliquamdiu Minores Ordinis S. Francisci, atque Claustrum habuisse, argumenta quædam suppetunt; minime vero, qua ætate iis concessa, aut viduata fuerit. Alii existimant, Carthusianos, post alterum ipsorum e lapide Refugii exilium LEUTSCHOVIAM delatos Claustrum isthic, & Cœnobium architectatos fuisse; quibus deinde dote orbatis, Minores Seraphici Patris filii succedere potuerunt. His in medio relictis; Templum Marianum, de quo loqui instituimus, procurrit ab oriente in occidentem, sustentibus fornicem octo columnis; intra quas multa lux illapsa illustrat quinque aras, & suggestum, large auro illitum. Sedilia his, organumque ex æquo respondet. Qui Fanum donavit JESU Sociis, & Collegium eorum dotavit Archi-Præsul Szelepchénius. Beneficum in eosdem se probavit Joannes Melchior Paurneindt, Præpositus Major Varadinensis, Decanus SÇEPUSIENSIS, & Parochus LEUTSCHOVIENSIS annum circiter MDCXCIX. Sequentem vitam positurus. Tertiarum LEUTSCHOVIENSIVM ædi sacræ accubat cœnobium Minorum Seraphici Patris filiorum. Est suum & Convictui Nobilium, a Georgio Széchénio (qui Metropolitano in munere successit Szelepchénio) isthic constituto, sacellum, Divi Laurentii Martyris honori consecratum. Accolebant illud ab anno MCCCIV. aliquamdiu Carthusiani, Lapidis Refugii possessione per Matthæum Trenchiniensem (quod suspicamur) excussi. Urbanis Divorum Delubris adjungimus eminentem in adfито monte, DEO fecundæ Virginis, ad cognatam Elisabeth visentis, Odæum, multis religionibus, ac peregrinorum votis, præcipue dum ejus mysterii annua redit memoria, frequentatum. Secundum sacras ædes confert ad laudem LEUTSCHOVIAE, delectam aliquando fuisse, in qua Wladislaus II. Rex Hungariæ cum Alberto Polono, ac Sigismundo, & Friderico, minoribus natu fratribus, altero item Friderico, Marchione Brandeburgensi, sororis filio, convenirent. Suburbis caret, sed eorum abunde vicem explent horti fructiferi, & amœnæ villæ. Ager laudatissimorum pisorum, & hordei ferax est; cæteras messes avarius reddit. Territorium latissime procurrit. Nam nonnisi tricesimo exacto anno eadem cæditur sylva, quæ tam amplæ civitati affatim det lignorum. Uni fere huic, ætate nostra, opulentia (reliqua enim emolumenta,

menta, & compendia vix particulam veteris fortunæ retinent) ne quid decerpant viciniam, renovantur limites quot decenniis. Laus ea modestiæ fæminarum LEUTSCHOVIENSIVM, quod piaculi instar habuerint, aliquid auri deferre, mundo muliebri infertum; viri autem Senatorii Ordinis Hungaricas tunicas obtegebant palliis nigris, quoties fenaculum adibant. Morem hunc ab annis aliquot exuere viri.

§. VII.

De Libera, Regiaque Civitate KESMARKIENSI.

ALtera SCEPUSIENSIVM civitas Regia KESMARKINUM jam Cæsareopolis, quasi Keyfersmarck dici amat, cum antiquitus Cæsareopolis Käsarck appellaretur. Ita rescriptum Provinciale. Assidet anni Poprado, quo, intra Pomæria civitatis, a meridie Leibitzenfis, a septentrione Albula forbetur. Situs hinc hilaritatem; a vicino autem Carpatho (ab cujus radicibus dimidio nonnisi recedit milliari) salubritatem aeris metiare. Clauditur gemino muro, fossa intercepto, unde ornamentum, non securitas speretur. Nam ob adfritos colles importuna est KESMARKINI propugnatio. Aditur decumanis portis tribus, quarum superiori valida incumbit turris, quam totius Comitatus ære constructam ferunt, ad reprimendas Hussitarum prædationes. Passa ab his multum est urbs nostra; sed fortasse non minus civilibus bellis, atque adeo ab Heris suis Tökolianis. Ætatem suam, qua primum aspicere Carpathum occeperit, qua Regiis civitatibus accensum sit, ipsummet ignorat KESMARKINUM, quod Tabularium exufferint Hussitæ. Adulto sæculo XIV. a Ludovico I. Privilegiis quibusdam Regiarum Urbium auctum fuisse reperitur; ineunte autem XVI. Wladislai II. Regalibus, quas vocant, literis honoratum. Habitos hic aliquando fuisse conventus Procerum Poloniae, Hungariæque glorientur cives, nec est, cur addubitem. Id secum Laskyanus in castrum ferebat dominatus. Ambiguum id magis, quod habet Frölichius, doctissimus KESMARKIENSIVM civis, & ex eo cæteri: Arcem, Urbi cohærentem, olim claustrum fuisse, nescio quarum, Sanctimonialium, quod in arcem, labentibus annis, transferit. Nusquam horum alibi mentio; ut non immerito e vulgi sermonibus in chartam hæc profluxisse opinemur, dum certiora tempus prodatur.

dat. Sacellum, Divæ, nisi fallor, Elifabethæ sacrum in arce visitur; in civitate S. Crucis elegans Templum, cum minoribus Odæis. Multi sunt in dilaudando crucifixi Servatoris simulacro, præcipuo principis Fani Ornamento, & Cymelio, quibus illud obtigit vidisse. Tam scite illud effabricasse sculptor fertur, ut non modo concinnissime compacta membra, artus, & ossa, sed ipsæ etiam venæ, per corpus sparæ, expressæ notentur, ac vivum quiddam spirent. Narrat de hac ipsa æde sacra Istvánffius Lib. XX. Hist. ad tegenda belli, in Alexandrum, Moldaviæ Principem, suscepti consilia, curatum funus esse famosi Despotæ Jacobi, & inane feretrum terræ mandatum, Despota interim in abditissimo arcis angulo latente, ac pompam apparatarum sibi inferiarum clam spectante.

§. VIII.

De SCHAUNIKIENSI SACERDOTIO, LAPIDIS REFUGII, ET LECHNITZIENSI Cænobio, Abbatia S. Mariæ de SCEPUSIO, cæterisque sacris Comitatus SCEPUSIENSIS locis.

PRæter enumerata jam loca, non pauca antiquis temporibus Religiosorum Domicilia hunc Comitatum exornabant. Dat ea, more suo, insigni compendio Ladislaus Turoczius sua in Hungaria pag. 162. in hæc verba: „ Non magnifica modo cultaque est SCEPUSIENSIVM TERRA, sed sancta in primis, atque religiosa; si quidem retroacta spectes tempora. Tot namque hac in parte una famulantium DEO assurgent ordines, quot in alia nulla. Ferunt: eo in concursu, qui anno MLXXVIII. dum corpus D. Regis Stephani Albæ-Regalis levaretur, quodam Eremitarum prodigiosam illam dexteram pio furto subreptam, hasque in partes translata, & ad radices Carpathi constructo Monasterio honorifice habitam; quod etiam S. subinde Ladislaus & invisit, & instauravit. Abbatia Cisterciensium de *Casa Nova* fundata est MCL. altera eorundem in SCHAUNIK de *candelis* MCCXVI. tertia S. Mariæ anno MCCXXII. In Landek alii Cistercienses, Præmonstratenses alii ponunt. In arce SCEPUSIENSI ad D. Elifabethæ Augustini accubabat

„ Ot-

„ Ordo ; Franciscanus item ; qui & sub arce & Leutschoviæ excubabat.
 „ In Lapide Refugii ad S. Joannis Baptistæ , in valle item S. Antonii ad
 „ Lechnicz, cui nomen Claustrum Rubrum, meditabantur Carthusiani.
 „ In Sztraska fuum dicuntur habuisse Conventum crucigeri, qui fortasse
 „ & Hunsdorffii vigilabant. Sunt Monasteriorum rudera in Rikno, ad
 „ Krompach, Dravetz, Vilniczæ, Stolnæ prope Batisfalvam, quæ etiam
 „ nominatur Stola S. Joannis Baptistæ ; sed quorum Religiosorum, incer-
 „ tum. Legitur etiam : Moniales habuisse Kesmarkinum ; imo & ipsa
 „ SCEPUSIENSIS Arx Magnum Monasterium fuit appellata. Hoc tem-
 „ pore in LECHNICZ Claustrum Rubrum incolunt Camaldulenses, be-
 „ neficio Ladislai Mattyasovszky, nuper laudati Antistitis ; quinto forum
 „ Conventuales, PODOLINUM PP. Piarum Scholarum. „ En pagi-
 nam solis propemodum nominibus Cœnobiorum plenam. Ad quam atti-
 nent Szepes - Varallyenses FF. Misericordiæ, quique suis locis memorati
 sunt PP. Societatis JESU, ac Minoritæ. Fortasse non ingratis Lectorum
 de infertis titulo sacris locis quædam addi queunt. Et SCHAUNIKEN-
 SIS quidem Cisterciensium Abbatia *de Candelis* in fuorum Herorum pos-
 sessione manebat ad annum MDXXVI. aut sequentem ; quo, dilapsis
 illis, per Joannem Zapolyam Hieronymo Lasko una cum arce Kesmarken-
 si, in præmium navatæ apud Solimannum operæ, tradita esse perhibetur
 anno MDXXVIII. A Laskianis hæredibus ad Rubrum, ab hoc ad Seba-
 stianum Tökölium transit, annum circiter MDLXXIX. non ante extin-
 ctum nefarium nomen illud e tabulis Hungariæ, Ecclesiæ reddenda. Venit
 in ejus possessionem Szécsénius ille Georgius, eamque in dotem Collegio
 Agriensi S. J. anno MDCXCII. bona Regis gratia, attribuit. Degunt in
 loco, ædificio commode per Tökölianos instructo, terni JESU Socii, &
 cum re familiari, sedulam subditorum, ad fidem, & dignos, Christianis
 hominibus, mores traducendorum curam habent. At LAPIDIS REFU-
 GII vel nomen ominosum est. Referuntur ejus initia ad annum MCCXLI.
 quo in Letanfalvensis territorii faxeo monte, undique abrupto, in quem
 non nisi angustissimo uno tramite pateat ascensus, in morem castri cœptus
 est construi murus, ut esset perfugio regioni SCEPUSIACÆ, adversus im-
 pressionem Tartarorum. Pacato subinde Regno, ne locus incolis vacuus
 pristinam rediret in solitudinem, positum est Divo PræcurSORI Dominico

Fanum, & Carthusianorum Asceterium, quod Lechnitzenſi villa dotavit opulentus quidam Dynaſta Kokos ſub annum ſæculi XIV. nonum & decimum, utque ratam haberet eam donationem Rex, poſtero effecit. Incoluiſſe jam antehac Aſcetas illos, atque adeo dejectos quoque loci hujus poſſeſſione fuiſſe, maleficio, quod monebam, Matthæi Trenchinienſis, inde conficio, quod e veteri quodam codice erutum ſe in Adverſaria referre memorat P. Timon : „ Anno, inquit, MCCC.V. Clauſtrum L APIDIS „ REFUGII transfertur Leutſchoviam ad S. Laurentium. „ Notat idem: ſæculo XV. Prioratus L APIDIS REFUGII fuit unitus Prioratui Lechnitzenſi. Quare recuperatis L APIDIS REFUGII ditio nibus ab obitu Matthæi, Kokofii beneficium videtur exædificando novo Clauſtro attributum fuiſſe, quod jam Rubrum dicitur, & incolas Camaldulenſes habet. Florebat poſt hæc virtute Carthufia L APIDIS REFUGII, dum per Podmaniczkiſium, ac Bozeos Fratres Mathiam, & Demetrium (Baſones Mathiam, & Matrinum vocat Iſtvánffius) latrociniis diriperetur Hungaria, & complura munitiora caſtra in aſylum verterentur prædarum, Klifenſis nominatim, Muranyenſis, & emotis Carthufianis, REFUGII L APIDIS. Edomitos equidem, atque arcium harum poſſeſſione dejectos prædatores illos novimus; verum quod non penitus quiverit fæx illa conſccleratorum hominum excindi, viſum iis eſt, qui armis pacarant Provinciam, e quiete Regni fore, ſi ipſa facinoroſiſſimorum hominum receptacula raderentur. Ita factum L APIDE REFUGII ante medium ſæculi ſexti decimi. Nam adoleſcente anno MDXLIV. Religioſos viros illos loco deceſſiſſe, atque iterum Leutſchoviam commigraſſe (ubi Natæ Angelorum Reginæ Templum, ac Cœnobium architectatos fuiſſe non plane nulli exiſtitant) habeo, unde aſſeverem. Super eſt Abbatia S. MARIÆ de SCÆPUSIO, teſte Cardinali Pazmano in Appendice ad Synodum Strigon. anno MCCXXII. inſtituta, anno autem ſæculi noſtri octavo & decimo Auguſta Caroli VI. Romanorum Imperatoris, & Mariano-Apoſtolici Regis pietate inſtaurata, dum ei præficeretur Excellentiſſimus ac Reverendiſſimus D. Comes Nicolaus Cſáky, jam Archi-Præſul Coloczenſis, tunc Topographiam hanc compendio majore concinnatam, ſub auſpiciis ejuſdem ſacra tiſſimæ Cæſareo-Regiæ Majeſtatis primum inter Auditores diſpergens in actu publico propugnata Philoſophiæ. Diploma Regiæ collationis ita habet :

„ NOS

„ **N**OS CAROLUS &c. Memoriam commendamus tenore presentium
 „ significantes, quibus expedit universis. Quod Nos inducti eximiis
 „ virtutibus, morum integritate, & exemplaris vite conversatione, cæte-
 „ risque præclaris animi dotibus, & qualitatibus, Fidelis nostri Honorabi-
 „ lis, Spectabilisque, ac Magnifici Com. Nicolai Csfaky de Kerefszszegh,
 „ Collegii Pazmaniani hic Viennæ Alumni, quibus ipsum DEI altissimi
 „ munere insignitum atque ornatum esse, ex fide digno plurimorum Fide-
 „ lium nostrorum Testimonio; ac serua, & humili recommendatione beni-
 „ gne percepimus. Eundem itaque Nicolaum Comitem Csfaky, tanquam
 „ in progenitoribus suis bene meritum, ac optimæ expectationis idoneam
 „ personam, Nobis gratam & acceptam, ad Abbatiam S. MARIÆ in
 „ SCEPUSIO, Diocesis Strigoniensis, Authoritate Juris Patronatus no-
 „ stri Regii, quod generaliter in omnibus prælibati Regni nostri Hungariæ,
 „ partiumque eidem annexarum Ecclesiis, ac Beneficiis, instar primorum
 „ quondam Hungariæ Regum, Prædecessorum videlicet nostrorum, glo-
 „ riosæ reminiscentiæ, optimo jure haberi, & exerceri dignoscimur; eligen-
 „ dum, & nominandum, eidemque ipsam Abbatiam S. MARIÆ in SCE-
 „ PUSIO, Diocesis Strigoniensis, simul cum universis illius bonis, ac ju-
 „ ribus temporalibus, videlicet castris, castellis, oppidis, villis, prædiis,
 „ & juribus possessoriis, cunctisque aliis utilitatibus, obventionibus &
 „ emolumentis, ad eandem Abbatiam de jure, & ab antiquo spectare, &
 „ pertinere debentibus, dandam, & conferendam; ac ipsum ei, cui in-
 „ terest, pro consequenda Canonica Benedictione præsentandum esse du-
 „ ximus. Imo eligimus, nominamus, donamusque, & conferimus, ac
 „ præsentamus presentium per vigorem. Datum in Civitate nostra Vien-
 „ na Austriæ die XVI. mens. Febr. Anno Domini MDCCXVIII. Regno-
 „ rum nostrorum &c.

CAROLUS.


COMES NICOLAUS ILLYESHAZY.

JOSEPHUS SIGRAI.

§. IX.

*De reliquis Castris, Castellis, & nonnullis
TERRÆ SCEPUSIENSIS vicis.*

ARcium TERRÆ SCEPUSIENSIS potiores, quantum patitur opusculi hujus compendium, jam adumbravimus. DUNAVETZIA reliqua est, de qua agamus. In sublimi, præruptaque eminent petra, ad ipsos Poloniæ fines, nomen fortita a pone labente fluvio. Si positum spectes, objecta videtur Schorstinenfi Polonorum castro, intra ictum pilæ majoris excitato. Zapolyani juris diu erat; postea in præmium navatæ apud Turcam operæ Laskio per Joannem transcripta. Ætate hac Illustrissimæ Joannelliorum Baronum Familiæ ditionibus adscripta est, nec procul a ruina distat. In castellis numerantur BATH-FALVENSE, & MARCUS-FALVENSE Mariassiorum; BETHLEHEM-FALVENSE, & TOPORCZENSE Görgeyorum; SCHAUNIKIENSE olim Tökölyorum, jam Agriensis S. J. Collegii; FRIDMANENSE Barkocziorum Comitum; LANDOKENSE Lufinszkiorum Baronum; NEHRENSE Horvath-Stansithiorum, reliqua. Vicos, qui sacrarum ædium rudibus lugent, aut ædificiis sacris juxta, profanisque celebrantur, plerosque nominavimus. BUSSOCZENSIS tumulum ostentat, quo obruta ferunt Hunnorum a Romanis ad Kesmarkum cæsorum cadavera. KERESZT-FALVAM Salmonum captura; LANDOKUM marmoris, ac alabastri (rariores tamen) venæ; JEKEL-FALVAM ferri fodinæ; VOIKOCZUM, NAGY-SZALOKUM, BALDOCZIUM, & cum his plurimos alios, acidularum fontes memorabiles faciunt; ne lapidescentium, & lavandis corporibus perquam salubrium aquarum syllabum texamus.



CA-

CAPUT QUINTUM.

DE COMITATU SAAROSIENSI.

§. I.

*Nomenclatio, fines, Nobilitas, Supremus Comes
Comitatus SAAROSIENSIS.*

SAAROSIENSIS Comitatus, ad Hungariæ fines & ipse sepositus, a septentrione Polonia; ab ortu Ungensi, & Zempliniensi; eodem, & Aba-Ujvariensi a meridie; ab occasu Scepusiensi Comitatu coercetur. Nomen traxit ab amplissima SAAROSIENSI arce, cujus monti affunditur oppidum nominis ejusdem. Ad ejus rudera ne regredi cogamur, speciem quandam urbis amplitudine sua referebat, excelsi, coniceque assurgentis montis crepidini superstructa. Præcipuis ejus in laudibus ponitur vetustas, ut quæ Belam Regem II. accepisse hospitio notetur. Recedit septentrionem versus sesqui alterius horæ itinere Eperjesino, Rakoczianis ante postremos civiles motus obnoxia. Penes eosdem erat dignitas quoque Supremi Comitatus Provinciæ hujus; quæ situ hilari est; in colles amœnos, plana, sylvasque commode dispescitur; ac procurrat longitudine in decem, latitudine in sesqui mensuram eandem. Invenitur Ducatus honore aliquando aucta fuisse, atque illustri hoc cum titulo Emerico Perényio, Regni Hungariæ Palatino, indulto Wladislai II. donata, ut auctor est Istvánffius Lib. VI. Histor. Non appetitam prærogativam illam, ut existimo, mors Perénii terminavit. Ager isthic nec fertilissimus, nec passim sterilis est; qua in valles deprimitur, optimam reddit messem; an in aliquo collium sua Bacchus orgya celebret, definire non ausim. Plus habet a falis proventu commodi; plurimum a pervetustis iisque bene numerosis elegantissimæ Nobilitatis Stemmatibus. Munere Supremi Comitatus fungitur Excellentissimus D. Comes Thomas Szirmai, de Szirma-Bessenye, a sanctioribus Augustæ Consiliis.

§. II.

De Libera Regiaque Civitate EPERJESINENSI.

PRinceps trium Liberarum, Regiarumque Civitatum, ac Metropolis SAAROSIENSIS Comitatus EPERJESINUM est, ædium nitore, vicorum munditia, civium urbanitate, Regio Tribunali (districtualem appellant Tabulam) mercatu, munitione, memoratu digna. Ortum ejus Timon refert ad initium sæculi XIII. atque a Fragis, (Hungarico sermone *Eper* dictis) nomen mutuasse, e vulgo recepta opinione scribit in hunc modum: „Præ-
 „ potens vir Nobilis, *Fintæ* vici, finitimis noti, herus, ditionem produ-
 „ ctam habebat ad ipsum EPERJESSI locum. Conjux, quam sibi de-
 „ sponderat, Fraga deperibat. Ne deesset gulæ uxoris vir mulierosus, præ-
 „ dium excitari iussit. Crevit hoc incolis, ut anno Christi MCCXLVIII.
 „ villa diceretur. „ Parebat Dominis, qui Comites EPERJESINEN-
 SES dicebantur; quibus extinctis, se in libertatem asseruit annum circiter
 MCCCC. Assidet amni Tarczæ, duobusque muris, ac fossa prætenditur;
 quibus, postremo Civili bello fervente, nova quædam ad firmitudinem
 accessere opera, terreum nominatim propugnaculum ad portam superiorem,
 amplum, firmumque. Distat Cassovia (cui ob ovalem figuram multum
 assimilatur) quatuor milliaribus, sex autem Leutschovia, sub gradu latitu-
 dinis 48. cum min. 49. longitudinis autem 44. cum min. 46. In opulentio-
 ribus censetur civitatibus, ob comærcia cum Polonis, Silesiis, & vicinis Hun-
 gariæ Comitatibus. In occidentali tractu adhæret urbi suburbium, fluvio
 Tarcza interceptum; a cujus tergo porriguntur horti, ad utilitatem juxta, ac
 ingenuam animorum oblectationem eleganter confiti, sese ad amœnos usque
 clivos explicantes; ultra quos scaturiunt acidulæ, amica viatoribus pocula
 præbentes, urbem heram oblectantes. Sunt & alia, meridianæ objecta portæ
 Topiaria, lectissimisque arboribus instructa pomaria, quarum fructu (præ-
 fertim ceraforum, hic, & SAAROSIENSI in agro laudatissimorum)
 compensantur deliciæ vinetorum. Forum bina ornant delubra; Germani-
 cum, Divo Nicolao sacrum, quod visentibus, exhiberi subsellium solet
 Lutheranorum (Evangelici appellari amant) dogmate vetustius. Alterum
 Natæ Angelorum Reginæ Patrocinio insignitum. Illud Paræcorum, hoc
 suo nomine possident, ac sacris procurant JESU Socii, EPERJESINUM

in-

ingressi anno MDCLXXIII. Regio cum milite, cujus animarum curam gerebant, promoventibus pios eorum conatus Catholicis, Ladislao cum primis Mattyafovszkio, Nitriensi Episcopo. Duo reliqua, quæ urbem hanc ornant, Templi discedunt in latera; horum alterum Patrum Minoritarum, Divo Joanni Baptistæ sacrum, ornatus reddidit Alexander Ketzler; alteri, strictioris Observantiæ, Seraphici itidem Patris filiorum, anno MDCLXXXII. ad ima per Heterodoxos raso, multo augustius superstruxit hodiernum Franciscus L. B. Klobuficzky suis cum hæredibus. Quas belli vices tulerint, EPERJESINENSES cives, operosum foret exequi. Octavo, & quadragesimo, ab extructis muris anno sæculi XV. supra quadagesimum altero, duo Nicolai Zaika Brozovicæ, Comorovius Podolino Scepufiaco Præfecti, cum raptò viventium Polonorum manipulo EPERJESINUM, modico Iscræ præsidio tentum, concubia nocte subierunt, diripuerunt, incendunt; quo tempestive cognito, Iscra cum expedita equitum ala grassatores affectus, cecidit, aut fudit, prædam recepit, Ducibus in potestatem reductis. Memorabilis præterea civitas hæc est Alberti, Poloniæ Regis, confugio. Nam posteaquam sinistro prælio dimicasset cum Stephano Zapolyano, Wladislai, Regis Hungariæ, copiarum Duce ultra Cassoviensem montem; e fuga EPERJESINUM digressus est; ubi a victore circumventus, perditis rebus nihil porro spei affulgere videns, ejus arbitrio se permisit. Tökölio quoque infaustum nomen erat urbis nostræ. Nam sæculi superioris anno LXXXVI. quum Cæsareos ejus affectæ (septies mille fuisse memorantur) ad jentaculum cum sarcasmo intra EPERJESINENSIA Pomæria invitassent; sub auroram quater mille invitati adfuerunt, extremamque cladem tumultui illi intulerunt; ut adeo Princeps ipse fuga in Transylvaniam elabi necesse habuerit. Postremis denique domesticis turbis ab Rakoczianis occupatum, diuturnam eorum passum est servitatem, in libertatem anno primum MDCCX. assertum.

§. III.

*De BARTPHA, & CIBINIO, Liberis Regisque
Civitatibus Comitatus SAAROSIENSIS.*

Altera Liberarum, Regiarumque SAAROSIENSIS Comitatus Civitatum, BARTPHA, a Carolo Rege I. condita esse proditur anno MCCCXXIV. At quia Ægidiani ejus Templi turris exhibet annum MCCXXI.

MCCXXI. Ladislao Turoczio adstipulabere, si civitatem hanc a Carolo inter Regias Liberas relatam, aut ornatam, auctamque opineris. Idem Scriptor elegans muris incinctam esse refert anno MCCCLII. Ambitu, in orbem ducto, parva est interior; at suburbia sat ampla habet. Commendatur a curata rei politicæ administratione. Olim decus non minimum accipiebat a Typographica officina, de qua prodierunt V. Libri Hungaridum, Joannis Boccatii Gymnasiarchæ Eperjesinensis, vena ubere magis, quam limpida fusi. Præter Divi Ægidii Fanum, frequentatur alterum Christi Præcurfori sacrum, quod accolunt PP. Franciscani. Tertia SAAROSIENSIS CIVITAS REGIA CIBINUM est, angustis & ipsum terminis describitur; situ autem & cultu plurimum præstat. E Majorum narrationibus incolæ se didicisse ferunt: Villam hic aliquando constitisse Sabinæ, Belæ IV. filix; a qua Slavicum SZABINOW nomen in ipsam Civitatem dimanavit. Divellit duobus miliaribus Eperjesino in valle SAAROSIENSIS Castrum Leutschoviam versus. Donavit hac Civitate PP. Piarum Scholarum ætate nostra Desöffius prædives strategus.

§. IV.

De KAPI-VARINO, SO-VARINO, cæterisque Comitatus SAAROSIENSIS Arcibus, Castellis, & Oppidis.

KAPI-VARINUM vetustissimæ cognominis Familiæ oppidum, & castrum; quæ rerum hic potitur ab annis prope quingentis. Arx tot sæculorum varia fortuna nondum obsolevit; oppidum duo heris digna habet castella. Recedit Eperjesino ad orientem uno milliari; vix dimidio SO-VARINUM oppidum, coctilis salis fodina nobilissimum. Extant intra fines ejus pervetustæ arcis rudera; quæ una cum oppido gentilitia quondam erat Sofianæ Equestris Ordinis Familiæ. Suis pariter ruinis consépulta sunt castra, olim illustria, HANUSSENSE, MAKOVICZENSE, PECH-UJVARIENSE, TARKÖIENSE. In SZTROPKONIS, MAKOVICÆ, cæterisque vicis, oppidis, castris, castellis, Poloniae vicinis, ipsa adeo Civitate BARTPHENSI magnam commeatus bellici vim congefferant anno MDCLXXXIV. Tököliani, quam, receptis in fidem lo-

locis illis, insigni compendio Regi afferuit Schutzius Cæsarei militis Ductor. Melior conditio Castellorum TARCZENSIS, duorum TOLCSIKENSIS, ZBOROVIENSIS admodum trium, ac SEBESINENSIS. Oppidum hoc incolitur etiam a Filiis Sancti Francisci, quibus Cænobium, ac Templum condidit Catharina Forgachia, Heroïna religiosissima. Perhibent: sepulchrale marmor in modo nominato conspici delubro, quod toties, quamcunque sicca tempestate, præter morem humescat, & sudet, quodammodo, quoties, ubivis terrarum, de gente Forgachia quispiam diem suum obiturus est; id quod diuturni temporis experimentis testatum esse accolæ asseverant. Clarior prodigiis, aut certe prodigii simillima virtute fons est DIVÆ ANNÆ. Accedit e propinquo Scepusiensis Provinciæ collimitio, magnisque religionibus, ac populi concursu Annæ ædes illa, die Divæ sacro, frequentatur.

CAPUT SEXTUM. DE COMITATU UNGENSI.

§. I.

Limites, agri felicitas, Fluvii, Supremus Comes Comitatus UNGENSIS.



Discutant nonnulli UNGENSISne, an UNGVARIENSIS, potius dicendus sit Comitatus? utrumlibet mavelis, perinde fuerit. Arx, totius Provinciæ caput, ab amne præterlabente *Ungo*, Comitatus commode ab arce appellationem mutuatus fuisse, credi potest. Fines ejus a septentrione in Poloniam; ab ortu in Maramarosiensem Comitatum; in Bereghiensem a meridie; ab occasu in Zempliniensem procurunt. Agrum, qua planus est, sat pinguem ferit; colles vitiferos non illaudati multi feraces; montes feris, præstantissimisque avibus opimos; lacus testudinibus fætos, in commodis ponit; in deliciis vero, sinuosos saltus, amplissimas valles, quas perennibus aquis irrigant Tarcza, Ungus, Laborcza, minoresque rivi; qui in unum devecti alveum, Bodrogum augment. Præest huic Patriæ Charitum (ita eam

vocat nonnemo) Supremi Comitum munere Illustrissimus D. Emericus L. B. Sztaray de Nagy-Mihály, S. C. R. Majestatis Regiæ Cameralis Administrationis Scepusiensis Confiliarius.

§. II.

De Arce, Oppidoque UNGVARINENSI.

JUvat huc conjicere quæ Anonymus Belæ Regis Notarius Cap. XIII. suæ Historiæ de septem Ducum Hungariæ ingressu in Pannoniam refert in commendationem UNGENSIS (HUNGENSE is vocat) castri : „ Tunc, „ inquit, Dux Almus, & sui Primates audientes talia, lætiores facti sunt „ solito, & ad castrum HUNG equitaverunt, ut caperent eum. Et dum „ castra metati essent circa murum, tunc Comes ejusdem castri nomine „ *Loborcy*, qui in lingua eorum *Duca* vocabatur, fuga lapsus ad castrum „ *Zemplum* properabat ; quem milites Ducis persequentes juxta quendam „ fluvium comprehendentes, laqueo suspenderunt in eodem loco. Et a „ die illo fluvium illum vocaverunt sub nomine ejusdem *Loborcy*. Tunc „ Dux Almus, & sui castrum HUNG subintrantes, Diis immortalibus „ magnas victimas fecerunt, & convivia per quatuor dies celebraverunt. „ Quarto autem die, inito consilio, & accepto juramento suorum, Dux „ Almus, ipso vivente, filium suum Arpadium, Ducem, ac Præcepto- „ rem constituit. Et vocatus est Arpad Dux HUNGARIÆ, & ab „ HUNGU omnes vocati sunt HUNGVARI, secundum linguam alieni- „ genarum ; & illa vocatio usque ad præsens durat per totum mundum. „ Non voco in quæstionem, qua hæc fide, sed propositum meum persequor. Ab amne Ungo profluxisse UNGVARINENSIS castri, oppidique nomen, jam notavimus. Is in montem incurrens, scinditur in brachia duo, quibus velut complexus jugum, iterum coit, Insulamque facit. In hac, quod extra commode elevati collis crepidinem est, oppidum occupat, omni quondam cultu visendum, hoc ævo humile, nec minima parte vacuum. Ad- dit humilibus casis multum elegantix Collegium Societatis JESU cum Gymnasio, inter prima Hungaricorum excitatum ab Illustrissimo D. Comite Joanne Drugeth de Homonna ; promovente fabricam Georgio Lippaio Strigoniensi Metropoli octingentorum florenûm subsidio ; rem vero familiarum augente insigni vinea, Tokaiensi in agro plantata, Catharina Principe Bran-

Brandenburgica, Gabrielis Bethlen, Transylvaniæ Principis vidua; denique moliendæ Templi fabricæ sumptus addicente Sophia Principe Bathoria. Contulerat quoque Seminario Clericorum, ac Nobilium Juvenum Convictui dotem aliquam Georgius L.B. Milith; sed quam majoris profectus ergo visum est Cassoviam transferre. Est Parochiale quoque Templum in oppido, quod commode capiat cives. At Eremitarum S. Pauli, ad sacratissimi Corporis Christi, ædes dudum everfa est. Arx, quæ superiorem clivi partem occupat, in præcipuis olim erat deliciis Comitibus Drugethis. Duas dispescitur in regiones, exteriorem fossæ, utcunque depressæ, & quinque propugnacula muniunt; interior autem, in quadrum educta, Palatiis ornatissimis superbiebat. Obsolescunt jam decora illa, ac in ruinam inclinant. Miræ locus amœnitatis est; habetque in vicinia aquas perquam salubres, quarum calor modicus, si admoto igne intendatur, eos quoque morbos articulares præsertim continuo depellunt, quibus ferventiores aliæ levamen afferre non valebant. Nescio, hicne, an alter fons est, a S. Rege Stephano habens nomen; cujus Divi honoribus propter scaturiginem erectum est Templum, multo populi concursu frequentatum.

§. III.

De cæteris Comitatus UNGENSIS Arcibus, Oppidis, Castellis, Vicis.

SECUNDAS ab UNGENSI oppido tenet PALOCZIUM, nobili castello instructum. Plura numerat VINNA, quæ arcem quoque ostendat, excelfo, ac prærupto in monte eminentem. Habet castrum & oppidum SZEREGNYENSE; in cujus vicinia (Ville locum dicunt accolæ) candidus Divi Pauli I. Eremitæ Ordo psallebat. Gemino KAPOSINO frequentia populi; minoribus castellis, ac arcibus, prior fortuna, quodque superiore sæculo, ferventibus inter Homonnaios, ac Rakoczios bellis diruta sint, conciliat memoriam. Non prætereundi adhæc extremi Provinciæ hujus recessus ad fluvium Labortzam. Insident eos Rutheni, per Turjanu, Verchovinam, & Krainam, Cosacorum imitatione, dispersi. Caput hujus saltuosæ regionis est pagus OROSZVEG, sedes antehac Episcopi Schismaticorum. Ita nimirum a vera Religione alieni inter montium, rupiumque

latibula inanem sui facere pompam consueverunt. Jam recepti gremio Matris Ecclesie subiecti sunt Munkatfinensi Græci Ritus Episcopo.

CAPUT SEPTIMUM.

DE COMITATU BEREGHIENSI.

§. I.

Nominis origo, amplitudo, fines, soli natura, Supremus Comes Comitatus BEREGHIENSIS.



Remotioribus Hungariæ Comitatus, quæ a septentrione declinat in ortum, BEREGHIENSIS est. Accipit appellationem a BEREGHO oppido, quod a cæteris, si quæ sunt, discernit adjectum nomen gentile *Szasz*, quod, Latine redditum, Saxonem significat; nam Saxoniam huc olim Coloniam perhibent adductam fuisse, castrumque condidisse, aut antea conditum infedisse; cujus hodie vestigium ostendi ait Timon. Florebat ante annum MDLVI. oppidum hoc sacro Divi Dominici virorum, ac fœminarum ordine, quibus, cum facultatibus, ac domiciliis vitam eripuerunt prædicto anno, quos, æmula illa cœlitum in terris urit vita. Aquilonem versus incurrit in Comitatus Ungensis Regionem, quam inferiorem Ukrainam dicunt; ab ortu, coercetur Marmarosienfi; ab Austro Ugocsiensi; ab occasu Zemplénienfi Comitatus. Octo & decem milliaria in ambitu, longitudine facile sena, latitudine, ut plurimum, quaterna milliaria complectitur. Gloriatur novalium fertilitate, quæ desidem etiam colonum largamessè ditent; vitiferorum collium generoso fructu; glandiferarum silvarum amplissimo reditu, pratorum luxurie; testudinum, piscium, ferarum, volucrumque copia, aëris clementia. Supremi Comitatus munus pro Comite Shömboren obit Illustrissimus D. Josephus L. B. Szent-Ivány de Eadem, S. C. R. M. Inclytæ Cameralis Administrationis Scepusiensis Consiliarius.

§. II.

§. II.

De castro, oppido, & ditione MUNKAT-SINENSI.

OMnium, quæ interammana Hungaria finu continet, nominatissimum MUNKATSINENSE castrum est. Describit arcis positum Istvánfius Lib. XXIV. Histor. in hæc verba : „ Ea, inquit, est ad rupem miro naturæ artificio, patentibus in campis, nulla montium contigua serie enatam ædificata; quam Theodorus Queriatovitus, Princeps Ruthenus, quum Caroli, & Ludovici, Pannoniæ Regum permissu, arci dominaretur, magno, ut videre est, & indomito labore, præalta, & profunda fossa in faxeo solo circumcinxit, ac propugnaculis munivit; quum tamen illa antiquitus peculio Reginarum Ungariæ attributa fuisset. „ Pertinet hæc scitissimi Scriptoris narratio ad intimam duntaxat arcem, quæ sola eminebat ejus ætate. Is enim anno sæculi superioris VI. quum Commentaria sua continuaturus ad coronationem Mathiæ Regis concessisset Pofonium, ibique cum Benedicto Turoczio, necessario suo, ripam Danubii obequitarret, subita tactus est apoplexia, qua usum scribendi amisit; castro autem interiori, in solitario monte illo eminenti ad septentrionem, quæ meridiem versus cohæret munitio, accessit anno MDCXXXVIII. duobus post, extrema. Munitur utraque hæc septem propugnaculis, mole grandibus, firmitudine validis, impendiis Rakocziorum; quorum de stirpe Franciscus anno MDCCVI. montis radicem aggere circumdedit, immisissique in fossas Latorczæ aquis, communivit. Trifarie secto MUNKATSINENSI castro conciliat gratiam latissime porrectus aspectus, hinc in subjectum LATORCZAM, trifarie sectum, pauloque remotius decurrentem Tibiscum; inde in prata, vitiferos, colles, agros, silvas, & montes. Ab radice montis, quem castrum obtinet, recedit oppidum ejusdem nominis, horario itinere; quod cum vicis tercentum (ita perhibetur) conficit ditionem MUNKATSINENSEM; ut mirum non sit, Ducis aliquando titulis Heros castri hujus insignitos fuisse. Sane reditus habet vel e solis suis peropimos, cum eorum millia complura glandibus quot annis faginet. Cinxerat hoc oppidum laudatissimus ille Dux Theodorus muro, cujus jam ne vestigium quidem superest. Ejusdem beneficio sub annum MCCCLX. assurrexit Clau-

strum Monachorum Græci Ritus, Romanæ Ecclesiæ unitorum, Abbatix S. Nicolai titulo decoratum, quod attributis quorundam vicorum, inter alia Oroszvegenfis, Decumis dotavit, cui jam Episcopatus dignitas accessit, eminet eo honore Illustrissimus ac Reverendissimus D. Manuel Olšavszky, qui una Marmarossiensis Antistes est, ac Vicarius Generalis Episcopi Agriensis. Ne viro Duci concederet pietate conjux Dominica, posuit in adversa Latorczæ ripa Basilianarum Asceterium Sanctimonialium, cujus rudibus ingemas. Non prætereundem hoc loco MUNKATSINENSIS vetustatis monumentum, quod in literas transfudit Anonymus Belæ Regis Notarius, ita Cap. XII. scribens de adventu Hunnorum in Pannonias Duce Almo : „ Venientes per silvam Hovos ad partes Hung descenderunt, & „ cum illuc pervenissent, locum, quem primo occupaverunt, MUNKAS „ nominaverunt, eo quod cum maximo labore ad terram, quam sibi ad „ optabant, pervenerant. Tunc ibi pro requie laborum suorum XL. dies „ permanferunt, & terram ultra, quam dici potest, dilexerunt. „

§. III.

Memorabilia de Arce MUNKATSINENSI.

PRæfens, ac proxima retro duo, bellis civilibus contemerata sæcula, illustraverunt MUNKATSINUM. Memoranda cum primis est ejus fortuna anni MDLXVII. quo in ditionem Regis venit, Svendio, Cæsarearum cohortium Duce. Præerat arci pro Joanne Sigismundo, Transylvaniæ Principe, Joannes Lugassius cum collega Demetrio Querepecio. Horum ignavia usum est Numen, ut suo redderetur Domino, etsi ab universo apparatu instructissima esset. In eadem summam factionis suæ constituerat Tökölius, ac Franciscus Rakoczius. Tökölius certe universam suæ domus gazam isthuc congefferat, proque marito uxor, animi virilis foemina, præsidio castrum hoc tenebat ad annum usque MDCLXXXVIII. quo tandem diuturna obsidione pressa, speque gratiæ, apud Leopoldum ineundæ pallecta Caraffæ Archi-Strategi arbitrio sua, seque permittit. Franciscus Rakoczius peræque hanc ad anchoram postremum adhæsit; nihil dubitans, ab amissa quoque Cassovia hunc maxime opportunum suis consiliis locum pro virili tueri. Ignium vis maxima, quos injecere Cæsarei, animos extinxit, ac deditionem extorsit. Inclaruit MUNKATSINUM Sophiæ Bathoriæ, incom-

comparabilis Heroinæ, ac Stephani Koharii in Regem fide. Illa posteaquam nominatum Franciscum Rakoczium, degenerem filium, novas res moliri certis auctoribus didicisset, machinas bellicas adventanti obvertendas edixit, nisi damnata consilia poneret, Sophiæque Parente dignum in præcordia natum revocaret. Valuit ea sanctæ Matris generositas; Franciscus turbidis machinationibus tum quidem renunciavit, futurus paternis in ædibus captivus, dum a prono in clementiam Rege venia donaretur; ab elata Genitrice, longe laudatissima, ad ingenium rediturus. Stephani deinde, quem dixi, Koharii fidelitas in Regem tam luculenta sui dedit exempla, nulla ut oblivione aboleri queant. Fülekinæ arci præerat, quum in Regem arma Tökölus sumpisset. Fracti molestis, ac ignavia præsidii, fluxa fide, cum proditorie dedito Füleko, in potestatem Bassæ Varadinensis, mox Tökölii venit. Hic nihil blandimentis proficiens, trium supra viginti mensium in ediam edicit, ac tetrum carcerem, nisi datam Regi fidem ejuret. Delectum MUNKATSINUM est, quod tanto captivo nobilitaretur. Specus alte depressus in terram, nec unquam solari patens radio, pro gentilitio erat Palatio; nuda humus pro sella, saxi tuber pro mensa, & culcitra; maligne in dies ad mensa panis buccella, frigidaque pro opsoniis; vestis una, situ & ipsa, omnibus jam membris, deflua, in acerbæ hyemis fomentum, negato vel pugillo veteris stramenti, quo non tam arceretur frigus, quam distinerentur infesta glirium examina; ingluvies, mordaces pedes, pædor ab exonerata eodem in antro natura; negatum, quo fere vitam tuebatur, tabacum, ac omnium hominum contubernium, ipsius adeo Sacerdotis, apud quem, suis Religionibus, expiaret animi noxas, alloquium, hæc, inquam, præduræque compedes germanam Stephani Comitis in Regem fidem probaverunt MUNKATSINI ultra biennium; unde Unguarinum, mox Patakinum translatus nihilo mitiora expertus est, dempto, quod compedibus (quæ tibias exederant) fuerit solutus. Tot acerbis exercitæ Koharianæ fidelitatis exemplo nihil ego addi posse præstantius in laudem

MUNKATSINI reor.



CAPUT · OCTAVUM.
DE COMITATU MARMAROSSIENSI,
ET
DISTRICTU KÖ-VARIENSI.

§. I.

Fines, commoda, Supremus Comes Comitatus
MARMAROSSIENSIS, & Districtus
KÖ-VARIENSIS.



Nigulum, quo incumbit Transylvaniæ, seque orientem versus in Poloniam insinuat Hungaria, implet Comitatus MARMAROSSIENSIS, dictus a vico MARMAROS, qui jacet ad ostia cognominis rivi, in Tibiscum illabentis. Sede Saxonum Bisztricziensi, Moldavia, & Podolia terminatur ab ortu simul, & septentrione, insuper hac a plaga, Bereghiensem quoque Comitatum contingit in Beczkédo monte; a meridie Districtu KÖ-VARIENSI, & Comitatu Szatmarinensí, ab occasu Ugoczienfi, iterumque Bereghienfi ambitur; montibus asper, feris, avibus, & sale prædives. De cæteris dicere non attinet. Sal natus, in modum lapidis communis cæduus, non per Hungariam duntaxat late spargitur, sed in longe distitas etiam Regiones exteras defertur. Interdum in puteis salinarum reperiuntur effictæ in varias formas salis moles, quas, fabellarum amans vulgus, in universali cataclysmo consépultas fuissè autumat, cum reapse sint lusus artificis naturæ. Porro tanta MARMAROSSIENSIBUS in montibus vis salis est, ut nusquam alibi major esse putetur, quæque universæ Europæ sæculis pluribus affatim sit futura. Supremi Comitis partes implet Illustrissimus D. Comes Ladislaus Haller de Hallerkö, qui una a Consiliis est Augustæ.

§. II.

§. II.

De HUSZTO, cæterisque nominatioribus Comitatus MARMAROSSIENSIS locis.

Montibus, silvisque horrens hæc Regni portio quemadmodum perpaucos Nobiles, ita cultiora castella, vicos, & oppida vix aliqua habet. HUSZTUM arx totius Provinciæ præcipua editissimum coronat montem. Ea munitione, jam tertio retro sæculo prædita fuit, ut Sven dius, qui recens tunc Munkatsinum in ditionem acceperat, experiri ejus robur obsidione, devitaret. Opportunitatem castris hinc metiaris, quod quoties Hungaria, Transylvaniaque inter se committebantur armis; in eo retinendo, obtinendove summam rei collocare sint visæ; sub postremi tumultus intestini primordia, puta exeunte anno sæculi hujus III. proditione militum, post injecta Præfecto vincula, in Rakoczianorum potestatem venit. Subjacet castro ejusdem nominis oppidum, binis Templis, Elisabethino, ac S. Catharinæ (cujus vix rudera extant) Virginis & Martyris, olim adornatum. Utrumque Regiæ pietatis monumentum erat, alterum Mathiæ Corvini; alterum Wladislai. Reliqua oppida sunt: VISK, RUNA, SZIGETH, HOSZU - MEZÖ, & UR - MEZÖ, sed de quibus nihil admodum, quod scribatur, suppetit. In MARMAROS aliquando actitasse Paulinos Eremitas; POROSZLONE Abbatem, suis cum Religiosis, nescio quibus, in literas relatum invenio.

§. III.

De Districtu KÖ-VARIENSI.

Portio illa terræ, quæ Districtus KÖ-VARIENSIS appellatur, suo peculiari paret Præfecto (Capitaneum vocant) Joanni S. R. I. Comiti Telekio. Jacet ad ipsos fines Transylvaniæ, Marmarossienfi Comitatu a septentrione; ab occasu Szatmarinensi; ab ortu, & meridie Transylvaniæ Principatu circumscriptus. Est pars, seu Provinciola (Processum dicimus) Comitatus MARMAROSSIENSIS, mutuaturque nomen a præcipuo sibi cognomine castro. Incubat hoc arduæ rupi bifarie divisum. Dragffianæ olim gentis hæredium erat, non unaque data, & accepta clade clarum. Cæteris celebriores inciderunt in annum MDLXVII. sive dum pro Maximi-

liano Rege pugnaretur a Viczmandio, coactis receptui canere, qui Joannis Sigismundi, Transylvaniæ Principis, partes sequebantur; sive dum improvise Præfecti casu (dum enim strenue operi infudaret, dolio, sulphure pleno, quod tractabat incautius, succenso, miserabilem in modum ambufus omnibus membris est) percussi propugnatores, ac irrequieto labore fracti, negligentius agerent excubias, ab eluctatis per mœnia Transylvanis ad unum omnes delerentur.

§. IV.

Fontes, & Fluxus TIBISCI.

Vetustissimis Scriptoribus celebris in primis TIBISCUS amnis, in extremo MARMAROSSIENSIS Comitatus angulo tenuem fontem habet. Cum sit ab ortu rivus, dum emetiatur quatuor milliaria, septem alios recipit fluvios, quorum aquis cumulatus intra ejusdem Comitatus fines grandis evadit. Ab ortu Tokainum usque leniter declinat in Occidentem; inde in meridiem tendit, absorbendus Danubio ad Szalankemenum. Præter plurimos minores rivos, fluviosque absorbet Samusium, ad vicum Apathi; Bodrogum, Ungo, Latorcza, cæteris auctum, ad Tokainum; duobus infra milliaribus Hernadum, Sajonem, Hortobagyum; Zagyvam ad Szolnokum; Cryfios omnes, in unum antea coactos alveum, ad Csongradum; ad Szegedinum, denique, Marusium; ne minorum aliorum, facile viginti mentio fiat. Fluvius hic eorum, quos suo in insigni habet Hungaria, illi maxime proprius est, cum intra ejus fines nascatur, ac nomen perdat. Accolis admodum est utilis, non tam quod secundo illo cum cætera omnia, tum præcipue sal devehî queat, quam ob inexhausta piscium, Luporum, Mugilum, Cyprinorum, Sturionum, Barbonum, Antaceorum, Hufonum &c. copiam, qua vix ulli in orbe secundus est. Sane tertiam ejus alvei partem impleri piscibus accolæ ajunt; non ægerrime, fors, latu-ri, si quis paulo majorem aquis attribuat portionem. Pisces porro, Cyprini præfertim, Barbones, & Lupi, æstate limum olent, quo uno potissimum alveus Tibisci sternitur. Quare ut cæterorum fluminum piscibus conferri sapore possint, limpidiorum, ac recentiorum aquarum vivariis immitti solent, quibus eluantur, ac Cyprinis, qui ad inusitatam crescunt molem, excessiva pinguedo detrahatur.

LIBER SEXTUS.

HUNGARIÆ INTERAMNANÆ

PARS TERTIA.

SIVE

REGIO, VETERUM JAZYGUM SEDES.

CAPUT PRIMUM.

DE COMITATU ZEMPLIENSI.

§. I.

*Nomenclatio, amplitudo, fluvii, soli bonitas, fines,
Supremus Comes Comitatus ZEMPLIENSI.*



Aud uno nomine primas obtinet inter Hungariæ superioris Comitatus ZEMPLIENSI, atque adeo cum universi Regni præcipuis in contentionem venire potest. Terrarum sane spatiis soli, quod sciam, Nitriensi; fluminum Bodrogi, Tibisci, Sajonis, & Hernadi commodis vix ulli; vini præstantia omnino nulli concedit, uno longissime omnibus antecellit. Novalium nihilo deterioris conditio, qua diffunduntur per planum. Ducit nomen ab oppido ZEMPLEN, ad quod secunda fixisse castra Hunni perhibentur, dum Almo Duce in Pannoniam irrupissent. Sunt, qui castrum quoque, cujus hodie dum clara sunt isthic vestigia, ad eam ætatem referant; quod tamen cum rationibus Anonymi, Belæ Regis Notarii prorsus non cohæret. De hoc altero infra §. hic adhuc quædam de fluvii. Primum illud (ut rem verbis Inclytæ Provinciæ hujus demus) *Bodrogum* amnem intra exiguos arctari fines. Enascitur enim primum ibi hæc nomenclatio, ubi omnes rivi a septentrione, oriente, & occidente hanc in Provinciam delati, confluent supra metropolitanum ZEMPLIENSE oppidum. Præcipui eorum sunt ONDAVA, & LATORCZA, quibus confusis superveniens ignobilis

amniculus, accolis *Bodrogus*, suum eis impertit nomen, quod cum aquis defluit in *Tibiscum* paulo infra Tokainum; adeoque reapſe *Bodrogus* non ultra quatuor milliaria porrigitur. Porro *Tibiscus* cum Latorcza fere parallelum tenet curſum, atque cum *Bodrogo*, per tranſverſum in meridiem defluente, Peninſulam efficiunt; intra quam eſt *Proceſſus* Infulanus. Maiores, quos dixi, Provinciæ hujus amnes, ita partito curſu eam irrigant, ut a ſeptentrione *Latorczam*, a meridie *Tibiscum*, & *Sajonem*, ab occidente *Hernadum* habeat; hic vero in *Sajonem* intra fines hujus Comitatus influens, eoque auctus, Kesznitenum propter vicum, a captura Huſonum, ac Antaccorum celebrem, forbetur Tibiſco, iſthic ZEMPLIENſEM regionem deferente. Cingitur Comitatus hic ab occaſu ſolis Aba-Ujvariſi, & Saaroſienſi, ab ortu Unghenſi; a meridie Poſonienſi, & Szabolcſenſi (cujus lacinia Cis-Tibiſcana ad ortum quoque Comitatu huic objicitur) a ſeptentrione Poloniæ Regno. Supremi Comitatus munus cum vita, omnium virtutum pleniffima, poſuit anno ſuperiore Excellentiffimus Dom. Comes Thomas Berény, de Karáncs-Berény, Perpetuus in Bodok, Eques Auratus, S. C. R. M. Conſiliarius actualis intimus, & Tabulæ Septem-Viralis Aſſeſſor, ſapientia, Legum peritia, moderatione, rerum uſu, religione, fide, cumprimis memorandus.

§. II.

De curſu fluviorum Ondavæ, Laborczæ, Topleyæ.

OPeroſe, nec minus venuſte fluxum amnium ſuorum Ondavæ, ac Laborczæ, ſcripto ſuo, ad nos dato, perſequitur I. Provincia ZEMPLIENſIS. Curata id genus deſcriptio, quod plurimum ſemper conducere viſa ſit ad locorum metationem, memoriæque ſubſidium, huc eam totidem fere verbis tranſferimus: „ E nobilioribus, ait Scriptor Provin-
 „ cialis, qui Comitatum hunc interluunt, amnibus, duo ſunt: Andavus,
 „ vulgo Ondava, & Laborceus, accolis Laborcza. Ille ex Comitatu Saaroſienſi advena, ab occidente in orientem; hic in Poloniæ confinio ultra
 „ Homonnam ortus, indigena, a ſeptentrione in meridiem Provinciæ
 „ noſtræ provehunt. Et Andavus quidem fines noſtros ingreditur haud
 „ pro-

„ procul ab arce Sztropkone, visenda Pethojorum Comitum de Gersé sede.
 „ Unde in orientem progressus allambit radicem saxosi collis, in quo emi-
 „ net castrum Csitsva, hæredium quondam magnæ Bathoriorum Domus,
 „ postea Homonnajorum, ætate nostra plurium; quod non Regium præ-
 „ sidium, sed domestici Barkocziorum Comitum (qui in adversa Andavi
 „ ripa a castri regione Tavarnensé castellum habitant) aliquot excubitores
 „ custodiunt. Influit ex eodem Saarosieni Comitatu in nostrum suppar
 „ alter amnis Tapolus, patrio nomine Topyla; qui vix tria milliaria apud
 „ nos emensus infra Varanovienfé oppidum, bene populosum, sed a resta-
 „ gnantibus aquis inferiore sui parte multatum, Andavo sorbetur, & no-
 „ men perdit. Cumulatus Andavus Tapolo, leniter se in meridiem sinuat,
 „ in unum conspiraturus alveum paulo supra ZEMPLINIUM cum An-
 „ davo, & rivo Bodrogo; qui tamen majoribus istis amnibus nomen suum
 „ indit. Hæc potissimum de Andavo. At Laborceus intra fines Homon-
 „ næ eluctatus e montanis, plana deinceps permeat; cumque ad vicum
 „ Deregnyö radit particulam Comitatus Ungensis, Ungum in se recipit, ac
 „ duo circiter inde milliaria percurrens, mergitur Latorico; hic autem, tot
 „ jam auctus fluviis, supra ZEMPLINIUM (quod jam diximus) confluit
 „ cum Andavo, unaque, positis nominibus suis, Bodrogus dicuntur. „
 Hæc, aut his affinia, domesticus Provinciæ Scriptor.

§. III.



De Oppidis ZEMPLINIO, LELESZINO, KIRALY-HELMETZINO.

NAtalem ZEMPLIENSIS oppidi, &, cujus late rudera sparguntur, veteris castri, nonnulli referunt ad annum Christi II. vel III. supra DCCCC. quo famigeratissimi septem Duces in Pannoniam cum innumera Hunnorum multitudine sunt delati. Istud vero cum narratione Notarii Belæ Regis conciliari vix potest. Præterquam enim, quod jam retulerimus: Lobarcyum, Comitem castri *Hung*, sub adventum Ducum illorum de suo profugisse, atque ad castrum Zemplum confugere voluisse, ex quo locum hunc ante ætatem illam fuisse munitum luculenter conficias; laudatus Notarius cap. XIV. ejusdem Historiæ narrat: A legatione Salani, Bulgarorum.

Ducis ZEMPLINI (ZEMPLENUM jam vocamus) Arpadum salutatum fuisse; atque adeo Ducem illum paratum ZEMPLENIENSE castrum offendisse, non ædificasse, rursus fit planum. Verba Anonymi sunt: „ Mis- „ si vero Salani Ducis venientes ad castrum ZEMPLIN, & transito fluvio „ *Budrug*, secunda die Ducem Arpadium pervenerant; tertio autem die „ Ducem Arpadium verbo Domini sui salutaverunt. „ Reliqua. Quare si ortum castrum ZEMPLENIENSIS ad Hunnos referre placet, Attilinam is ad ætatem retrudendus erit; id quod probatior habet opinio. Floruit hæc amplissimæ, Nobilissimæque Provinciæ Metropolis pluribus omnino sæculis; jam & ipsa, post tot rerum conversiones, defluxit; soli bonitate, ac sitis hilaritate hodie dum memoranda. Adhæret *Bodrogo* flumini, terreis partem aliquam prætenfa munitioibus, nec plane nullis cultioribus domiciliis decora. In adversa ZEMPLENIO *Bodrogi* plaga duo visuntur oppida, LELESZINUM puta, ac KIRALY-HELMETZINUM. Illud illustratur Tabulario Regni, ac insigni S. Crucis Præmonstratensium Præpositura; quam, depulsis per intestina bella Canonicis, modo Laici, modo Prælati sæculares obtinebant, dum de Augustini Benkovitsii, Varadinensis Episcopi, manibus, præsentato ære, recuperata, suis redderetur Heris. Præest Regio huic Sacerdotio ab annis compluribus Illustrissimus ac Reverendissimus D. Carolus e Comitibus S. R. I. de Kunitz, & Weissenburgh, Sacri, & Exempti Ordinis Præmonstratensium Ecclesiæ Regiæ Lucensis Canonicus Regularis, Venerabilis Conventus Ecclesiæ S. Crucis de LELESZ Præpositus Infulatus, S. C. R. Majestatis Consiliarius, Prælatus in commodam candidissimi Ordinis sui, cum primis vero sibi subjectæ Domus intentissimus, quam cultu exquisito ornatissimam reddidit, redditibus auxit. In ejus ditio-nibus per amplis censetur KIRALY-HELMETZIENSE oppidum, a Laicis, Præposituræ usurpatoribus, habitatum. In eodem Regia propemodum magnificentia celebratarum Emerici Turzonis nuptiarum, factum est initium. Quingentos armatos equites, quadringentis pauciores pedites instruxit ad pompam, ac potissimam Hungariæ Nobilitatem, tribus ac sexaginta curribus sua per latifundia circumvexit. Exactis HELMETZINI diebus aliquot triduum solemnibus illis impensum est Tokaini, Bitæ mensis integer. In hos tunc usus Patrimonia Christi vertebantur.

§. IV.

§. IV.

De SAROS-PATAKINENSI Arce, & Oppido.

DUobus infra ZEMPLENIUM miliaribus, *Bodrogo* anni perinde affluens SAROS-PATAKINUM, prænobile oppidum caput erat Rakocziarum, his in plagis, ditionum, egregii operis arce, nobilissimisque ædificiis adornatum. Non est in promptu ortum ejus, ac vetera fata retexere. Perdito, Mohatsiensi in clade Antonio Palocfio, quum is nullum reliquisset hæredem, opimum spoliū se relaturum e communi gentis interitu rebatur Petrus Perenyius, si castrum hoc, & oppidum suam armis redigeret in potestatem. Et vero ita factum esse testis est Istvánffius; addens illud: Joannem Regem in præmium navatæ ipsi a Petro ad obtinendum Regnum operæ, jura occupatæ ditionis affirmasse Perenyianæ genti. Earum potiunte Religionem demutavit oppidum, factumque est unum e validioribus calvini perfugiis. En rem ipsis Inclytæ Provinciæ verbis: „ Calvini, ait illa in suo ad nos Rescripto, suum Exercitium cum Schola in acceptis referunt Gabrieli Perenyio, Petri filio. Is enim vetus Augustinianorum Monasterium in scholas novitiæ religionis convertit, ac Priorem, factum Apostatam, primum Lycæo dedit Rectorem. „ Invaluit ætate nostra sectariorum hic loci numerus, quum eo transferretur Cassovia Lycæum. Sensim (quæ piissimi Numinis in gentem nostram est bonitas) remissius PATAKINI quoque, ut passim alibi, fervet is error. Excolitur oppidum, atque ad vetera dogmata reformatur per PP. Trinitarios, ac Societatis JESU. Istis domicilium posuit religiosissima Princeps Sophia Bathoria, ut essent, qui bonis literis Gymnasii juventutem, populum sacra doctrina imbuerent, quem Parochorum quoque curis completuntur. De arcis hodierna fortuna paucis multa, more suo, exprimit Ladislaus Turoczius: „ Patakini parvæ, magnæ arcis reliquiæ. „ Exuta est munitione ante postremos Civiles motus mandato Leopoldi, Francisco Rakoczio, castrum hero, Neostadiensi in carcere detento, ne in plura minus necessaria castra dividi præsidia oporteret.

§. V.

§. V.

De Castro, ac Oppido TOKAINO.

PAtakino æquali fere spatio in septentrionem ZEMPLINIUM, ac in meridiem TOKAINUM recedit, ad ipsam *Bodrogi, Tibiscique* confluentiam excitatum cum præstanti castro oppidum. Positu gaudet amœnissimo; vino, a fœsqui altero sæculo, fama per orbem nulli secundo. Canariis allatum ex Insulis, nostro huic non semel contulimus; & ut vellemus, exterum domestico suppar dicere, ausi non sumus. Eodem afficit sensu gustum nobilissimæ gentis Polonæ; cujus ea vox est: *Non est potus, nisi vinum, non est vinum, nisi TOKAINUM.* Venit hoc nomine nec omne, quod in territorio oppidi TOKAINI nascitur; nec unum illud; imo si, quod res est, dicimus, præstantissimi liquoris minus de famigerati oppidi collibus, quam vicinis in cellas infertur. Ipsa adeo celeberrima, cui *Szarvas* (cervus) ob quandam positus similitudinem nomen est Regalis vinea, cui nulla comparabilis est, ad Tarczallensè territorium a quibusdam refertur. Et est omnino ea Tarczallensìs agri, qua in ortum porrigitur, ac *Mézes-mál* ab accolis vocatur, a vini bonitate commendatio, ut dispersas per cætera promontoria laudes, in se unum colligat, & sapore, fragantia, amœnitate, viribus, depositos a medicis ægrotos curandi prærogativa, longissime antecellat. Habet enim hoc istarum partium vinum sibi proprium, ut calidis etiam in febribus datum, levamen afferat, & sæpe vel instillatum, quasi profugam animam, in exangues propemodum artus reducat, modo germanum, nec peregrinis adulteratum succis (quod familiare exteris est gentibus) propinetur. Facit ad regionis istius vinetorum commendationem id quoque, quod non solum caliculi, foliaque vitium inaurata, & grana aurea in botris reperta sint sæpicule; sed etiam claviculæ bene longæ purissimo ex auro in vitibus enatæ sint; quæ hodiedum in gazophylacio Cæsareo Viennæ inter alia naturæ, atque artis prodigia asservantur. Proxime TOKAINO, ac Tarczallensì accedunt Tallyensè, Kereszturienensè, Madensè, Tolcsvensè, robustissimum Zomborienensè, Kis-Faludienensè, Bényensè, Liszkensè, Sátor-Ujhelinensè, Sáros-Patakinensè, Szantovienensè, & longus cæterorum syllabus, quæ vix expertissimus ab optimis discernat palatus. A Bacchi deliciis ad Martis arenam, propter ipsa TOKAINI mœnia sæpius aper-

apertam, delectamus. Sub Joanne Rege, ejusque Filio Principe Transylvaniæ, Botskaio, Bethlenio, Rakoczio, Francisco Tokaio occupatum, receptum, direptumque TOKAINUM fuit. Depulit ejus possessione Joannem Regem Ferdinandus I. anno MDXXXV. ejus vero filium Joannem Sigismundum Maximilianus abinde duodetricesimo, ingenti belli apparatu, ære, vino, cæteris in spoliis acceptis. Nitebatur iterum Transylvanus amissa recuperare anno MDLXVI. verum clade, una cum auxiliioribus Tartaris, attritus, receptui dare signum debuit. Ut Botskaium admitteret, extrema fames compulit, anno MDCV. succubuit & Tökölio anno MDCLXXXII. sed brevi jugum excussit; Tokaium Franciscum, plebejæ factionis Ducem, non tam tyrannum, quam hospitem habuit. Plus negotii facessivisset postremo civili bello, nisi elapsus e custodia Franciscus Rakoczius, concitata in seditionem magna Hungariæ parte, acceptum in fidem cum nonnullis aliis arcibus TOKAINUM, istud, ac Szatmarinum radi jussisset; quo everfis providentia Leopoldi Regis, Patakino, ac Etsédino, gentilitiis Rakoczianorum munitionibus, quasi Repressalibus ufurus, parentasset. At enim satis jam de calamitatibus, quas bello pertulit TOKAINUM; amœniora pace hilaria interdum experiri civibus licuit, uberiore præsertim vini proventu. Confert ad ejus memoriam id pariter, quod tam cultis instructum fuerit ædibus, prioribus, & Hungariæ felicioribus sæculis, ut accipere posset hospitio Comitata, quæ Joannes Zapolyianus indicit ad eligendum ab obitu Ludovici II. Regem, quorum emptis, eblanditisve suffragiis in illud fastigium is ipse eluctatus erat. Sacra quod attinet, Religiosum Paulinorum Ordinem in adornato per Emericum Zapolya anno MCCCCLXX. insigni Cænobio aliquamdiu, hac tempestate Piarum Scholarum Patres, & Cappuccinos suo sinu fovet; quorum hi eam oppidi regionem obtinent, qua integræ quandoque casulæ, intumescente imbribus torrente, in Bodrogum deferuntur una cum ingentis molis filicibus. Ostentant istiusmodi rapacitatis indicem, facile decem millia librarum superantem lapidem, isthuc e convallibus ante paucos devolutum annos, quem parieti, hortum ambienti, ad rei memoriam inædificandum curarunt Cappuccini.

§. VI.

De TEREBOSSINO, VARANOVIA, SATOR-
UJHELINO.

COMpono tria hæc oppida, non quod locorum propinquitate jungantur, verum incolatu Religiosissimæ Paulinorum Familiæ orrentur. Habitant præterea VARANOVIAE, Saros-Patakini, ac Zemplénii Seraphici quoque Patris Filii, pia largitate Domini Rivoldt fundati, sed horum domicilia tot bellis superesse nequivere. Ultra hæc, nescio, an quid memoratu dignum habeat VARANOVIA. SATOR-UJHELINUM amplitudine, Oppidanorum frequentia, vini generositate, Templi Parochialis fabrica, & probe culto laudatissimi Paulini Ordinis Cænobio, ac D. Ægydii Delubro, in quo sacra faciunt, ab anno sæculi XIV. quinto & quadragesimo, sese effert. Duo de tricesimo post anno Emericus Perény, Pro-Rex Hungariæ, TEREBOSSINI iisdem Religiosissimis viris erexit Asceterium, ac visendum construxit Fanum, constituto illic suæ genti Mausolæo: Illatus huic est, inter alios, & infelix ille Petrus, qui primus, aut e primis præcipuus, sparsæ per Hungariam hæreseos auctor, & Patronus cum esset in vita, tulit a morte poenas, toto Regno dudum decantatas. Nam quot annis, sereno etiam cœlo, in eam cadaveris, ac sepulchri partem, quæ cordi respondet, fulmen evibrabatur, inauspicato illo die, quo primo errores confovere, & ab Ecclesia discessionem facere non perhorruit. Luculento hoc ad omnes Divinæ vindictæ documento moti, quorum intererat, infelices cineres erui, ac in vicinum lacum spargi iusserunt. Secuta huc est ejectum extemplo eadem Numinis poena. Ferunt insuper: de lacu illo quempiam agrestium, lutum accepisse, eoque casam suam oblivisse, quæ perinde annuo die iccta sit vindicibus de cœlo flammis. Fidem huic narrationi faciunt tum in Templo, ac lapideo Petri simulacro, per quæ delabebatur fulmen, foramina; tum Inscriptio, quæ in Domicilio Religiosæ illius Familiæ legitur in hæc verba:

Siste viator Ungare!

Cultor dulcis Pannoniæ Terræ, zelator Fidei

Orthodoxæ;

Tuus quondam terrigena cur exclusus e crypta

Petrus Perény?

Dat

Dat causam solus:

Sordida avaritia ad quæ me deduxit?

Sitim mihi accendit Ecclesiasticorum bonorum;

Episcopos ad bella coegi;

Episcopum, post cladem Mobacsianam, me feci, putans me felicem,

Si Laicus pedum Pastorale, cum Episcopali Arrhabone

Me posse obtinere, bonaque possidere.

Turpe lucrum! quid inveni?

Ecce inveni mille fulmina in me vibrari,

Totidemque pœnis me vexari.

Ita in familiam meam ultricem manum DEI

Experiri.

Vindictæ simul, & iræ.

Nec mundus hac in parte potest cæcutire.

Crede Viator.

Locus quietis pro me non erat hic; quia nullus locus erat sacer,

Quem mea non inquietavit impietas,

Sitisque avaritiæ, bonorum Ecclesiæ.

Victor eram famosus; sed hanc ipsam victoriam vicerunt crimina;

Pro laurea ut essem fidelis, nolui; & sic inveni

Mille fulmina mortis.

Petri clavem Petrus rapui,

Et portam inferni mihi, millionibusque animarum

Aperui.

Proh dolor! quid feci?

Prædecessorum meorum piorum fidem fregi;

Corda concatenata iniquus inique divulsi;

Gratam patriam ingratus ruinavi;

Apostolici Regni, pii seminis nobilem gentem, turpi maschara,

Enormique hæresum larva infeci.

Quid plus?

Coronam sacram læsi, Regnum ad alios transtuli.

Quid ultra?

*Regnum Marianum incessanter plorare, Virginemque
MARIAM lacrymari multoties feci.*

Nefandum, turpeque scelus!

Pro dulci patria amara Acheronta inveni.

Sistite, & videte

In mundo ossa cremata igne, in alio utinam

Anima non esset damnata, & ad has miseras ultimas

Non fuisset nata! Ad quid me deduxerunt

Nefanda fata !

Acerbiorem hunc stylum provocasse eo quoque facinore notatur Petrus, quod Progenitoris Emerici opus (Monasterium) everterit, ac in arcis muros converterit.

§. VII.

De HOMONNA, cæterisque Comitatus ZEMPLENIENSIS Oppidis, Castris, Castellis.

Charitum, florentibus Drugethis, deliciæ, HOMONNA, oppidum frequens, ac ædificiis ad luxum excultis pristinæ conditionis vix indicia repræsentat. Aperitur ad illud planior Provinciæ Regio, e faucibus Montium emergentis; quare nequit non esse positu hilari, juxta, & salubri. Accedit eximia a vicino amne Laborcza gratia, magnificentia ab castello, nisi arcem dicere mavelis, ut quæ munitur bene firmis propugnaculis, & fossâ, vallisque prætenditur. Herum incolam veneratur ab nupero desideratissimi Patris obitu, qui Topographiam hanc Regio deferre Principi promeruit, Illustrissimus D. Comes Emericus Junior Csáky de Keresztszegh, Perpetuus Terræ Scepusiensis. Celeberrimæ, ac gestis laudatissime insignibus Regni muniis inclytæ, Drugethorum Comitum Familiæ, hæreditaria fuit Homonnensis ditio, de qua gentile quoque nomen sumpserunt, appellati Drugethi Comites de HOMONNA. Postremus Nobilissimæ, ac a primis Christianæ Hungariæ temporibus honoratissimis muneribus sanctæ stirpis furculus Sigismundus, masculo hærede destitutus, quam unicam habebat filiam, nuptui tradidit Comiti Petro Zichy, geminæ proli hoc e toro in lucem editæ, HOMONNENSE Dominium, una cum cognomine de HOMONNA, transcripsit; e quarum altera, & sanctæ memoriæ Illustrissimo

fimo quondam Comite Francisco Csákyo natus est, spes illa Patriæ, Emericus noster. Obtinebat HOMONNÆ domicilium Societas JESU, beneficio Georgii Comitis Drugethi, jam inde ab anno MD'CXIII. cui plurimum eo nomine debet Religiosus ille Ordo, quod unus fere ausus sit intercedere Regni ad annum MDCVIII. statuto, quo prohibebatur: Jesuitis Collegia erigere, aut erecta ditare. Iterum non diuturna fuit ea Sociorum commoratio. Ungvarinum translati sunt post biennium, atque sedem Seraphicis Patribus reliquerunt. Excubant Franciscani SZTROPKOVIÆ quoque, ab Illustrissima Pethöiana gente de Gerse (cujus SZTROPKO hæreditas est) inducti. Magnificam hic arcem condidit gens illa, cujus macula stirps jam extincta est. A Majorum nostrorum memoria circumfertur: HOMONNENSIA latifundia fuisse aliquando obnoxia Bathorianis Comitibus, indeque ad Homonnaios defluxisse. Homonnam excipiat arx CSITSVA, præsidio illa quidem Regio vacua, a domestico tamen Comitum Barkocziorum milite custodita. Possidet eadem Illustrissima Prosapia objectum in adversa CSITSVENSI castro ripa Castellum TAVARNENSE, quod potissimum incolere amat. His adde *Borsum, Szerdabelinum, Zéténum, Bottyanum, Gal-Szecsum, Szirma-Bessenyum, Szerencsum*, olim sedes Benedictinorum, adhuc arce & castello instructum, & cætera, castellis insigniter exulta; TARKANUM a rudibus insuper Carthusiani Cænobii memorabile; Ternas denique in montibus arces ad Homonnam, quæ suis rudibus loquuntur in DEUM, ac Regem Drugethianam fidelitatem; eo quippe tempore sunt everse, quo Homonnaius suo sumptu bello premebat Georgii Rakoczii factionem.



CAPUT SECUNDUM.

DE COMITATU ABA-UJ-VARIENSI.

§. I.

Nomenclatio, fines, opportunitates, Supremus Comes Comitatus ABA-UJ-VARIENSIS.

Uem communiter ABA-UJ-VARIENSEM, interdum (puta in literis Sigismundi Regis, & Philippi Palatini) UJVARIENSEM Comitatum legas. Primus Palatinorum Aba, in superioribus partibus Rempublicam munere Pro-Regis procuraturus, sub ipsa Christianæ Hungariæ primordia, atque adeo Regum nostrorum primo S. Stephano arcem condiderat, amplissima sua dignitate, & Regia affinitate (habebat enim in matrimonio Saroltam, S. Regis sororem) dignam duobus Cassovia remotum milliaribus orientem solem versus; quæ uti novi castrum appellationem indiderat adhærenti oppido; ita eandem retinet in ruinis ipsis, Conditoris nomine (Aba) a cæteris, quæ plurimæ reperiuntur, *Novis Arcibus*, discreta. Ab ortu Comitatus hic coercetur Zempleniensi; a meridie Szabolcensi; ab occasu Borfodiensi, & Tornensi, a septentrione Saarosiensi. Fluviorum, quibus interfecatur, aut ex parte clauditur, præcipui sunt: Hernadus, Toriffa, Sajo, Bodva. Agrum colit fertilem plerumque, vitiferos colles a laudatissimis illis Tokaiensibus secundos; pratis, silvis, feris, avibus, cæteris commodis affatim instructus. Supremi Comitatus munus administrat Illustrissimus D. Comes Antonius Csáky de Kereszt-szegh, Perpetuus Terræ Scepusiensis, Regiæ Cameralis Administrationis Scepusiensis Administrator, oppidorum Haidonicæ Regiæ Director, S. C. R. M. Cameræ Hungariæ Consiliarius, Heros, in quo nihil desideres Csákiis propriæ popularitatis, & germanæ virtutis.

§. II.

§. II.

De Vetere CASSOVIA, ac Liberæ, Regiæque Civitatis hodiernæ primordiis, atque positu.

COMITATUS ABA - UJ - VARINENSIS, & totius superioris Hungariæ Metropolis CASSOVIA, ipsa suos natales, ac nominis originem ignorat. A Cassio quodam, Antonianarum Copiarum Præfecto, appellatam esse qui volunt, nihil agunt, nullum enim rei hujus vestigium in scriptoribus, Bonfinio vetustioribus, reperitur. A pultium (Hungaris, & Slavis *Kafa*) feraci solo, quemadmodum *Buza-fabvam*, non remotum hinc locum, ab opimo tritici agro dictum, alii derivant, quin opinionem ultra conjecturas proferant. Vero simillimum videtur, CASSOVIÆ vocabulum a Villa *Cassa*, quam hoc loco stetit, ac pullulans de Ramo lilium insignium loco habuisse, testantur urbis hujus Tabulario insertæ literæ, annum circiter MCCXCII. exaratæ. Hæc de voce. Ætatem quod attinet, triennium prope est, quod Ephemerides quasdam civici Prætoris, & Notarii manu subscriptas, ac typis anno MDCXXXI. datas in Amplissimæ initium urbis hujus Archivo legerim, quibus refertur initium castri CASSOVIENSIS ad primum noni sæculi Christiani lustrum. Visuntur ejus rudera ad septentrionalem Regionem hodiernæ CASSOVIÆ, propter fauces montium, e quibus in apertum eluctatur amnis Hernadus. Parebat privatis castrum heris, ad annum usque MCCLXI. quo Stephani Regis, hoc nomine V. voluntate, in jus civitatis venisse, sequens Diploma testatum facit.

„ **S**TEPHANUS DEI Gratia Rex, Primogenitus Illustris Regis Hungariæ,
 „ Dux Transylvanus, omnibus præsentem paginam intuentibus, salu-
 „ tem in eo, qui Regibus dat salutem. Cum in multitudine plebis honor
 „ Regum attendatur, & accrescat; merito Regiæ convenit sublimitati, ad
 „ eum confluentes, libertatibus, seu donativis stabilire. Hinc est, quod
 „ quidem ad universorum præsentium, posterorumque notitiam harum se-
 „ rie volumus pervenire. Quod nos attendentes fidelitatem Samphleben,
 „ & Obl dictorum, Hospitum nostrorum de *Cassa*, quandam terram, su-
 „ perior *Cassa* nuncupatam, super qua quidam homines, videlicet Gallus,
 „ Petrus, Theodorus, & eorum cognati residebant, prænominatis Viris
 „ Samphleben, & Obl, ut ex hoc iidem ad obsequendum Nobis habilio-

„ res,

„ res, promptioresque redderentur, de Regia liberalitate contulimus, ab
 „ ipsis, & eorum hæredibus, hæredumque successoribus perpetuo possi-
 „ dendam; sub tali libertate: quod iidem, & eorum hæredes Nobis pro
 „ censu præfatæ terræ in festo S. Georgii dimidium *Fertonem* auri boni an-
 „ nuatim solvere tenebuntur. Volumus siquidem, quod tam ipsi, quam
 „ eorum hæredes ab exercitu, & jurisdictione communitatis castri sint pe-
 „ nitus absoluti: sive ipsi, & ad eos pertinentes coram iudice eorum, quem
 „ elegerint, juxta libertatem, & consuetudinem cæterorum hospitem, si
 „ opus fuerit, debeant convenire. In præfatæ itaque terræ corporalem
 „ possessionem prænominatos viros per fidelem hominum nostrum Tekus,
 „ Comitem de Sár, Auctoritate Regia fecimus introduci. Cujus terræ me-
 „ tæ, quemadmodum idem Tekus Comes Nobis retulit, hoc ordine di-
 „ stinguuntur. Prima meta incipit a fluvio Henrad, ubi est meta terrea
 „ juxta aquam ab occidente; ibique per modicum spatium transit paludem
 „ nomine Blathan. Deinde directe eundo cadit in rivulum Csermele, per
 „ quem vadit superius ex parte terræ hospitem de *Cassá*, usque ad magnam
 „ silvam per magnum spatium, & pervenit ad locum, ubi exit de dicto
 „ rivulo circa limites terræ Dionysii, & cognatorum suorum, & vadit ad
 „ Berech (Berek) ad montem. Per illum deinde montem in metis de-
 „ scendit in rivulum *Pisprung Potok* nuncupatum, & per ipsum rivulum
 „ veniendo cadit in præfatum fluvium Henrad, & per illam aquam descen-
 „ dens pervenit ad priorem metam, ubi fuit incepta, ibique terminatur.
 „ Et ut hæc a Nobis facta donatio, seu libertatis collatio, perseveret, nec
 „ unquam per quenquam in irritum valeat revocari; præsentibus prædictis
 „ viris concessimus literas, duplicis Sigilli munimine roboratas. Datum
 „ per manus Magistri Benedicti, Aulæ Nostræ Cancellarii, Præpositi Sci-
 „ biniensis. Anno MCCLXI.

Hæc de vetere illa, sive superiore CASSOVIA. Quæ a sæculis ali-
 quot floret, annum MCXLII. vel certe proxime sequentem, natalem habet.
 Ita opinari suadent coloniæ Saxonum, sub Geysa II. in Hungariam ductæ;
 quarum opus esse hanc urbem, nemo inficiari potest, qui vel primorum
 incolarum nomina, ædium structuram, Reipublicæ gubernandæ rationem
 norit. Alioqui Emerico Rege ante exitum XII. Christiani sæculi inter ce-
 lebriora Hungariæ oppida numerabatur. Attollitur illi Polus Borealis ad 49.

gra.

gradus cum minutis 24. longitudo est sub gradu 44. minut. 46. Divellitur Buda miliaribus 24. Agria 12. adhæretque Hernado fluvio, itinere horario ab illis montium faucibus, de quibus jam locuti sumus, meridiem versus seposita; loco amœnissimo; ad cujus salubritatem conferunt fontes, & rivi limpidissimi; montium, a Carpatho protensorum juga; vinetis ad ortum, occasumque confiti colles; silvæ cultissimæ; prata, novales, horti, reliqua.

§. III.

Quando CASSOVIA in Liberarum, Regiarumque Civitatum venerit numerum, & munitionibus aucta sit? quibus potissimum profanis ædibus ornata?

BEla Regum nostrorum hoc nomine IV. commisso infelici illo cum Tartaris ad fluvium Sajonem prælio anno Christi MCCXXXV. CASSOVIAM e fuga se recepit. Valla jam tunc, & fossæ prætendebantur oppido; at reddita Regno pace, mercor hospitalissimæ Civitatis Bela, Liberam, ac Regiam esse jussit, utque muniretur, edixit. Intercessere quorundam Procerum adversa studia, ne operi ante annum MCCXC. fieret initium; quod opinione celerius bene firmum evasit. Sane quum jurgia quædam ferrent inter cives ab anno MCCCVIII. atque ad ea componenda a Carolo Rege I. dati Judices Episcopi, ac Pro-Rex Omodæus, parum profecissent; contrucidati Palatini necem ulturus Rex exercitu opus habuit, ut tum quidem CASSOVIAM, muris firmam, edomaret. Favit malæ causæ Matthæus ille Trenchiniensis, Caroli æmulus, fecitque Regi arduam, cruentamque admodum victoriam. Felicioribus auspiciis assurrexit alter murus anno MCCCCXXII. ære civitatis. A Giscra deinde multum roboris accepit CASSOVIA, dum eam pro Elifabetha contra Wladislaum I. tutaretur. Validior evasit munitio Auftriacis sub Regibus. Nam Ferdinandus II. non modo collabascentes vetustate reparari, sed novas quoque adjici, datis ad ABA-UJ-VARIENSEM Provinciam literis, mandavit; Leopoldus autem M. exactum ad omnem militaris Architectonicæ apicem castrum, meridianæ portæ adædificandum curavit anno MDCL. Contulit

hoc in opus ducenta florenùm millia Sophia Princeps Bathoria, ut aboleret Filii Francisci Rakoczii culpam, qua se contaminarat; implicitus ejus ætatis conspiratione. Non diuturnus erat hujus castris usus. Nam anno MDCLXXXII. per Tökölianos fraude interceptum, urbem secum in ruinam traxit. Odio hinc haberi cœpit, primique seditiosi illi erant, a quibus dirui occæpit; anno MDCCXIII. imperio Caroli Augusti solo æquatum. Terrea demum opera accessere postremis Rakoczii tumultibus; quæ pace quoque aucta sunt, hiantibus passim per ætatem interioribus muris; quorum si ruinas repararet, potentissimi etiam hostis machinas ridebit CASSOVIA; insigni armamentario, annonæ domo, prægrandibus ad utramque decumanam portam præfidiariorum ædibus, cæterisque ad defensionem opportunis affatim instructa; ab ortu Hernadi, in duo secti brachia, alveis protecta; a septentrione Csermelo rivulo, nobili trutarum vivario, irrigua; ab occasu, ac meridie fossis, immisso Hernado plenis, multiplici muro, & propugnaculis prævalida. Ædium profanarum præcipuæ sunt: Supremo- rum per Hungariam superiorem belli Præfectorum, Regiæ Scepusiensis Quæsturæ, quæ anno MDLVII. in Scepusiensi primum arce, a qua tractum nomen hodie dum retinet, tum Quintofori, Terræ Scepusiensis oppido commorata, mox CASSOVIAM translata, quo commodius, tutiusque Regiis emolumentis consulere- tur. Secundum has amplissimæ sunt pleræque omnes civitatis hujus ædes, præcipue, quæ principem vicum obtinent. Hujus medium obtinent: vetus Urbis Curia, officinæ quædam, omnia fora militaria, Basilica Elisabethina, de qua mox, simulacrum conceptæ sine labe Virginis Deiparæ, pretio, cultu, publicis religionibus Hungaricorum nulli secundum. Ad hujus pedem in duo secatur brachia limpidissimus Csermeli rivus, & quæ jam nominavi ædificia, poneque Australem Urbis portam militare, quadam velut in Insula ambit, plurimo instratus ponte. Olim CASSOVIAM Regia quoque, & monetaria ornatam fuisse, certum est. Illa subinde transit in jus Academici S. J. Collegii; hanc, post negligentius cultas Aranytkensés Aurarias, intra fines latifundiorum Civitatis hujus, superioribus sæculis florentes, jam ferrariis permutatas, insident Salarii.

§. IV.

§. IV.

*De ELISABETHINA CASSOVIENSIVM
Basilica, & cognomine Xenodochio.*

DIVÆ ELISABETHÆ, Andree II. Hungarorum Regis filie, pie devota Ludovici I. Mater, pietatis operibus clarissima, vivo dum Carolo Rege marito, annum circiter MCCCXXIV. jecit Augustissimæ Basilicæ, suæ illi Tutelari consecrandæ, fundamenta. Diu fatigavit amplissima moles operas, & non modo fundatricis, mariti, filiique (quorum simulacra super obversa septentrioni Templi porta visuntur) sumptu maximo; sed Mathiæ quoque Corvini quinquennii *Strenalibus* ab anno MCCCCLXVIII. promotæ. Extat Corvinianæ hujus munificentie testimonium in Tabulario civitatis, ac meridiano soli objecta porta, in cujus columna Magni illius Mathiæ honoribus lampas ardebat. „ Quadrangulam (ita habent CAS- „ SOVIENSES anno MDCCXXXII. Rhetores) columna illa turriculam „ imitatur, e solido non invenuste parata saxo. Fastigium in conum desinit, elegantissime, ut cætera omnia, tornatum. Medium occupant ferrei circuli, IV. columellis, cavato eodem saxo continuo, in formam anteridum, inclusi, quibus lampas innitebatur. Inferne objecta aspectui „ tria (nam quartum Templi muro cohæret) quadrantalis hujus latera, totidem exhibent scuta; in quorum medio Angelus, dextra vetus insigne civium (tria, intellige, lilia, cum quatuor præcipuis Hungariæ fluviis,) „ sinistra Corvum, Corvini gentilitium, sustinet. In dextro ejusdem columnæ latere visitur insigne Hungariæ, bifariam divisum. Fluviis subjiciuntur tria Coronata humana capita, quibus Dalmatia, cruci vero, Leo „ caudam vibrans, quo Cumania designatur. Sinistri demum lateris mappa, posita in crucem duas sagittas habet, artificis, ut videtur, Symbolum. „ Huc usque illi. Cæterum interior Templi structura ante annum MCCCCLXXXII. plene constitit, cum eodem & exaratae sint literæ, quibus vineæ quædam conferuntur Mystæ, rem Divinam super Altari BB. Petri & Pauli hac in æde statis temporibus facturo; & cætus Pellificum (ita nominantur) scripto petierit sibi locum ibidem ad aram S. Martini concedi. Denique eodem anno illo Andreas (aliis Demetrius) Archi-Episcopus Strigoniensis, ac S. R. E. Cardinalis ELISABETHINUM CASSOVIENSEM

Parochum a subjectione Archi-Diaconi exemit. Fuscæ cætera Templi hujus ornamenta, Inscriptiones, Privilegia persequuntur laudati Rhetores, quos vide. Leges in iisdem de suburbano quoque Elisæbethæ, Fani conditricis, Xenodochio, amplissimis redditibus ditato, pluraque alia, quæ compendii nostri ratio huc transferri non sinit.

§. V.

De Asceteriis, Academico S. J. Collegio, ac reliquis CASSOVIENSIVM Templis.

INtra latissime quondam protensa CASSOVIENSIS civitatis suburbia sacrum aliquando Parthenonem stetit inveniō; cujusnam vero fuerit Religiosi Ordinis, non item. Quare nihil de his porro loquar. Recentius est Odæum Divino SS. Trinitatis nomini inscriptum, quod adhæret Ptochodochio; tum septentrionali in colle eminens ultra tormenti ictum S. Rosaliæ facellum; ac æquali fere spatio distans æstivum occidentem versus, a quodam Societatis JESU Sacerdote recens adornatus morienti Servatori sacrum mons, vulgo Calvariæ dictus. Hæc extra urbis mœnia. Internum vero ad cultum faciunt quinque admodum, non accensito Elisæbethino, Divorum Delubra; quorum quaternis accubant DEO sacrorum hominum Domicilia. Annis primum in Templis est, quod S. Michaelis Archangeli Patrocinio insignitur. Proximum est Elisæbethino, cum ipsoque CASSOVIENSI vico natum videtur. Adjecisse partem dicuntur Lutherani, dum illud a Botskaiana seditione insiderent. Lege illorum hoc super argumento cum Calvinii Sectatoribus jurgia, apud P. Franciscum Kazy Tomo II. Histor. Regni Hungariæ. Alterum, Eucharistico Numini dedicatum, adhæret Patrum Prædicatorum Cænobio; cujus, ante tria sæcula amplissimi, tenues duntaxat reliquiæ supersunt. Celeberrimum, ac numerosissimum fuisse, in comperto est; num autem, quod aliquorum fert opinio, a S. Hyacinto has in partes e Polonia delato, constructum, ambigo. Absolvit ejus laudem insigni compendio Ferrarius, dum sacrarum literarum studio, pietatis observantia, structuræ opere insigne fuisse memorat. Primum vulnus accepit a pestilentia, quæ ad annum MCCCCXXX. Europam depascebat. Nam communi illa mortalitate extinctis, quorum exemplo, ac aucto-

auctoritate nitebatur disciplinæ rigor, suffecti sunt, citra delectum, pluri-
mi, qui Religiosa instituta convellerent. Serpenti malo cum Religiosissimi
Ordinis Moderatores, tum Rex Corvinus, ac Pontifices occursum ibant,
quod datæ anno MCCCCLIV. ad Magistratum Civium Viennensium lite-
ræ a M.F. Leonardo de Valle Brixinensi produnt. Respondit piis conatibus
fructus; quem Mohacsiensem post cladem, fortuitum incendium penitus
corrupt. „ Ob incendium (ait Ferrarius de Cænobio Cassoviensi) for-
„ tuito exortum, urbs tota cum majori Templo, ipsum nostrum, & Fran-
„ ciscanorum Cænobia conflagrarunt, aliasque bellorum, ac Religionis per-
„ turbationes denique desertum est a nostris hominibus. „ Vacuum pro-
inde Religiosis habitatoribus diu perstitit, aeris injuriis una cum Templo
expositum. Hoc ætate nostra ad majestatem excultum erat, artifice peni-
cillo Stephani Vörös, scitissimi hujus temporis Pictoris, illustratum, quod
iterum anno MDCCXLV. Vulcanus perdidit, quo marmoream aram
principem illic statuere jam occæperat Excellentissimus D. Comes Nicolaus
Csáky, Varadinensium Antistes.

Asceteriorum alterum strictioris Observantiæ Franciscanis Perénii ex-
citarunt una cum ædicula, honori immaculatæ conceptæ Deiparæ sacra;
quam deterso squalore, e bellorum bustis affricto, de publico Ærario civi-
tatis, privatorumque largitionibus multo ampliorem redditam gratulamur.
Coenobium e primis Hungaricorum unum est, ac floret Divinarum, ac
humanarum rerum studio.

Postremum inter Asceteria est Sanctimonialium Divæ Ursulæ Socia-
rum. Inductæ illæ CASSOVIAM sunt Posonio, anno sæculi superioris
septimo & nonagesimo, accurante Georgio Fenyefio, Agriensi Episcopo,
Augusta sanctissimæ Imperatricis Eleonoræ pietate. Templum, quod ob-
tinent, S. Archangelo Michaëli dedicatum, annum circiter MDCLII. Cal-
vinistæ construxerant; quod facta rerum conversione undevicennio abhinc
a Leonardo Szegedio, ejusdem sedis Antistite, annutu Leopoldi M. ritu
Catholico expiatum, & in jus Catholicorum translatum est. Sexto post
anno, Christi MDCLXXVIII. cum magna civitatis parte conflagravit,
contegendum, ac restaurandum Quæsturæ Regiæ sumptu; a qua tantisper
asservandæ annonæ addictum est; rursumque anno MDCLXXXII. die
XV. Augusti per Tökölianos pro Calvinistis assertum. Pace Regno reddita,

erepta factiosis est CASSOVIA anno MDCLXXXVI. die XXV. Octobris, non autem Templum, de quo loquimur, rediit ad orthodoxos ante sequentis anni diem octavum & vicesimum Januarii; quod non illico commentum innotuerit Cæsari, quo asseverabant sectarii: Delubrum illud nunquam Romano ritu consecratum fuisse, etsi id refellerent vel oblitæ per ipsos cruces calce, ab Antistite Szegedio, dum illud consecraret, de more parietibus appictæ. Deerant, qui Divinum isthic Numen castissimis religionibus jugiter demerentur, ad notatum sæculi superioris annum septimum supra nonagesimum; quo ad diem XVII. Martii producto, Dominico, cujus in Divinissimo missæ Sacrificio vox prima est: *Lætare*, ingenti Catholicorum júbilo Religiosæ illæ Virgines in sacræ hujus ædis, vicinarumque, in morem claustrum, qua licuit, apparatusum, possessionem sunt inductæ. Vastitatem Fano, quod nunc descripsimus, illatam, ex eo metiaris, quod novam consecrationem adhibendam putarit Illustr. ac Reverend. D. Alexander Mariaffy, Agriensis Episcopi Suffraganeus, qua hanc DEI domum impertivit anno MDCCXXXI. ipsa Dominici Præcursoris luce.

§. VI.

De Academico S. J. Collegio, ejusdem Templo, Clericorum Seminario, ac Nobilium Convictu.

PRolixi sunt hoc in argumento laudati CASSOVIENSIUM Rhetores, in opusculo, quod inscripserunt; CASSOVIA Vetus, ac Nova; nos pauca, more nostro, delibabimus. Accessit Societas JESU, voluntate Rudolphi Imperatoris CASSOVIAM primum anno MDCIV. Unde ereptis aliquot hæresi insignibus animarum spoliis, imminente Botskaio, esse coacta est, non sine peculiari, prodigioque simili Numinis Providentia, fervos suos ad necem quæsitos contutantis. Nihilo mitior fortuna arrisit iisdem, dum labascentem Catholicam Religionem anno ejusdem sæculi XIX. fulcirent. Erant hi Stephanus Pongrácz, ac Melchior Grodeczius, viri satis uno eo nomine laudati, quod fidei victimæ sint effecti. Attributionem habitationi ab optimo Cæsare Domus erat Regia, cui sacellum quoque inerat, in quo rem Divinam faciebant. Huc per vices ventitabat Marcus Crifinus pro Metropolitano Canonicorum Strigoniensium Collegio admi-

ministrandæ Széplakienſi Præpoſituræ Præfectus, morum ſimilitudine Patribus conjunctiſſimus. Accidit, ut eo die, quo Bethlenio, Tranſylvaniæ Principi, ſe deditit CASSOVIA, una eſſent. Primis in curis id poſuit Alvincius, miniſtrelorum, per id tempus, facile primus, ac Reinerus, Senatorii Ordinis civis CASSOVIENSIS, ut ne vel una nox abiret ſacris illis viris placida, ab adventu in Urbem Rakoczii, Bethlenianarum copiarum Ducis. Itaque arctiſſimæ mandantur cuſtodix; ad defectionem a Romanis ſacris ſolicitantur; diriffime torquentur, enecantur. Sat hoc erat piiffimo Cæſari Ferdinando III. ut pacata Hungaria Regiam conferet Societati JESU, quam fuſo pro Chriſto ſanguine glorioſi Athletæ illi emeruiſſent. Adjecit Miſlenſem S. Nicolai Præpoſituram anno MDCXLIII. utque collegio daretur initium anno poſt XI. Paterne providit. Tenues cum eſſent Sacerdotii illius reditus, uberrimus ex adverſo in Templis juxta, ac literario ludo fructus; hunc identidem obſervans Benedictus Kisdius, Agrienſium Antiffes piiffimus, anno MDCLVIII. tantum æris adjecit, quantum fat eſſet ad dotem Academici Collegii. Ratam habuit eam largitatem Leopoldus Imperator, editoque Diplomate (Bullam auream nominamus) anno MDCLX. recens natam Univerſitatem CASSOVIENSEM omnium intra fines Romani Imperii Academiæ participem eſſe juſſit. Cumulavit Alexander Keſzer beneficium, attributo cenſu iis, qui ſeveriores diſciplinæ hic diſcerent, ſacro eidem ordini adſcripti. Refertur id ad annum ſæculi noſtri XIII. Ita conſtitutis Collegii, ac Univerſitatis rebus acceſſit illuſtre Bathorianæ Principis largitatis monumentum in erecta Baſilica, cujus frons, obverſa foro, exhibet epigraphen: HONORI SANCTISSIMÆ TRINITATIS PRINCEPS SOPHIA BATHORI POSUIT. Arrideret Religioſæ ſociorum Domus fortunam, ac in publicum merita, ſcribendo perſequi, niſi id ab eorum modeſtia abhorreret. Quare tranſeo ad ſubjectas eorum curæ Junioris Cleri, & Nobilis Juventutis ædes. Priorum conditor idem eſt, qui Univerſitatis, Zelantiſſimus Præful Benedictus Kisdy; qui anno MDCLIX. ad diem XXIII. Auguſti ultimis Tabulis Poſonii ſacro, huic uſui tantum æris addixit, quantum fat eſſet, ut ejus ſœnore aliquot, idonei pro Diœceſi Agrienſi bonis artibus, ac moribus imbuerentur vineæ Dominicæ operarii. Gubernabatur Seminarium hoc, S. Regis Ladislai honoribus tranſcriptum, per V. Capitulum Agrienſe ad annum MDCLXV.

quo

quo pleno jure, subiectum est curæ Societatis JESU voluntate Thomæ Palffii, Kisdii Successoris, ad mentem omnino piissimi Fundatoris. Aucti sunt reditus Domicilii hujus beneficio Thomæ, Præfulis optimi; qui non-minimum de suo adjecit, & Georgii L. B. Milith pium Legatum, Unguarinenfi Collegio annexum, CASSOVIENSI nostro applicuit. Æmulatus sanctissimam Agriensium Antistitum voluntatem est Augustinus Benkovics, Varadiensis Episcopus, recens adscribendis Diœcesis suæ Clericis eadem in Domo de victu, amictuque, ac necessariis cæteris providendo. Hunc in modum cum provisum esset Juventuti, in commoda sacræ Reipublicæ adolescenti, suum deerat subsidium profanæ. Occurrit incommodo Illustrissima Heroïna, Susanna Balassia, sæculi superioris anno supra quadragesimum septimo, luculenta pecuniæ summa pro Nobilium Adolescentum Convictu, Unguarini constituendo, attributa; quæ duodecimo post anno, eorum voluntate, quorum id potestatis erat, CASSOVIAM est translata. Commune hoc promiscuæ Nobilium Hungarorum Juventuti cum voluerit esse, pientissima Balassia, suppar pro senis, stirpis suæ furculis, sub eodem tecto, eadem quadra victuris, contulit Alexander Ketzler.

§. VII.

Ditiones, Gubernium, Insigne, Privilegia, bellicæ CASSOVIENSIUM vices.

SPeciem quandam Reipublicæ præferebat olim CASSOVIA, non solum prærogativa quadam, qua cæteris superioris Hungariæ civitatibus indicare comitiola potuisse perhibetur, sed ditionum quoque amplitudine. Attrivere non mediocriter nervum illum bellorum turbines, quibus involvebatur, ab omnibus factiosis ad primum ictum destinata. Eam Trenchinienfis Matthæus, Rex Zapolius, Botskaius, Bethlenius, Tökölius, Rakoczii, Transylvani, Poloni, Bohemi, in belli sedem delegere. Legere hæc utcunque digesta, est in Nova CASSOVIA ab Alumnis Eloquentiæ illic congeſta. Gubernium quod attinet in administranda Republica, illud Monarchicum, Democratico temperatum est, ac religiosissime observatur. Privilegia demum cum præcipuis in Hungaria civitatibus, Budensi, Posoniensi, Montanisque habet eadem, quin superior eo universis est, quod licet
Re-

Regio teneatur præsidio, refecandarum tamen, & claudendarum urbis portarum jus quoddam retineat. Nam ab Urbico Magistratu deligi solet, qui munus hoc obit, militari manu, more in munitionibus usitato, stipatus. Cætera Metropolis nostræ ornamenta, ac insignia fuscè prosequitur Wladislaus II. cujus Diploma jam damus:

„ **W**Ladislaus DEI Gratia Rex Ungariæ, & Bohemiæ &c. Fidelibus
 „ nostris prudentibus & circumspectis Judici, & Juratis, cæteris-
 „ que civibus, & toti communitati civitatis nostræ CASSOVIENSIS, sa-
 „ lutem, & gratiam. Cum ad Regiæ dignitatis celsitudinem, ejusque ma-
 „ jestatem augustam; cujus ad exemplum ut plurimum subditorum animi
 „ componuntur, hoc imprimis pertineat; ut suorum merita, virtutes, &
 „ servitia semper æqua lance perpendat, ut neque delinquentibus nimia in-
 „ dulgentia se facilem semper præbeat, quo ex impunitate licentia, & ex
 „ ea audacia delinquendi crescat, neque bonorum egregiis facinoribus, re-
 „ busque præclare gestis, immortalisque gloriæ memoria dignis præmium
 „ desit. Quorum altero malorum, improborumque petulantia, & inso-
 „ lentia refrænatur, coerceturque; altero vero benemerentium animi, &
 „ his virtutum igniculi insiti excitantur, inflammanturque, omnium deni-
 „ que malorum, & periculorum constanti, fortique animo in rebus duris,
 „ & adversis perpefforum non solum immemores, sed etiam imposterum
 „ ad quævis aggredienda, tolerandaque adversa, ex quo virtuti omnia pa-
 „ rent, ceduntque, majori studio, zeloque alacriores redduntur. Quum
 „ natura ipsa in rebus humanis ita redditum, comparatumque sit, & ut
 „ etiam præter hæc ex Regiæ dignitatis nostræ officio sincerum privati, pu-
 „ blicique muneris tenorem servaremus, jam sæpius illa fidelitatis, & con-
 „ stantiæ vestræ argumenta, quo semper in hoc Regno nostro Hungariæ
 „ unice claruistis, animo nostro repetentes, nolentes ea obscuritate quadam
 „ neglecta jacere, sepultaque tegi, aut oblivione e memoria mortalium in-
 „ tercipi, sed potius etiam posteris omnibus perpetua nominis, & famæ
 „ vestræ testatione signari, aliqua saltem vel hisce literis, quæ in felici nostra
 „ exaltatione & in ingressu ad hoc Regnum nostrum pulcherrime edidistis,
 „ commemorare statuimus. Et imprimis laudandam illam, & nullo un-
 „ quam sæculo delendam constantiam vestram, quam tunc nobis, & huic
 „ Regno nostro declarastis, recensendam duximus. Nam dum superiori-

„ bus his annis, & in principio regiminis nostri varii motus, variaque bel-
 „ la, potiundi hujus Regni gratia, orti fuissent, & inter alios Principes Se-
 „ renissimus Princeps quondam D. Albertus Poloniæ Rex Frater noster
 „ charissimus felicitatis memoriæ, tunc solum modo Dux existens, cum valida
 „ manu, ac numerofo exercitu contra Nos, & hoc Regnum venisset, hoc-
 „ que ipsum Regnum ambiens, inter alia loca, quæ jam in deditionem suam
 „ devenissent, etiam civitatem illam CASSOVIENSEM occupare volens,
 „ ipsamque ob id dura obsidione cinxisset; Vos tunc revocatis in animo
 „ pristinis vestris virtutibus, quas semper, & potissimum in adversis hujus
 „ Regni Divis Hungariæ Regibus, prædecessoribus nostris, sincera fidelita-
 „ te, magnaque integritate, more progenitorum vestrorum, ostendistis.
 „ Statuistis, consueta vestra gravitate, & fidei firmitate omnia extrema po-
 „ tius perpeti, quam a nobis, & sacra hujus Regni nostri corona descisce-
 „ re, labeque aliqua infidelitatis candorem nominis vestri contaminare, ho-
 „ stiumque circumfusorum, vos præ cæteris omnibus ambientium, nunc
 „ blandas appellationes, pollicitationes multas, nunc minas feroces fortissi-
 „ me sprevistis. Eandem, cum obsidione longa, & dura cincti essetis, mu-
 „ rique vestri variis tormentorum generibus quaterentur, prosternerentur-
 „ que, quid virtus in adversis valeat, vos speciosissimo exempla declara-
 „ stis. Nam nec fame, ferro, vigilia, neque illius rei penuria, neque la-
 „ bore ullo fracti estis, sed hujuscemodi longæ, & sævæ obsidionis incom-
 „ moditates, qua vos sine intermissione premebat, semper invicto animo,
 „ vel in anni parte sævissima propriis sumptibus, non sine gravi sanguinis
 „ effusione pertulistis, corporibusque vestris pro custodia, stationeque mu-
 „ rorum, die, noctuque objectis, hostium terribiles impetus, tela adver-
 „ sa, infestos ictus, crebra vulnera, pericula multa, semper erecto ani-
 „ mo, pectore adverso excepistis, &, quod admirabilius est, non modo
 „ tot impiorum hostium impetus fortiter sustinulistis, verum etiam in tan-
 „ tis vestris laboribus sæpenumero in hostium stationes magno animo ir-
 „ rumpentes pulchram inde victoriam cum ingenti hostium clade, & spo-
 „ lio reportastis, nec ullis modis, ac viis ad deditionem compelli potui-
 „ stis, quin forti animo tam gravem obsidionem ferentes, quousque nos
 „ tandem, vos invictos Athletas, e manibus hostium, ductu, & auspi-
 „ cio nostro liberavimus, ruptisque obicibus, & portarum vestrarum.

„ re-

„ repagulis, quæ diu clauſæ hoſtium conatibus nulla via patuere, redditus-
 „ que vobis conſpectus noſter, quo miro deſiderio tenebamini, Nos, una
 „ cum Prælatiſ, Baronibus, Proceribus Regni noſtri hilari vultu, animo
 „ lætiſſimo, facie ſincera, fide inuolata excepiftis, vobisque dies ille in-
 „ greſſus noſtri omnium merito pulcherrimus, gratiſſimus, & lucidiſſimus
 „ effulſit, talique, ac tam memorabili, & præclaro facinore, dum pro de-
 „ fenſione, & conſervatione illius auſpicatiſſimæ urbis Noſtræ, quæ hujus
 „ Regni noſtri in eo loco ſingulare exiſtit propugnaculum, animo infracto
 „ acerrime decertaſtis, Nobis abunde illam eximiam veſtram fidelitatem,
 „ conſtantia invincibilem, quibus ſemper Majores veſtri claruerunt, teſta-
 „ tam reliquiſtis. Ut igitur tantam virtutem veſtram, quæ in adverſis ſem-
 „ per clarior eniteſcit, perpetua laudis, & gloriæ veſtræ teſtificatione immor-
 „ talitati commendaremus, utque veſtra merita, ampliſſimo præmio di-
 „ gna, veſtraque præclara facta etiam teſtimonio noſtro locupletiſſimo
 „ omnibus Hungariæ Regibus, Succeſſoribus noſtris, comprobaremus, po-
 „ ſterisque omnibus veſtra conſtantia, fidelitas, ſummis efferenda laudibus
 „ clariſſime innoteſceret, hæc arma, videlicet Angelum, veſte, auro in-
 „ texta, coloris Amethiſtini ſuccinctum, flavam, & calamiftratam comam,
 „ ſtrophio, ſive ferto gemmato preſſam, in cujus fronte ex hujusmodi
 „ corolla capitiſ diademati crux aurea prominet, utraque ala Angeli coloris
 „ cœleſtini, micis aureis interlucet, tenens ambabus manibus ſcutum inſi-
 „ gne, ſummum ejus in formam metæ everſæ effigiatum, imum vero in-
 „ modum turbiniſ ſaſtigiatum, in ſcuti angulo gemino ſuperiore ex utroque
 „ latere galea aureis fibulis locata, ex quarum ſummitate flores penduli va-
 „ riorum colorum, veluti vento agitati, ſparguntur, utrique galeæ corona
 „ aurea impoſita; ex coronis ſingulis ſingulæ alæ prominent, quarum plu-
 „ mæ, & pinnulæ tenuiores, brachia alarum veſtientes, ſunt coloris cœle-
 „ ſtini, punctis aureis ſplendicantes; pennæ vero protenſiores, longiores-
 „ que, & extremæ, in altumque prorumpentes ſunt coloris crocei. In me-
 „ dio vero ſingularum alarum; ſunt ſingula lilia aurea. Scuti autem pars
 „ ſuprema eſt coloris cœleſtini, continens per longitudinem tria lilia aurea;
 „ in medietate autem ſcuti, pene uſque ad infimum, eſt campus ruber, in
 „ quo fluunt, ſtagnandoque labuntur quatuor flumina nominatiſſima, Da-
 „ nubius, Tibiſcus, Dravus, Savus, primaria, ſpecialiaque hujus Regni

„ nostri insignia , suo colore depicta , quæ ipsis , tanquam defensoribus ,
 „ & propugnatoribus ejusdem Regni nostri per nostros prædecessores ,
 „ Ungariæ Reges , gratiosè collata existunt , quibus usque in præsentia
 „ usi fuerunt. In medio autem ipsius campi rubri IV. fluminum
 „ prælatorum est aquila media stans , erectaque , collo tamen & capite in-
 „ tegra , coronam auream capite gestans , rostro aurato , pedeque sinistro
 „ unguiculorum tenuis aurato , lingua exerta , vibranteque , a cujus pectore
 „ linea aurea ad sinistram alam usque protracta , summitasque ejusdem lineæ
 „ figura trifulca terminatur , quæ est insigne nostrum gentilitium , & avitum ,
 „ quo vos ex singulari favore Nostro Regio ornavimus , quem jam tempo-
 „ re felicis nostri regiminis sibi immortalibus facinoribus peperistis. Scuti
 „ autem pars inferior , in campo coloris cœlestini , linea satis ampla rubra ,
 „ quatuor tessellis aureis intextis sejugata , a primo dextro angulo , in imum
 „ angulum sinistrum descendens , interfecatur. Supra quam lineam in eo-
 „ dem campo est lilium unicum aureum , infra autem eandem lineam in eo-
 „ dem campo sunt duo lilia aurea , quæ quidem Illustris Domina Anna Re-
 „ gina , concors nostra charissima , ex beneplacita voluntate sua ex suis pro-
 „ priis armis eisdem fidelitatibus vestris ob perpetuam rerum bene , felici-
 „ terque , pro defensione Regni hujus , & conservatione istius Civitatis
 „ Nostræ CASSOVIENSIS , gestarum memoriam , benigne , favorabiliter
 „ que concessit , prout hæc omnia in capite , seu principio præsentium lite-
 „ rarum nostrarum pictoris non indocta manu suis characteribus , & figu-
 „ ris , & coloribus facta , & depicta sunt , vobis animo deliberato , & ex
 „ speciali gratia Nostra Regia , & plenitudine autoritatis Nostræ , etiam
 „ consensu , & beneplacito præfatæ Serenissimæ Dominæ Annæ Reginae ,
 „ Conjugis Nostræ charissimæ , cujus armorum certam partem in his infe-
 „ ri , & innecti voluimus , dandum duximus , & concedendum , vosque ,
 „ & omnes posteros vestros hujuscemodi laudis , & virtutis testimonio fem-
 „ piterno ornandum. Imo ex abundantiore plenitudine nostræ specialis
 „ gratiæ damus , concedimus , & petentibus elargimur , ut vos , vestrique
 „ hæredes , & posteritates universæ , præscripta arma , & virtutis vestræ in-
 „ signia amodo impostero ubique in præliis , bellis Trojis , & aliis quibus-
 „ vis rebus , & exercitiis militaribus , nec non sigillis , velis , cortinis , pa-
 „ pilionibus , & in univèrsum in quarumlibet rerum , & expeditionum ge-
 „ neri-

„neribus uti possitis, & valeatis, vestrique hæredes, in signum, & testi-
 „monium paternarum virtutum, a quibus simili dono, & gratia nostra
 „Regia provocati studeant non degenerare, ferre, gestareque possint, &
 „valeant, eisdemque nomine communitatis perpetuo uti, frui, & gaude-
 „re, tantoque vehementiori studio imposterum Nobis, & Regibus Hun-
 „garix, Successoribus nostris, & sacrx Coronæ Regni Hungariæ totis vi-
 „ribus, summa fidelitate, præcipua constantia, instar virtutum majorum
 „suorum, infervire contendant, quanto se largiore, amplioreque præmio,
 „& gratia Nostra Regia donatos, & ornatos esse conspexerint. In cujus
 „rei memoriam, firmitatemque perpetuam præsentem literas nostras, Se-
 „creto Sigillo Nostro, quo ut Rex Hungariæ utimur, impendenti com-
 „munitas, vobis, ac hæredibus, & posteritatibus Vestris universis, duxi-
 „mus concedendas. Datum Budæ in Festo Conceptionis Virginis gloriosæ
 „anno Domini millesimo quingentesimo, secundo. Regnorum nostro-
 „rum Hungariæ &c. anno tredecimo. Bohemiæ vero tricesimo tertio.

Favit peræque Alexander Papa VI. CASSOVIÆ, & in rara sacri
 Curionis exemptione, universæ urbi grande adjecit decus. Est ad manus
 Diploma Pontificium, quod ne fiat juris publici, plura vetant.

§. VIII.

De JASZOVIA, MISLA, SZÉPLAKINO.

FLorentia ævo nostro in ABA-UJ-VARIENSI Comitatu sunt hæc, quæ
 nominavi Sacerdotia; inter quæ ipsa eminet JASZOVIENSIS,
 S. Joannis Baptistæ Præpositura, velut inter ignes luna minores. Candidis-
 simo Præmonstratensium Canonicorum paret Ordini, non unam belli, &
 sectariorum vim experta. Habet fidei suæ creditum Regni Tabularium,
 quod perinde patuit direptionibus, cum primis Bethlenianorum. Nam
 Szétius, ut illico, ab transmissio Tibisco, proditaque Cassovia, palam fa-
 ceret, quem in finem arma sumpsisset; cum valida Calvinianorum manu
 in oppidum invadit, & quidquid hostile est, experitur, diripit, vastat,
 incendit. Impetum deinde in Canonicorum Agriensium, isthic tunc ho-
 spitantium, ædes convertit, ac intempesta nocte partem eorum cædit, par-
 tem in vincula conjicit, ad majora fervandos mala. Sedata tempestatis il-
 lius procella nihil non egit Georgius Fenyefius, Agriensis Antistes, dum

amplis JASZOVIENSIUM fundis potiretur, ut sua loco fortuna redderetur. Quare Domum sanctam de integro reparavit, habitationibus auxit, muro, fossa, aquis, vallo communivit, Templum nitido eduxit opere. Ita restauratum illud Sacerdotium rediit ad Heros suos anno MDCXCVII. cum esset ab anno quinquagesimo sæculi sexti & decimi præ manibus alienis. Oppidum vallatur undique montibus, cultis olim ædibus ornatum, quæ nondum e rudibus emerfere. Distat Cassovia tribus milliaribus occidentalem ad plagam, ac intra suos montes fontem, ad ædem D. Ladislai, habet, ad quam magni fiunt concursus, religionis causa. Vulgo creditur: sitibundo exercitui suo precibus suis sanctum Regem impetrasse aquas illas. Ejusdem sacri Ordinis, nonnullorum opinione, erat Præpositura MISLENSIS Sancti Nicolai patrocinio illustris. Suis eam de Hæredis Zegnyeiana fertur condidisse Familia; quæ mascula in stirpe dudum defecit. Religiosi autem viri, post Tartaricam evastationem, suarum ædium locum deinceps nunquam repetierunt. Ab anni MDCXLIII. die XVI. Januarii voluntate Ferdinandi III. ditio Præposituræ hujus concessit in partem fundationis Collegii Cassoviensis S. J. qua semel, ac iterum spoliati sunt per intestinos motus. Magnis religionibus frequentatur adhærens SZALANCZENSIS montis lateri ædícula, S. Mariæ Magdalenæ sacra; subtus quam amniculus, uno e fonte natus, efficacissimæ ad medendum virtutis vehit aquas. Divellitur MISLENSIS vicus Cassovia duarum horarum itinere, meridiem versus, eminetque in peramœno colle; hinc fusissime porrectas propter Hernadi, Torissæque ripam silvas despectans, vernantibus pratis distinctas; inde objectum Szalanczensem montem e propinquo in conspectu habens; unicum Cassoviensium Musarum, & sane deliciosum, Tusculum, a venationibus, piscatu, ambulationibus, præsertim vero aucupiis, celeberrimum.

Pari fere distantia, Mislam, Cassoviamque inter, nonnihil ad ortum declinat SZEPLAKIENSIS Abbatia, quam ad annum MCCXVII. Benedictini possidebant. Transiit subinde in jura V. Capituli Strigoniensis, jamque Tyrnaviensi S. Stephani Clericorum Seminario alimenta præbet, reddita memorabilis Marci Crisini, sui Præfecti, gloriosa pro fide morte, Cassoviæ obita. Luculentum hujus indubitati Martyrii testimonium sunt Pazmani Cardinalis, & præcipuorum Regni Optimatum literæ, ad Urbanum Papam VIII. anno

MDCXXVIII.

MDCXXVIII. datæ in Kaziana Regni Hungariæ Historia Tom. I. pag. 253. videndæ.

§. IX.


*De cæteris illustrioribus ABA-UJ-VARIENSIS
Comitatus Oppidis, Castellis, Arcibus, Vicis.*

Vetustæ Comitatus hujus, ut plerorumque cæterorum, arces, suis rudibus, ut plurimum, consépultæ jacent. Harum nominatiores REGECZIENSIS ornatissima, & Eremitarum S. Pauli ædibus religiosa; SZALAN CZENSIS, GÖNCZIENSIS, FÖZÉRIENSIS, aditu arduæ; BODO-KOIENSIS, & RUSZKENSIS situ amœnæ; NAGYIDENSIS, excidio Zingarorum famosa. Castella pauciora numerantur nempe: SZALAN CZENSE, ENICZKENSE, & cultissimum NAGYIDENSE. Erexit hoc, & cultu, hortisque nobiliter instruxit Excellentissimus D. Comes Nicolaus Cfaky, Coloczensium Archi-Episcopus, dum Varadinensi præesset Ecclesiæ. Adjecit Pastoralis sui, quo totus æstuat, Zeli specimen in reddita hoc eodem in vico Catholicis æde sacra, magno ære restaurata, verius erecta, excussõ ministello, Romanæ fidei Curione constituto, ac dotato. Præter NAGYIDÆ, ac Sixonis oppidi portionem ad Cfakyorum conditiones pertinent oppidum GÖNCZENSE, superius, ac inferius MECZENZÖFFIENSE, ABA-UJ-VARIENSE, cætera. Postremum hoc ad Abam, inter Pro-Reges II. Regum postea tertium, priora ad Saxones originem referunt. GÖNCZINUM (in quo Paulinæ erexerat Monasterium Ludovicus I. anno MCCCIX. SS. Philippo, & Jacobo dicatum) initio parebat Regibus; mox transiit ad Omodæos, de genere Haba, quos nonnulli Amadæos, & Ormodeos vocant. Eminuit ea in gente, qui Carolo I. Rege Palatini dignitate auctus erat, atque ad componenda Cassoviensium jurgia datus arbiter. Eo in munere, quum contumaces filios, Ladislaum, & Joannem vehementius objurgassæt, quod nec Regis, nec legum reverentia tenerentur, sed iniquam factionis partem foverent; usque adeo in se commovit adversorum odia, ut e vestigio contrucidaretur. In ejus encomiis ponitur, quod Wladislaum Locticum in thronum Poloniæ reposuerit. Oppidum celebre est a fructuum copia; visuntur quoque in eo grandis Basilicæ rudera. Vicina, quæ Cassoviam hinc ducit, via, cæno ante-

antehac ferme impervia fuit ; eam nuper Illustrissimus D. Comes Antonius Csaky grandi sumptu, ac opere ad omnem comitantium commoditatem instruxit. Ejusdem, & Gabrielis Perénii, insigni in Romana sacra merito, sensim respirat SIXOVIÆ Catholica Religio. Frequens, nec minus fausta est oppidi hujus apud Istvánffium mentio, ob relatas de barbaris victorias. Illustriores binæ sunt ; de earum altera Lib. XX. de altera sexto post agitur. Prælium hoc alterum daturus literis Scriptor ille scitissimus, ita præfatur :

„ Mihi multa tam veterum, quam recentium exempla revolventi, non facile in mentem venit, uspiam validissimas, & instructissimas copias a paucioribus victas, fufasque fuisse, atque hoc anno (nempe MDLXXXVIII.) nostris, ad Sixonem crudelissimo prælio dimicantibus, contigisse constat. „ Nimirum lectissimorum Turcarum XII. millia, nostrorum nonnisi duo, & summum sexcenti, conflixere, ac nihilominus plena a nobis victoria stetit. Tricesimo abhinc anno ipso Natalis Servatoris die interfecans hoc oppidum rivulus sanguine fluere visus est, quem colorem per plures hebdomadas retinuit aqua ; quin imo glacies quoque, rigore frigoris inducta amniculo, per calorem liquata, sanguineas ibat in guttas. Pacis tempore vini laude commendatur. Plus valet hoc nomine SZANTOVIA, quæ Seraphicos aliquando Patres alebat, digna, quemadmodum superiore capite meminimus, quæ cum primis Tokaiensium collium in contentionem venire possit. Cingebatur muro ; uti hodiedum cingitur SEPSIUM, sui juris oppidum. Reliqua, jam enumeratis, minora sunt, soli bonitate cum primis memoranda. Vici quoque non pauci insignibus naturæ donis decorantur. In agro Cassoviensi saluberrimi balnearum sunt fontes ; rivulus in Kékedinensi, ac Mislenfi, quæ calefactæ præsens ægris

corporibus afferunt remedium. Scaturiunt & acidulæ ; ac divites Aurariarum, pluribus in locis, se produunt venæ.



CA-

CAPUT TERTIUM.

DE COMITATU THORNENSI.

§. I.

Denominatio, Angusti fines, & Supremus Comes Comitatus THORNENSIS.

Angustias THORNENSIS Provinciæ non solum e numero vicorum, qui vix tricesimum superant, elicias, verum et postrema quoque in arma, Hungarorum, concursione. Pauciores enim universa illa statuere iussa est milites, quam sola civitas Cassoviensis. Mutuatur appellationem a pervetusta arce THORNA, de qua mox, clauditurque a septentrione per Comitatum Scepusiensem; ab oriente Aba-Uj-Variensi; Gombriensi ab occidente; a meridie, Borsodiensi. Agrum colit nec fertilissimum, nec, extra montana, sterilem, piscosis rivis irrigua, turdorumque, ac merularum dives. Unus Somodgyensis pagus eo numero sapidissimas aves illas laqueis apprehendit, ut toti affatim suppeditare eas credatur Cassoviæ, pretio prorsus æquo. Nam interdum grosso fenæ, adeoque singulis cruciferis binæ venales prostant. Moderatur supremi Comitis munere Comitatum hancce Excellentissimus, ac Illustrissimus D. Comes Josephus Keglevics de Buzin, S. C. R. M. Camerarius, nec non Intimus, & Consilii Regni Locumtenentialis Consiliarius.

§. II.

De Castro, & Oppido THORNA.

PRior, quæ sese lustrandam, THORNENSI in Regione offert, est arx THORNENSIS cum oppido adjacente. Superiore ætate probe munitam fuisse ex eo arguimus, quod civilibus tumultibus, Hungariam concutientibus, ad eam se receperint, qui Regiis adversabantur. Meminimus ita factum fuisse anno MDCLXXIX. quo a Stratego Leslie nonnulli Tököliarum, accurrentibus nequicquam ad opem ferendam Turcis, tandem successere inde, sint coacti. Jam nuda supersunt rudera; infra quæ visendum Keglevitiorum Comitum eminet castellum, hortis, piscinis, interno con-

clavium cultu ornatum. Castrum ditio hæredium est Inclytæ illius, & bellis claræ Profapiæ.

§. III.

De Arce SZÁDVÁRIA.

Castrum SZÁDVÁR, præalta in rupe olim constructum, dignitate, non item firmitudine concedebat THORNENSI. Bebekorum, quum esset juribus obnoxium, non una Svendium n fatigavit cura, ut illud detraheret Georgio, res novas pro Joanne Sigismundo, Principe in Dacia molienti. Tenebat illud præsidio Sophia Patoczia, uxor Georgii, ultra conditionem sui sexus, virilis animi fœmina, non solum ausa post repressas mariti suppetias oppugnantium suggestus, & castra Regia cum gravi commearum periculo tormentorum pilis impetere; sed etiam deditorem petentibus aliquando respondere: „ Se quidem fœminam, minime bello asuetam, neque tamen tam imbelli, atque degenerere animo esse, ut solatis verborum ferocitate terreatur, ac nulla defensione facta, quæ etiam brutis animalibus, suis in latebris delitescentibus, naturæ quodam instinctu, indita esse videtur, arce sua excedat; proinde fortunam qualemcunque experiri constituisse. „ Nec egit segnius, atque edixit. Semel, iterum, ac sæpius oppositos suggestus disjecit; Saliceum, rei tormentariæ supremum Præfectum, majoris colubrinæ ictu prostratum vidit; Svendium ipsum, instantem operi, pari felicitate, solutæ currulis machinæ globo perstrinxit. Defunctus tam propinquo periculo Svendius acerrime toto quadriduo concuti castrum imperat, quintoque die accipit in fidem. Paria belli incommoda, diuturnæque obsidionis jugum Botskaiano sub tumultu passam esse SZADVARIAM auctor est Zeilerus pag. 334. Assertæ jam sunt ejus ditiones Illustrissimis D. Comitibus Alexandro, Joanni, & Stephano Eszterháziis.

§. IV.

Cætera THORNENSIS Comitatus memorabilia loca.

Refert Turoczius Annalista: In Pago Harskúth, ditionis Andrasianæ Baronum Familiæ, expositam esse publicæ venerationi pervetustam iconem, quæ Divum Ladislaum exhibet, e cujusdam Cumani manibus,
Epi.

Episcopi gnatam liberantem. A fronte sanctus Rex, Virgo a tergo luctatur cum raptore barbaro, acto in præceps ex equo, cui Virgo imposita fuit per raptorem. Quum nihil affine historia e thaumaturgi vita suggerat, credere fas est: Symbolum hoc esse orthodoxæ fidei, a Piligrino, Adalberto, cæterisque Sanctis Antistibus, in hisce plagis propagatæ; quo, ne a barbaris detrimentum caperet, sanctus Rex imprimis accurabat. Memoria dignum & illud: intra fines Pagi *Borzova*, Szadvariensibus ditionibus adscripti, inexploratæ altitudinis hiare specum, ab accolis *Lednicæ* dictum; cujus saxa, aquam destillantia, dum æstas ferret, densam glaciem, ac bellicissime figuratam continent; Hyeme ex adverso culices, ac vespertiliones alunt.

CAPUT QUARTUM.

DE COMITATU BORSODIENSI.

§. I.

Nomenclatio, fines, agri bonitas, fluvii, commoda,
Supremus Comes Comitatus BORSODIENSIS.



Veteri, nec invenuto quondam oppido BORSOD, appellatus est Comitatus BORSODIENSIS. Desloruit dudum ea Metropolis, cujus vices hac ætate Miskolczinum implet. Provincia porro hæc mediocrium una est, si spectes amplitudinem; at soli bonitate vix ulli secunda. Nam & vino Tokaiensibus suppari, & frumenti copia, & pecore abundat; Sajone, Hernadoque irrigua. Procurrit ab ortu in Zempleniensem; in Hevesiensem a meridie; ab occasu in Neogradensem; in Thornensem, & Aba-Uj-Variensem a septentrione: Supremo Comite gloriatur Excellentissimo, ac Illustrissimo D. Comite Francisco Eszterhazy de Galantha, Perpetuo in Frankno, Generali Equitatus, S. C. R. M. Actuali Intimo, & Consilii Regii Locumtenentialis Consiliario, Tabulæ Septem-Viralis Assessore, Tavernicorum Regalium per Hungariam Magistro, nec non Partium Cis-Danubianarum in Hungaria Commendante Generali, cujus in DEUM religio, pie-

tas in Patriam, in Regem fides, comiffima bonitas in omnes, illimis iuftitia, jugis animi malacia, Liberorum, ad summa quæque gerenda, natorem, felicitas, fummorum, imorumque mentes ita occupavit, ut non redeat ejus memoria, quin dulci quodam fenfu afficiantur.

§. II.

De DIOS - GYÖRINO, EDELYINO, LADDO, *ac* MISKOLCZINO.

Regia sæculis superioribus arce, ad omnes delicias composita, gaudebat DIOS-GYÖRINUM, caput cognominis ditionis, ad facram Regni coronam pertinentis. Suis ipsa ruinis dudum jam confepulta est. Adhærebat orientali montis lateri, quem amœniffimæ coronant silvæ, positu admodum hilari, ac falubri. De ea in P. Szent-Ivany Miscellaneis ita scriptum reliquit Nicolaus Olahus, Strigonienfis Archi-Episcopus : „ Arx „ Hungariæ Reginæ cum oppido ejus nominis, ei subjacente, magis amœna, quam munita, rerum copia merito memorabilis. Hic cantus philomelarum, & aliarum avicularum, in ramis vicinarum arborum concinentium, verno tempore aures illorum, qui in ipsis cubiculis arcis agunt, mirum in modum oblectant. Infra arcem fluit ex monte rivus, trutis, & aliis piscibus delicatioribus scatens &c. „ Ita Magnus ille Scriptor. Degebat felicioribus illis Hungariæ sæculis facer Paulinorum Ordo in DIOS-GYÖRIENSIS oppidi Cænobio, Elifabethæ, ejusque filii Ludovici I. opere undique Regio, quod ad incitas redactum est anno MDL. nec multo post everfum. Eadem Religiofa Familia LADDUM, a Gregorio, & Petro Czudariis, habitandum acceperat anno sæculi XIV. septimo, & octogesimo, quod feliciter e ruinis refurgit, sacris ædibus abunde jam cultum. Præcellit huic EDELYINUM, opere profano, eductum ab imo infanis sumptibus castellum, arci suppar, quod ornatu cum primis Hungaricorum in contentionem veniat, ostentans. MISKOLCZINUM demum, populo frequens, ac præstantia vini notum oppidum occurrit. Præter sacrum Curionem, Minores Seraphici Patris filios incolas, & conjunctam Tapolczenfem S. Petri Abbatiam, ætate nostra magnifico adornatam Templo, habet. Auget hæc tertium in annum Titulos, & reditus Illustriffimi, &
Rev.

Rev. D. Georgii Foglar, Electi Episcopi Serbiensis, Præpositi B. M. V. de Albei, Cathedralis Ecclesiæ Agriensis Lectoris, & Canonici, antiqui moris, & Patriæ studiosissimi Præfulis. Dignum est memoria, quod de MISKOLCZINO refert Istvánffius ad annum MDLX. „ Cecidere, in-
 „ quit, ad MISKOLCZINUM oppidum quinque prægrandis, instar hu-
 „ mani capitis, lapides, luteo, & ferrugineo colore, gravi pondere, ful-
 „ phureoque odore, quum clarum cœlum subito fulgure, & tonitribus,
 „ terribilique aeris commotione repente conturbatum fuisset, iis mox pun-
 „ cto temporis quiescentibus. Quorum unum in arce DIOS-GYÖRIA-
 „ NA hodieque asservatur, cæteros Sigismundus Balassius ad Ferdinandum
 „ misit. „

§. III.

De ONODINO, & SZENDROVIA.

TRia sunt, quibus memorabile evasit ONODINUM, duobus intra Miskoles milliariibus adhærens amni Sajoni oppidum: insignes duæ clades Turcarum, & Comitæ Rakocziarum. Refertur cladium prior, ad anni MDLXXXII. Paschæ solennia præcedens, quadriduum; quo prædis onusti barbari, raptabant secum captivos Christianos, villis, oppidis, pagis late compilatis. Affectus prope ONODIAM arcem populabundos est Michael Serenius, Ruberi Legatus, cum perniciosibus Hungaris equitibus, tantaque impressione adortus est, ut XVIII. signa, captivos, ac prædæ partem potissimam iis eripuerit, mille & quingentis plures ceciderit, aut in servitutem redegerit, ipso salvare ægre sibi fuga, & quo latens elaberetur securius, agafonis lacerna consulente. Altera clades, quam in ipso hoc castro acceperunt Turcæ, incidit in tertium & centesimum post annum. Ruina castri in idem tempus referenda videtur; nam cum illud non amplius CXX. velites Hungari repentina invasione occupassent, deleta internecone præsidio barbaro, arx ipsa propemodum est everfa. Nec plura de bellicis vicibus occurrunt. At Rakocziana, quorum memini Comitæ, ad annum MDCCVIII. coacta nihilominus Martiali furore facinus edidere. Aderant in ea concurrentium male contentorum concione Melchior Rakovszkius, Turocziensis Comitatus Notarius, & Joannes Okolicfanius, ac pro eo, quo ferebatur in commune bonum, studio, de illatis Patriæ

gravissimis damnis apertius querebantur. Pupugit justissima illa querela quosdam furiosiores, qui ea se peti credebant. Quare facta in Melchiorem impetu, eum durissime e vestigio trucidant. Okolicanium, nescio quorum pietas tum quidem neci eripuit; verum ne præter jus actum esse in Rakovszkium videretur, postero die e Collectorum Patrum sententia capitali supplicio damnatus & ille occubuit. Eodem in Comitio Comes Nicolaus Bertsenius in Rakoczii Principis Locumtenentem fuit electus. SZENDROVIA arx cum oppido minoris est nominis; levioribus aliquot obsidionibus incincta, semel, iterumque Bebeco detracta, ac Regibus asferta. Oppido, dum illud obtineret, dedit Patres Franciscanos Franciscus Vesselénus Regni Pro-Rex circiter annum MDCXL. Paret hodie, cum annexis ditionibus, Magnæ Comitum Csákyorum Prosapizæ, redivibus Antonium cumulando.

CAPUT QUINTUM.

DE COMITATU NEOGRADIENSIS.

§. I.

Amplitudo, fines, opportunitates, Supremus Comes Comitatus NEOGRADIENSIS.



Astum quoddam belli theatrum, & multo irriguam sanguine Martis arenam ingredi mihi videor, dum describendis NEOGRADIENSIVM plagis animum affigo. Adeo hic arces, & oppida, vici & castella, Illustrium Heroum Patria virtute, & barbara feritate plena, sese spectanda offerunt. Nomen Provinciz dat NOGRADUM, seu NOVIGRADUM castrum, quod Slavio e sermone Latine redditum *Novam Arcem* significat. Amplitudo non eadem notatur ab omnibus. Nonnulli quum longitudinem XII. latitudinem VI. aut V. miliaribus definiant, ambitum ultra XXXV. non extendunt. Alii, privatis in chartis, dena addenda contendunt. Hos commodius non conciliaveris, quam si minore istos, priores majore usos mensura (vicio Hungaris familiari) existimes. Nisi mea me fallit dimensio, magnam
Ruffo-

Rufforum Coloniam (*Nagy Oroszi*) *Nemtino* difsitam eſſe comperi octo juſtis milliaribus, quæ maxima latitudo Comitatus eſt; longitudo vero ab *Heredo* vico ad extremos *Trbanovæ* montes, XIII. milliaribus non minimis procurrit. Aſſurgit ejus Regio, ut plurimum, in montes & colles, quin tamen commoda planitie deſtituatur, pecori, ſementi, vinetis amiſſiſſima, poſitu hilari, cœlo ſalubri. Irrigatur *Ipoli*, *Zagyva*, & facile vicinis minoribus amniculis, ac rivis, ſcatet quoque compluribus acidis fontibus, atque, ſi *Lóno-Banyenſibus*, vicinorumque pagorum accolis fides habenda eſt, non ferri duntaxat, & plumbi, ſed argenti quoque, & auri venæ hodie dum in compluribus cuniculis viſuntur. Clauditur a ſeptentrione *Zolienſi*; ab ortu *Gömörienſi*; *Kis-Hontenſi*, & *Heveſienſi*; eodem, & *Peſthinienſi* a meridie; ab occaſu *Piliſienſi*, & *Nagy-Hontenſi* Comitatu. Supremi Comitatus dignitas hæreditaria eſt *Inclytæ Forgachiorum Comitum* de *Gymes* Familiæ, quæ non interrupta (quod ſciam) ferie ſesqui altero fere ſæculo eo potitur munere, ducto initio a *Sigismundo*, qui Pro-Regios ad extremum geſſit faſces. Hodie prærogativa illa cminet *Illuſtriſſi D. Comes Antonius*, una *S. C. R. M. Camerarius*, & *Generalis Vigiliarum Præfectus*.

§. II.

De NEOGRADO, BUJAKO, ETSEGHO, ET HOLLÓ-KÖJO, præcipuis Oppidis, & Arcibus inferioris NEOGRADIENSIUM Provinciæ.

QUa in meridiem ab occaſu vergit Comitatus NEOGRADIENSIS, caſtri, de quo nomen traxit rudera, cum ſubjecto oppido pro limite habet. Novum ſola appellatione dici poteſt, cum veterrimum opus fuerit, ad ipſam *Jazygum* ætatem ex vero retrudendum. Impoſitum erat rupi non admodum editæ, atque ditionibus *Epifcopi Vaczienſis* attributum. Dum eo potiretur *Nicolaus Bathorius*, magnis laudibus a *Bonfinio* celebratus, auctum eſt ædificiis, ope *Jacobi Tragurini*. Ambiebat illud foſſa, XXX. pedes alta, lataque in ipſo ſaxo, infanis, laudati *Antiſtitis*, ſumptibus, cum puteo, exciſa. Eminebat in medio turris, cui nomen *Nicolai Bathorii*, ac gentilitia trium lupinorum dentium inſculpta fuiſſe, atque ad ætatem *Iſtvánſii* perſtituiſſe, teſtis eſt ille *Scriptor*. Addit idem:

Ve.

Veterem ædificii molem, Turcas, erectis forinfecus duplicis, & valde crassifalli valli cratibus, usque roboribus confibulatis, ac cespite repletis, ad propugnaculorum formam, longe firmiorem reddidisse. Quinque propugnaculis protegebantur ad luxum instructæ Herorum habitationes. Belli finitram, ut plurimum experta est fortunam. A Joanne Zapolya ad Ferdinandum I. ab hoc ad Joannem, opera Mehmetis, & Hussaiani, Turcorum, post sesqui sæculum barbaris, quorum tenebatur præsidio, per Mathiam Archi-Ducem erepta; cessit rursus Botskaio, præsidiariorum infidelitate; Regi, Viennensi, ac Zitva - Torokenfi pace, reddenda. Paruit & Bethlenio, astuque Michalis Abbassi Turcicum accepit præsidium, fulmine, quo convulsa multum est, anno MDCLXXXV. depellendum. Oppidum singulare, quo se commendet, nihil habet, præter fontium, ac balnearum Turcicarum reliquias, ac stratas lapide publicas vias.

BUJAKUM NEOGRADO quinque orientalem ad oram milliaribus intra montes retrusum, sublimem petrosum montem occupabat. Comoda veteris non est, cur persequamur. Extinxit universa Murtuzanus barbarus inclinante sæculo XVI. Ditio perampla, castro innexa, juris est amplissimæ gentis Comitum Eszterhaziorum. Ultra BUJAKUM, ad ortum nemo ETSEGHIE arcis rudus, duobus modicis milliaribus septentrionem versus assurgit HOLLO-KÖJENSE castrum, in edita, ac summe ardui aditus caute. Bis Turcæ jugum subiit; primum anno MDLII. simultate Præfectorum. Rediit ad nostros desertum a barbaris; metu adactis, dum ei immineret Tieffenbachius anno ejusdem sæculi LXXXIX. Alter, quo Turcis deditum est, annus erat supra MDCLXIII. Vicefimus post Christianis vacuum restituit.

§. III.

De SZÉTSÉNYIO, ET BALASSA - GYARMATHINO, medium NEOGRADIENSIS Regionis occupantibus.

Hollököino SZÉTSÉNIUM, cum oppido castrum, divellitur uno milliari ad septentrionem, obtinetque umbilicum totius Comitatus, situ, si quod aliud, pulcherrimo præditum late diffusam planitiem, colles de-

deinde, montesque in conspectu habens. Oppidum ornatur Templo, & Monasterio Patrum Franciscanorum, a Georgio Szechénio condito, a Stephano autem Comite Kohario post incendium pristino nitore restituto. Collis, quem arx occupat, leniter attollitur. Substructionum initia vetustiora fuisse videntur, quam ut ad Bohemos contrahi possint, semel, ac iterum exustam fuisse lego, dum denique propugnaculis validioribus nudata in castelli morem conformaretur a Kohariis Comitibus. Belli fortunam habuit eandem, quam cætera hujus Dynastiæ castra; præterquam quod veteri Hungarorum more sub papilionibus Franciscus Rakoczy anno MDCCV. in pascuo SZETSENSI campo Comititia instituerit; quibus, præter alia, exitio rerum Divinarum, ac humanarum accommodatissima, Jesuitarum ex Hungaria exigendorum cusa est faba. Vide Novam Cassoviam in Academico ejus Urbis Collegio. Postremum quod hoc loco memorandum assumpsi, BALASSA-GYARMATHINUM est, vetustissimæ Balassiorum Profapiæ, omnique ævo bellis Inclytæ, & amplissimis Regni functæ muniis clarissimæ, hæredium. Primus, quem adhuc certis documentis tenemus evectum fuisse Palatinale in fastigium hac de Domo, Henricus est, tertius, & tricesimus, Jongelini calculo, inter Pro-Reges. Floruit Bela IV. Rege ad annum MCCLIII. Eum CXXVII. annis secutus Blasius, ob rerum gestarum gloriam cognomento Magnus, oppidi, quod describimus prænomen *Magni* (dicebatur enim NAGY-GYARMATH) in suum commutavit, utque posteri de BALASSA - GYARMATH dicerentur, effecit, qui jam antea a Byttero, Mikonis II. (si rite notavi) filio, Comites de *Kék - Kö* dicerentur. Nihil magis domesticum magnæ huic stirpi fuisse, quam bellicis Præfecturis eminere, non solis Documentis Domesticis inferum legas; ut quot nomina, tot invictos fere Belli - Duces, superioribus præsertim sæculis, reperiri mirere. Gubernare Provincias quoque, Curia, Palatioque Regio præpositi, ac per Julianam, primam Ladislai II. conjugem, Mathiæ Corvini consanguineam, Regio sanguini innexi; ut de necessitudine cum præcipuis Hungariæ Familiis meminisse non oporteat. Proxime jam ab occasu aberat Genus Nobilissimum; nam ineunte sæculo, quod vivimus, eripiendum ex humanis Gabrielem, non fuit, qui solaretur hæres; dum posthumus ederetur in lucem Paulus II. rerum gerendarum dexteritate, sapientia, consilio, moderatione, zelo religionis, nescio, an

alicui Majorum secundus. Ista cursim de stirpe bellicosissima. Ut ad orbitam regrediar, BALASSA-GYARMATHENSE castrum plano infedit, propter meridionalem Ipolæ amnis ripam, duobus in occasum milliaribus SZÉTSÉNIÓ femotum. Conjungitur ejusdem nominis oppido; non a Turcis duntaxat, sed Regiis etiam, atque adeo domesticis, ac Heris direptum, incensum, iterum, ac sæpius eversum.

§. IV.

De BUSSA, KÁRÁNTS-BERÉNY, KÉK-KÖ, SALGÓ, SAMSON-VÁRA, SZANDA, SOMOS-KÖ, ET ZAGYVA.

SParguntur hæc castra, vici, oppida, per vicinam regionem Szecsényio ad septentrionalem, orientalemve plagam. SAMSON-VÁRA, etiam FEJER-KÖ (*Albus Lapis*) dicto incertæ originis appellatio adhæsit. Parietinas nonnisi quasdam ostentat. Eadem fors SZANDENSEM involvit arcem. KÁRÁNTS-BERÉNYIUM vicus est, gentilitius Illustrissimæ Berenyiorum Comitum stirpis. BUSSA, Turcis Hungariam populantibus, exigua munitio, Michaelis Ferchii, Stephani Szuhai, & Andreae Nagy virtute inclaruit. Luculenta oratione eam profequitur Istvánffius Lib. XVIII. quem adi. SALGONIS, SOMOS-KÖ, ZAGYVÆ, & BAGLYAS-VÁRI castrorum rudera veterem positum indicant. Postremum nihil omnino commendat. In ZAGYVÆ vici montibus fons est cognominis fluvii. SALGOVIAM insigni Arslanis astu captam narrat Istvánffius, antea citato loco. Is enim prægrandem arboris truncum, favente nebula, magno clamore agreffium in cacumen vicini montis protrahi curavit, quem, in morem currulis machinæ, duabus rotis impositum cum per densiorem aerem discernere non possent præfidiarii, tormentum esse mentienti barbaro crediderunt, atque arcem, non sine falso eam occupantium risu, tradiderunt anno MDLI. altero & quadragesimo post anno Regi restituendam. SOMOS-KÖIENSIS demum munitio, petroso monti, quasi e secto ad regulam lapide composito, ac triangulum exprimente, inædificata, id habet singulare, quod majores perinde, ac minores circumlapides pentagonam referant figuram. Fædaviv eam imbelli pavore, ac in Alibegi potestatem transire passus est Nicolaus Fodoroczius, ut auctor est

to-

CAP. V. DE COMITATU NEOGRADIENSI. 515

toties laudatus Istvánffius. Positu ad oppugnandum, ut pleræque harum partium aliæ, admodum arduo, amœno tamen, ac salubri erat. Recens in partem ditionum, castrò huic adscriptarum, venit Illustriss. D. L. B. Joannes Ambrosius Péterffius Tabulæ Regiæ Judiciaræ Baro, Eques Auratus, de SOMOS-KÖ cognomen ducens.

KÉK-KÖ arx, & oppidum, ad pedem petrosi montis nullo ordine sparsum, Slavico sermone *Modry-Kamen* appellatur. Solo sterili est, nec ullam a frumenti reditu prærogativam habet. Arboreis, ac vineaticis fructibus amicior gleba cum sit, eo labore, ut plurimum, distinet civem. Quæ conversiones castrò incubuerint? marmor inductum inferiori portæ docet. Ejus Inscriptionem discipulorum quidam nobiscum communicavit, quæ sequens est:

ANNO DOMINI MCCXXXVII. SUM ARX KÉK-KÖ AB INCLYTA
 DOMO BALASSA FUNDATA, ET CONTINUO POSSEDEBAR.
 ANNO MDLXXVI. IN POTESTATEM PERVENI TURCICAM.
 ANNO MDXCIII. A TURCIS PULVERE DISJECTA, AC DERELICTA,
 DOMINI IMPERATORIS, AC REGIS HUNGARIÆ RUDOLPHI II.
 PRÆFECTORUM INCURIA AD EXTREMAM DEVENI RUINAM.
 ANNO MDCIX. A SERENISSIMO REGE HUNGARIÆ MATHIA II.
 HÆREDITARII MEIS REDDITA DOMINIS, INDUSTRIA
 SPECTABILIS, AC MAGNIFICI DOMINI SIGISMUNDI BALASSA
 MURIS, AC PROPUGNACULIS E FUNAMENTO AMPLIATA,
 HABITATIONIBUS EXORNATA, ET IN HUNC,
 IN QUO ANTE FUI, PERVENI STATUM.
 AB EADEM ILLUSTRIS FAMILIA, UT ÆVO DURANTE,
 FELICITER POSSEDEAR,
 FAXIT DEUS TER OPT. MAX. CUI LAUS ET GLORIA!
 ANNO MDCXII.

Acerbissimum castrum hujus casum, quo a Turcis direptum est anno MDLXXVI. refert Istvánffius Lib. XXV. Histor. Repetiit maleficium, postremo Rakocziano tumultu insigniter nefarius, illius Ducis partium fœdator, Blasius Kokay, redactis in cinerem cultissimis habitationibus, quibus ex industria subdidit ignem.

§. V.

De DIVINIO, FILEKO, ET MALNA-PATAKO,
Castris, Oppidis, Vico.

Superioris, qua ad Ofztroskiensēs montes, septentrionem versus, pro-
tenditur, Comitatus NEOGRADIENSIS hæc memorabilia loca
sunt. MALNA-PATAKINENSIA inter juga scaturiunt fontes, Ipolis
fluvii. Inde duobus in Occidentem milliaribus semovetur DÉVÉNYIUM;
infra hoc ad unum lapidem, meridiem versus, GATSUM; intra quod,
& LOSONTZINUM, nonnihil Brumali folis ortui objectum, idem pro-
pmodum interjacet spatium; alterum tantum dirimit LOSONTZINUM
a FILEKO, quod, attento LOSONTZII positu, ex æquo in meridiem,
ac ortum recedit, ubi Gömöriensis Comitatus vici *Béna* & *Sid* NEOGRA-
DIENSEM incurrunt. Dimensis utcunque locorum spatiis, restat, ut de
singulis, infertarum titulo huic arcium, aliquid dicamus. Et DIVINIUM
quidem, duobus LOSONTZINO milliaribus in septentrionem retrusum,
opportunos erat ad arcendos a Montanis Civitatibus hostes. Fueritne su-
perior pars constructa a Diviniis Castris Heris, affirmare non ausim. A
Balassii molem inferiorem adjectam esse pro explorato habetur. Accessere
munitiones, ære publico, ad annum MDLX. postquam igne cœlesti suc-
censa pyrii pulveris conditoria magnam partem arcis in ruinam traxissent.
Bis direptioni patuit: Turcicæ quidem sæculi XVI. sexto & septuagesimo;
Rogiorum autem duodecentesimo post anno, quo etiam sponte subditis
ignibus, ac disposito per cuniculos sulphureo pulvere everfa est, nec adhuc
restaurata. Silvæ oppidi, quod arci subjacet, Falconum nidis celebres ha-
bentur. FILEKINI natales ad opilionem ejus nominis referendos vulgus
garrit; cui quantum quisque vult, bona nostra gratia, deferre potest.
Vetustam, sin minus universam arcem, certe ut minus unam e tribus mo-
lem fuisse, produnt Tabulæ Stephani V. anno MCCLXII. exaratæ, qui-
bus testatur: Castrum FILEK se recepisse a Bela IV. Genitore. Simum
ejus, & fata describit Istvánffius Lib. XIX. & seq. dignus, quem eo potif-
simum evolvas loco, ubi validissimam hanc munitionem, Æthiopis unius
astu captam narrat. Minus ad evertendum FILEKUM valuit alter dolus
Andræ Brák; qui eo consilio suam ipsius Domum, quam habebat in sub-
jecto

jecto suburbio, succendit, ut erupturi ad restinguendum præfidiarii parato in insidiis Agriensi Turcarum Præfecto cum valida manu patentes, concubia nocte portas relinquerent. Saluti Christianis fuit, impia Bráky destinata prius detecta fuisse, quam appeteret condictus perfido facinori dies V. Aprilis, anni MDCIX. Ita factum, ut barbari, tum quidem spe potiundæ arcis dejecti fuerint; Brákus vero loco pactorum vicies mille Nummum Imperialium, meritum tulerit supplicium, quadrifariam sectus. Gloriosior fuit castri ejusdem propugnatio, cum ei præfectus esset Heros ille, nunquam sine peculiari veneratione nominandus Stephanus Koharius, miscente Hungariam seditionibus Tökölio. Eleganti narratione immortale laudatissimi Comitum factum narrat Scriptor vitæ Leopoldi M. Lib. VIII. in eo tantillum aberrans, quod FILEKUM Ipolo rivo adsitum referat, quod non est ita; nam sepositum est ab amne illo ortum Brumalem versus ad aliquot mille passus. Occupatum cum seditione præfidii, conclusæ multitudinis, vociferationibus irritati, tum gravissimis impressionibus oppugnantium, castrum triduanæ direptioni permisit, deductaque bellica suppellectili, nitrato pulvere ejicitur in auras, Kohario primum Munkacsinum, post Unguarinum, denique Patakinum subterraneos in carceres traducto, e quibus duobus post annis, nempe superioris sæculi supra octogesimum quinto eductus est ad prodigium usque Regi fidelis Heros. Oppidum, dum tyrannidem obtineret Turca, a vicinorum Comitatum Nobilitate habitabatur, a qua ad insignem nitorem excultum intra montium saxosorum crepidinem suis finibus conclusam, habet percelebrem aquam, de qua ita Wehrnerus opusculo, quod inscripsit: De mirabilibus Hungariæ aquis: „ Ad „ arcem FILEK in Comitatu NEOGRADIENSI specus est, in qua su- „ perne destillans aqua continuo durefcit. Ibi vero videas, ceu statuas „ hominum, consistere saxa, ex hac destillatione concreta. Albus his co- „ lor est; nec per se tantum sunt alba, sed etiam coloris albicantis usum „ trita pictoribus præbent. „

§. VI.

De GATSO, ET LOSONTZINO, Oppidis & Castro.

GATSIUM, Slavis HALITSIUM castrum, retundo colli impositum, Gadi a meridiana solum plaga potest. Silvis, piscario lacu, novalium semente, pomæriis, ac subjectæ oræ situ amœnum est. Per conjecturam

nonneminis, ab Halitziis, Ruffiæ Rubræ populis, constructum fuisse creditur. Id vero majore quodam momento fulciri deberet. Hodiernas substructiones debet Sigismundo Comiti Forgachio, id quod appositum castrî portæ marmor condocet, sequentibus incisum verbis :

DEO OPTIMO MAXIMO ADJUTORE.

ANNO MDCXII.

DIRUTUM CASTRUM GACH EX FUNDAMENTO EREXIT, AC PRO DEFENSIONE PATRIÆ, FINITIMO IN LOCO, CONTRA TURCAS ISTO, COMES SIGISMUNDUS FORGACH, DE GHYMES, SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE MAJESTATIS MATHIÆ II. DEI GRATIA IMPERATORIS ROMANORUM, ET HUNGARIÆ REGIS, JUDEX CURIÆ, CONSILIARIUS, SUPERIORIS REGNI HUNGARIÆ GENERALIS, AC COMITATUUM NEOGRADIENSIS, SÁROS, ET SZABOLTS COMES, CONSORTE SUA CHARISSIMA, CATHARINA PALFFY DE ERDÖD, LIBERIS: ADAMO, EVA, ET MARIA FRANCISCA, PROPITIO NUMINE VIVENTIBUS, CONSTRUXIT, ET MUNIVIT.

Sæculo superiore, quo tot munitissima Provinciæ NEOGRADIENSIS castra diruta sunt, GATSENSE unum permansit integrum, quodque mireris amplius, nullo, quod prodatur, ab hoste infessum. At Rakoczianna, ætatis nostræ factione, quum confugam Nobilitatem tutatum aliquamdiu esset, postea tamen ad Male-contentos declinavit, necessitate compulsum.

Reliquum est, ut de LOSONTZINO Oppido mentionem faciamus. Rusticationi opportunissimam occupat planitiem; quam justo intervallo semoti montes occupant. Filekinensium casus contulit haud minimum ad LOSONTZINENSIVM incrementa. Nam qui funestissimæ illi cladi superviventes erant, plerique omnes isthuc sedem transfelere. Editum in ejus campis est anno MCCCCLI. invidentiæ, ac perfidiæ documentum. Pugnam edixerat Gubernator Corvinus in Giscram, hominem facinorosissimum; quem ad labefactandam Joannis magnanimitatem, ne quando virtuti deesset livor, gratuitis copiis multi Optimatum adjuvabant. Stabant jam paratæ ad ineundum prælium acies; cum ex composito conjuratorum agmina, simulato metu, fugam arripiunt, desertumque Gubernatorem Bohemis opprimendum relinquunt. Cognita suorum perfidia Ducum ille maximus; terga vertere, cum pauculis suorum, coactus est; quem singularis

laris Numinis Providentia incolumem servavit, in proxima oppida elapsam. Insolentius erat privatorum facinus in ipsum oppidum LOSONTZIENSE anno MDCXXII. die III. Novembris attentatum, quod promerito vindicandum Comitiorum, tertio post anno celebratorum, placito fuit statutum. Ultra jam enumerata oppida, ac nonnullorum castrorum rudera plura alia visuntur; quin vici quoque sunt, raris naturæ donis ornati. Verum horum fusior descriptio volumina complura exigeret. Fors non ingratis synopsis amantium strictim pauca meminisse licet. Et VADKERTUM quidem, insigne ditionis Metropolitæ Strigonienfis oppidum, elegantissimi operis Templo, ac albis contacta laminis turri a postremo Primate, Emerico Eszterhazio, instructum, memorabile redditum est anno sæculi nostri X. insigni clade Rakocziarum; a qua nihil deinceps, stataria pugna, tentavit feditio illa. Sunt, qui commissum esse dicant hoc prælium in campis ROMHANYENSIBUS; quibus lubens assentior; attamen quia intra pomeria propemodum ipsa VAD-KERTI castra metatum, ex iisque contra Rakoczianas reliquias in ordinibus Cæsareum militem eductum fuisse exploratum est, oppido huic, non autem vico illi, cui assederant Rakocziarum, attribui pugnam illam audias. Alterum, quod huc referimus, oppidum, est NAGY-OROSZINUM, colonia Russorum, has in oras a Colomanno Rege adductorum, quorum esset muneris Regia portas custodire. VEREBELY deinde, & BANK vici sunt, ab aquis memorandi. Ille fontem habet, quem solea equi, quo vehebatur S. Stephanus, excussum ferunt. Piorum religio adjecit sacræ undæ Templum perelegans, assumptæ in cœlos Deiparæ sacra luce peregrinationibus frequentatum. BANK vero nulli cognitæ altitudinis lacum peramplum habet, qui nec ullis imbribus intumescere, nec ulla siccitate diminui, aut tempestate quavis in fluctus assurgere notatur.



CAPUT SEXTUM.

DE COMITATU HEVESIENSI.

§. I.

Fines, soli ingenium, Supremus Comes Comitatus HEVESIENSIS.



DE prænobili, remotiora per tempora, & Saturnia Hungariæ sæcula, nec infrequenti hodie oppido HEVES, appellatus est HEVESIENSIS Comitatus. Ambitur a septentrionibus Hontensi, & Neogradiensi; ab ortu amne Tibisco, ac ultra hunc Szabolchenfi; a meridie exteriori Szolnokienfi; ab occasu Pesthinenfi. Dividitur in superiorem; qui & magnus vocatur, ac inferiorem, minorem quoque dictum. Interluitur fluvio Zagyva, & pauculis minoribus; vastam per planitiem fertilis; pecoris, & frumenti dives; nec Baccho, qua septentrioni, & occasui solis objacet, inimicus. Comendatur eadem Regio a Quernis silvis, unum e præcipuis Hungariæ montibus, cui *Matræ* nomen, obumbrantibus. Teste Marfillio in Prodomo ad opus Danubiale, in Provincia HEVESIENSI non fecus, ac in viciniore Tibisco plaga aurum, natura sua præstantissimum, & colore maxime flavo, sive rutilo conspicuum, olim effodiebatur; verum temporis lapsu venæ aut penitus exhaustæ sunt, aut certe per hostium injuriam destructæ. Nam ætate nostra nusquam, quod quidem norim, ærariæ coluntur his in plagis. Unitur Comitatus HEVESIENSI EXTERIOR SZOLNOKIENSIS, eosdemque Magistratus habet. Suprema dignitate utrique felicissimæ huic Provinciæ semper præest idem, qui Divina moderatur Agriensis Antistes. Ornat hoc fastigium hodie suis meritis Excellentissimus, Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Franciscus e Comitibus Barkoczy de Szala, Perpetuus in Palocz, & Tavana, Episcopus Agriensis, Comitatum HEVES, & exterioris Szolnok unitorum Supremus, ac Perpetuus Comes, Tabulæ Septem-Viralis Assessor, ac S. C. R. M. Consiliarius Actualis Intimus.

§. II.

§. II.

De AGRIA, præcipua HEVESIENSIS Comitatus Civitate.

AGriani, Thraciæ populi, origine Pannonii, Rhodopen accolentes hasque in oras, nescio qua ætate, delati, AGRIAM condidisse, ac suum Urbi nomen dedisse scribuntur a Bonfinio. At verosimilius, ad mentem Istvánffii, a rivo, civitatem hanc interfecante, profluxisse illam appellationem existimes; quod minus explorata sint, quæ de illis urbis conditoribus narrantur. In primis erat S. Stephano Regi deliciis; a quo ædificiis excultam fuisse reperio anno X. supra millesimum cingebatur muris, quadrato e saxo constructis, quos fictile tectorium adversus aeris injurias protegabat. Jam partibus multis pervius aditus patet. Juris Episcopalis est, populoque bene frequens, ac decoris ædibus præstans. Earum præcipuæ, secundum Episcopium, ad insignem magnificentiam eductum ab solo perzelantissimum Antistitem, hodierni Decessorem, Gabrielem Erdödy, sunt Canonicorum, nonnullorum Nobilium, ac Civium. Ejusdem Præfulis opera sunt Horti, ferarum, Phasidumque vivaria, piscinæ, reliqua, quibus multum inclaruit AGRIA. Æmulatur magnificentiam Gabrielis Franciscus, jamque Tarkaniense suum Tusculum visendi operis æde adornavit. Laudem insuper habet AGRIA a vino, potissimum rubello, quod tenui cum rubore sit, ad valetudinem conferre fertur. Ejus latitudo respondet gradui 47. cum minutis 45. longitudo autem fere attingit gradum 43. Abest Buda XII., fere, totidem Cassovia milliaribus.

§. III.

De Episcopatu AGRIENSI, & Capitulo.

Designatos fuisse decem Episcopatus a S. Rege Stephano, intra fines Hungarici Regni erigendos, ac Metropolitæ Strigoniensi subjiendos, plerique consentiunt Chartuitio. In his fecisse numerum AGRIENSEM, non est, cur ambigam; quando loci istius incolatu delectatum fuisse Regem sanctissimum, extra controversiam est. Lazius de Republ. Rom. Lib. XII. Sect. III. Cap. XIV. opinatur: In ipsis Ecclesiæ Romanæ primordiis Episcopatum AGRIÆ floruisse. Eruit hanc opinionem e Decretis Cornelii

Papæ, qui passus est sub Decio. Qui Lazio fidem adhibent, restitutorem Sanctum Stephanum Episcopatus, non Auctorem ponant, oportet. Sacerdotium hoc amplissimum, quippe per Comitatus denis plures diffusum, sacrum esse Rex ille Apostolicus voluit D. Joanni Apostolo, cujus Basilica, Episcopale Palatium, ac ædes Canoniorum occupabant arcem, ad delicias, & pietatem præ, quam ad resistendum hosti comparatam. Vastitatem sacris primus isthic intulisse legitur Petrus Perénus, qui turres Templi demolitus est. Graviolem a Turca stragem accepit Basilica ipsa, cujus magnam partem in propugnaculum convertit, atque ex ingenti ejus mole vix unum alterumve facellum, contemeratum & illud, ac deturpatum, reliquum fecit. In horum parietinis anno sæculi hujus II. excreverunt tria lilia, multis aspectantibus, ac stupore defixis; quæ Episcopus ad se delata donariis redemit. Olim iis fuit ditatus latifundiis, ut centum aureum Nummum millia quot annis opulentum illud Christi patrimonium in Præfulis ærarium intulisse perhibeatur. Quare nihil mirum, quod in Tabulas relaturn est, ut, si Regii Principes quatuor forent, postremi, pro dignitate alendi, gratiam haberet Antistes Agriensis, qui est primus inter Suffraganeos Strigonienses. Archi-Diaconos hodie quoque denos habet. Hi vices Episcopi in visitandis Paræciis obeunt. Tres præterea sunt in sacro Canoniorum Collegio Præpositi: Cathedralis, sive major, qua dignitate nunc eminet Illustriis. ac Reverendis. D. Samuel Engelmayer Episcopus Biduanensis, Abbas una S. Jacobi Apostoli. Reliquorum duorum alter Sanctissimæ Deiparæ Virginis, alter Divi Petri Patrocinio gloriatur. Abundavit semper viris, doctrina, sanctitate, zelo clarissimis. Primum, tiara Agriensi redimitum, alii Buldum, alii, & vero propius, Catapranum ponunt, ad nonum, secundum decem Christiana sæcula, annum. Qui hunc in sede exceperunt, magnis plerique in utramque Rempublicam meritis enituerunt; digni, quorum binos ornaret Romana Purpura; denis plures ad Primatum Strigoniensem transferrentur; sacri Diadematis Custodiæ, ac ærario Regio præficerentur nonnulli; quin Pro-Regis quoque dignitatem obtineret unus. Fenyessy, Szegedy, Telekessy, Kisdý, Erdödy, in recenti sunt memoria, & immortalibus beneficiis suam suis nominibus Diocesim demeruerunt. De uno præpotente illo zelote Gabriele Erdödio (*Hatalmas Gabor* audiebat ab hæterodoxis ob everfas omnes eorum adversus Romana sacra molitiones) no-

tant

tant in ejus vitæ compendio Rhetores Caffovienses: Ejus incomparabili, ac irrequieto, animarum, cœlo asservandarum, studio, plura quadragenis Hæresi detracta esse Tempa, atque Catholicis reddita; ducentas, & eo amplius, constitutas Paræcias; bene numerosas Nobiles Familias in gremium Ecclesiæ repositas. Cætera, quantum fat est, prolixè expedita lege sis laudato libello complexa, nobis ad alia properantibus.

§. IV.

De Templis, & Asceteriis AGRIENSIBUS.

Everso Cathedrali arcis Templo, diu peregrinabatur suo cum Antistite Canonorum AGRIENSIIUM Collegium, commoratum primo Jazovix, tum Caffovix. Restituta Hungariæ pace, Stephanus Telekessius, Episcopus AGRIENSIS, Collegium sacrum suæ sedi restituit, atque a fundamentis Cathedrale Templum eduxit. Mors Pastorem optimum magno in molimine occupavit, utque tures, ac reliquum ornatum perficiendum. Successori Gabrieli relinqueret, fatali necessitate imperavit. Complevit, superavit adeo sancti Decessoris destinata Erdödus; Urbique suæ ad cæteros Religiosorum Ordines a sanctissima Trinitate, ac Misericordia nominatos adjecit. Eorundem Præfulum Telekessii, ajo, atque Erdödi in Ecclesiam, Patriamque pietate fundatum est junioris Cleri, ac Nobilis Juventutis Seminarium; a Georgio autem Foglár Juris Patrii Studium, postremorum Regni Comitiorum encomio celebratum. Adde his cætera Religiosorum Cænobia, Seraphici puta Patris Strictioris Observantiæ, & minores Fratres, vivo dum Magno illo Patriarcha AGRIA donatos intra annum sæculi XIII. decimum, ac vicesimum quintum, munificentia Antistitis, & Cleri AGRIENSIS; tum MARIÆ fervos, & JESU Socios. Destinat. his jam anno sæculi superioris nono & octogesimo Georgius Szécsénus, Archi-Præful Strigoniensis Collegium, Abbatiam tamen Schawnikensem in Scepusio nonnisi tertio post anno testamento transcripsit. Posuere jam ædem sacram, multo cultu decoram focii, nunquam moliuntur domicilium, in quo non incommode hospitentur ipsi, & frequenti studiosæ juventuti aperiant ludum. Supplet, quos jam numeravi, sacri Ordines Veterum DEO AGRIÆ famulantium, vices. Nam isthic superioribus sæculis Asceterium ad D. Michaëlis incolebant Prædicatores Divi Dominici Filii; ad S. Nicolai

Eremitæ S. Augustini; ad S. Mariæ Magdalenæ Ordinem S. Pauli I. Eremitæ profecti, a Nicolao loci Præfule anno MCCCXLVII. AGRIAM inducti; denique haud procul ab urbe in valle, quam vocant, AUXILII, Carthusiani, quorum Cœnobii rudera etiamnum observantur.

§. V.

De Castro AGRIENSI, potissimumque bellicis ejus vicibus.

TENUES fuisse AGRIENSIS castrum munitiones ad ætatem usque Joannis Regis, quo, hanc Regni portionem, obtinente, illud Petrus Perénius obruit, jam supra innui. Idem Perénius, ut suis, Zapoliique rebus confuleret, arcem utcunque propugnaculis instruxit. Locuples rei hujus testis est Istvánffius Lib. XVIII. Histor. ubi & situm arcis, & ejus compendia, cum primis autem celeberrimam illam, Dobone Præfecto, propugnationem scitissime describit. Adduxerat ad eam opprimendam LX. millia Achometis, & Alis, occupato, facili labore, Szolnoko, insolentes. Duobus præfidiariorum millibus cum plures non numeraret Dobó Præfectus, insigni bellica virtute effecit, ut post XIII. assultus validissimos, convulsa, moenia, amissam angularem turrim, gravissimum a proditore, ac incenso pyrio pulvere depulsum periculum, arcem denique fervaret, ingenti clade in barbaris edita. Enituit per eam occasionem Fæminarum quoque AGRIENSIUM non imbellis virtus, exterorum etiam Scriptorum encomiis celebrata. Repetiit rabiem suam barbarus anno ejusdem sæculi XCVI. qua etiam AGRIA potitus est, non ante secuti sæculi LXXXVII. a Christianis summo labore reddenda. Simile prodigii est, quod de duplici hac Turcarum obsidione authentico depromptum ex authographo narrat Timon. Nam dum priore illa impressione barbarorum cingeretur, quidam Musulmanus Sacerdos a fatifcente laboribus milite rogatus: num quid superesset spei potiundi castro? pro responso accepit: Actum esse de occupanda arce, quod dum meditabundo similis circumiret obsessorum valla, Mater cum Filio a Christianis in auxilium vocaretur. Altera oppugnatione indagare jussus eadem, certos esse de expugnanda munitione jussit barbaros, quod solum in vota sua vocarent Christiani filium, infecta jam hæ-

refi-

resibus AGRIA, & Sanctorum invocationem perosa. Vicinia non minus AGRIAE maduit sanguine humano. Enimvero declinante in annum nonagesimum sæculo XIV. Sigismundus Rakoczius cecidit XXV. Turcarum millia ; sed qui vicem Christianis haud procul ab oppido Keresztes reddidere, Duce ipso Mahomete III.

§. VI.

De Oppido GYÖNGYÖSINO.

PRimas, secundum Episcopalem Agriae civitatem, in celebrioribus HEVESIENSIS Comitatus locis obtinet GYÖNGYÖSINUM, non ab aliquo rivo GYÖNGYÖS, Latinis gemmeo (nullus enim eo compellatur nomine, etsi quinque amniculis irrigetur hoc oppidum) sed potius a quernis baccis, coquendo visco idoneis, dictum; quibus abundasse hunc locum, antequam cum infedisset oppidum, tradunt majores. Floret hic speciali quadam prerogativa Religio Catholica, & probatissimi veterum Hungarorum mores. Non tam Domus civium, quæ humiles sunt, quam quatuor sacrae ædes oppido conciliant ornatum. Earum Princeps, & Paræcialis insignitur patrocinio S. Bartholomæi, aris admodum una & vicenis instructa. In hac rem Divinam pro commodo populi, cum primisque studiosæ juventutis, faciunt etiam Patres S. J. cum illis attributum sit Templum S. Urbani. Tertia sacra ædes est D. Elifabethæ, quarta assumptæ in coelos Deiparæ. Erexit hanc magna gens Bathoriana, una cum annexo Reformatorem Seraphici Patris Filiorum Conventu, omnium Hungaricorum amplissimo, in quo ad Religiosam vitam formantur tirones. Sociorum JESU tenuis Domus hodie est, a frequenti tamen Gymnasio multum commendata. Cupiebat Petrus Cardinalis Pazmanus Religiosam hanc familiam GYÖNGYÖSINO dare; sed antevertit hoc beneficium Joan. Piber, Agriensis Antistes anno MDCXXXIII. quem in dignitate, ac fovendis sociis excepit Emericus Lofi; quin tamen aliquo perenni censu dotarentur, antequam Lipius Archi-Episcopatu Strigoniensi potiretur; is enim Scholarum Moderatoribus, Stephanus vero Comes Koharius reliquis, qui populum DEI verbo, ac cæteris sacris functionibus imbuerent, dotem dedit.

§. VII.

De Oppido HATVANO, cæterisque Comitatus HEVESIENSIS memorabilibus locis.

IN confinio Provinciæ HEVESIENSIS, ubi cum Pesthinenfi & Neogra-
denfi concurrit, appositum est ad Zagyvam amnem oppidum HAT-
VANUM, Patrum Capucinatorum Cænobio, Præpositura, quam obtinet
loci Parochus Andreas Mafzár; & valido quondam castro memorandum.
Æquali fere, majorum sex milliarium, intervallo abest Pesthino, Agria-
que, atque idcirco direptionibus per sæpe barbarorum attritum est. Plu-
rimum fecit negotii Maximiliano, dum illud Arslanes tutaretur anno
MDXCVI. Hortatu enim Phatimæ Matris, ingenii virilis foeminæ, nul-
lam dedendi castris cogitationem admisit, impressiones nostrorum animose
restitit, assilientesque non sine clade in castra, multis & ipsa tormentorum
pilis vexata, redire compulit. Dum utrinque obligantur læsorum vulnera,
Arcem, Turcas, & Arslanem perdidit imprudentia præsidii, desertis sta-
tionibus corpora curantis. Colligebant forte duo nostri gregarii farmenta,
ipsas inter propugnaculorum ruinas; cumque castrum milite vacuum ob-
servarent, advocatis mira celeritate Sociis ante in arcem eluctati sunt, quam
a barbaris, in domos dilapsis, observarentur. Non sibi defuit Arslanes,
eo in periculo deprehensus; armatus in arenam prodit, socios animat, pu-
gnam orditur, sed qua non eiceret nostros, verum obstinatione barbara,
ne cui parceret victor Christianus, irritaret. Ita tunc in nostrorum venit
potestatem HATVANUM; cujus reliquas belli vices lege sis in Istvánffia-
na, & Kaziana Regni Hungariæ Historia. Dominum hodie veneratur Ex-
cellentissimum D. Comitem Antonium Grassalkovics de Gyarak, dum hoc
folium scribimus, Ærario Pofonienfi præpositum. Ager oppidi hujus, si
quis alius, pecori saluberrimus est. Equos sane pasuum herile nihilo de-
teriores Neapolitanis educat. Cætera castra, quæ Comitatum hunc orna-
bant, per Turcam desolata, aut vetustate collapsa sunt. Celebrantur BE-
NÆA, SIROKIENSIS, ac SZARVAS-KÖIENSIS. In Castellis nume-
rum faciunt DETKENSE, ac ÖERSIENSE. Pagus APAT-FALVA,
& SAARI Abbatias habent; SAARI adhæc rivulum, qui, quoties alio
derivatur, pristinum semper alveum repetere fertur. In Cseleiensis vic-

pro-

proxime oppidum KERESZTES, commissum est inauspicato cum Turcicis Mahometis III. copiis prælium anno MDXCVI.

§. VIII.

De JAZYGIBUS, *verius* JASSIIS.

NOn contemnenda Hungarici Regni portio, Jazygum (quos verius JASSIOS dixeris) est Regio, EXTERIOREM Comitatum SZOLNOKIENSEM, & HEVESIENSEM intercipiens. Protenditur ab oppido Hatvano intra Tibiscum, & Zagyvam amnem, ambitu non minima XII. milliaria æquans. *Jassus*, Familæ Princeps, cui, & Cunno (a quo Cumani) quidam Hungariæ Regum, teste Samuele Timon, amplam libertatem concessit. Vocantur JASSI, PHILISTHÆI quoque, quin congruam nominis originem, firma quadam ratione nixam, edicas. Non esse JAZYGUM Metanastarum reliquias, sed stirpem Hunnicam, pro comperto est. Libertates veteres his proxime præteritis annis, repræsentato ære, sibi afferuerunt iterum. Ætate, Corvini Regno superiore, supremi JAZYGUM (malunt hoc nomine præ JASSIIS dici) & Cumanorum Præfecti Comites dicebantur; a Corvino Capitaneorum dignitas prima illis est; qui Regni Pro-Rex, Cumanorum una Judex audit. Catholicæ Religionis admodum tenaces sunt, nec nisi unum suo in districtu hæreticum locum habent. Caput amplissimæ ditionis est JASZ-BERENYIUM, ingens ad Zagyvam oppidum. Plura huic memoratu digna insunt. Nam præter Parochiale Templum perelegans, Cœnobio Patrum Franciscanorum, ac Templo Sancti Salvatoris ornatur, a quo tota Religiosæ illius Familæ Provincia Salvatoriana sumpsit appellationem. Adhæc a biennio celebrari inusitata salubritatis fons occepit; quem facilis populi credulitas prodigiosum esse existimavit; donec errorem exemisset providentia Diœcesani. Asservatur denique hoc in oppido, inter antiquitatis monumenta, ac cimelia, cornu quoddam, ebori simillimum, dimidia ulna longius, quo ajunt Lehelem, unum e septem Hungarorum Ducibus, Conrado Imperatori vitam eripuisse. Istud vero relegandum ad fabulas cum esse, utpote folius Turoczii in Chronicis assertione nixum, plerique existiment; fatius dicendum videtur: famigeratissimum cornu illud ab eo JASSIIS relictum esse, qui post S. Stephani Regis tempora ob insignem belli navatam operam suis cum popularibus,

bus, suppres nobilitaribus prærogativas emeruit populo illi. Quis autem Heros ille? quis Regum beneficus? quod factum illustre, quave ætate gestum? nobis quidem in obscuro adhucdum est. Ad Belæ IV. Regnum referendum est, quod notat Sveffionense S. Medardi Chronicon ad annum MCCXL. Ibi: „ Quædam genera hominum, qui vocantur a quibusdam Tartarini, a quibusdam vero CUMANI, a quibusdam vero peritis „ creduntur esse Hismaelitæ, primi filii Ismaelis (quidsi nostri PHILISTHÆI CUMANORUM contribules?) quem habuit Abraham ex „ Agar ancilla sua, quos David vocat Agarenos, cum nimia multitudine, „ & incredibili equitum, & peditum, tam virorum, quam mulierum, „ Regna Bohemiæ, & Hungariæ, & Ducatum Poloniæ, & quasdam alias „ terras maximas, & optimas, in illis partibus fitas, ferro, & igne devastant. „ Reliqua. At enim ex his orbi notam illius temporis irruptionem Tartaricam, non item CUMANOS, JASSIOSque, Hungaria donatos, aut privilegiis auctos arguere fas est. Ut ad cornu redeamus iterum: multo quondam dives erat auro, quo jam spoliatum est. Incisa eidem perquam eleganter visitur una Divarum, Dianæ similis, cum sagitta, cervo, delubroque, cui, præter alias complures figuras, quæ gentilismum sapiunt, adjunctæ sunt ædes, Cænobii formam referentes. Id prorsus singulare cornu illud habere dicitur: quodsi quis auribus illud applicet, sonum percipiat, qualem edit examen apum. Secundum JASZ-BERENYIUM opulenta oppida, ac pagi JASSORUM sunt: AROK-SZALAS, FÉNSZARU, JÁKÓ-HALMA, MIHALYTELEK, GAL-SZENT-GYÖRGY, DÓSA, KISÉR, LADANY, APATI, ALSOSZENT-GYÖRGY. Singulis horum amplissimus, fertilisque ager est, nec ulla Cis-Tibiscanarum Regionum præ ista pecore abundat.

§. IX.

Denominatio, & fines Comitatus Exterioris SZOLNOK, ac Regio CUMANORUM.

SZOLNOKINUM oppidum impertit appellationem toti Provinciæ cognomini. Additur vox: EXTERIOR, ad discrimen faciendum inter hunc, *Mediocre*, & *Interiorem*, itidem SZOLNOKIENSEM Comitatum;

tum; quorum iste in Transylvania, *Medius*, vulgo *Mediocris* prope fines ejus Provinciæ diffunditur. EXTERIOR, de quo sermonem instituimus, occupat utramque Tibisci ripam, orientem solem versus adhærens Bihariensi; ab occidente Pesthinenfi, a meridie Bacsiensi; a septentrione HEVESIENSI; interceptus Jazygum Regione. Partem Provinciæ hujus implent CUMANI; quorum illi, qui *Minores* dicuntur, citeriorem, *Majores* ulteriorem Tibisci ripam accolunt, prædiis intra vicinorum Comitatum fines porrectis, atque adeo eorum ambitu hinc inde conclusis. Præcipua utrorumque loca sunt: KOLBÁSZ-SZEK (*sedes farcimimum*) KUN-HEGYES, MADARASZ, KUN-SZMARTON, UJ-SZALAS, JANOSHIDGYA, ubi Præposituram suam incolit Præmonstratensium Ordo, KUN-SZENT-MIKLOS, SZABAD-SZALAS, PHÜLEPP-SZALAS. Complexæ utrosque CUMANOS SZOLNOKIENSI Provinciæ objicitur ab ortu Bihariensis, & Torontaliensis; a meridie Csongradiensis, ac Bacsiensis; ab occidente Solthienfis, cum Pesthinenfi; a septentrione HEVESIENSIS Comitatus. Supremum Comitem, ac minores Magistratus eosdem habet, quos HEVESIENSIS.

§. X.

De Oppido, & Castro SZOLNOKINO, cæterisque Comitatus ejusdem locis.

NONO, & quadragesimo sæculi XVI. anno Comes Salmensis munivit SZOLNOKINUM, antea nudum munitione oppidum. Jacet inter Zagyvæ, Tibisque confluentem, habens a meridie altam, latamque fossam, arte factam, & aquis fluvialibus plenam.

Refert trianguli formam, totidemque propugnaculis, amplis illis, ac validis, e gleba, cespiteque, interjectis salicibus, constructis, atque ad eam altitudinem eductis, ut nec ipsa fastigia domorum extrinsecus conspici possint. Munitionem non attinet fusius describere; anno MDLII. quo in Achometis, & Eunuchi Alis potestatem, diffugiente ignavo præsidio per noctis tenebras, venit, ita comparatum adversus impressiones barbaras erat, ut, peritorum judicio, universo Turcarum exercitui resistendo fuisset, nisi animus præfidiarios, ante tentatam oppugnationem, defecisset, desertam-

que arcem, ac propugnatores vacuum die IV. Septembris barbaro insidentem reliquisset. Fortunam subinde castrum hoc eandem subiit, quam cætera per tempus illud calamitosissimum experta sunt, ut eam recoquere videatur operæ pretium non esse. Cætera SZOLNOKIENSIS Comitatus oppida, vici, castra, si quæ sunt, in meam conscientiam non pervenerunt, demptis THURO, & TISZA-VARSAN, quæ anno MCCCCXII. in Vigilia Nativitatis Virginis gloriosæ Princeps Georgius Despotus Regni Rasciæ, idemque Dominus Albanæ transfudit in consanguineum suum Paulum Birini de Verona. Dabimus literarii illius Documenti par nihilo immutatum, postquam, auspice DEO, ad Trans-Tibiscanas oras delabemur.

CAPUT SEPTIMUM.

DE COMITATU PESTHINENSI.

§. I.

Nomenclatio, Amplitudo, fines, fluvii, opportunitates, Supremus Comes Comitatus PESTHINENSIS.



PESTHUM, sive PESTHINUM, urbs Hungaricarum præcipuis accensenda, dedit appellationem Comitatus nominis ejusdem. Is a septentrione Neogradienfi; ab ortu Hevefienfi, ac exteriori Szolnokienfi; a meridie Bacfienfi; ab occasu Pilifienfi, Albenfi, & Solthienfi terminatur. Longitudine procurrit ad miliaria mensuræ nostratis facile XII. Latitudine nonnullis in locis octona, alibi vix ultra bina; hinc Danubio, inde Zagya, Tibiscoque coercitus, Haita, Tapioneque, ac Rakosio fluviis irriguus. Ambitum ejus arduum est definire, non solum quod vicinæ in eum Provinciæ inæquali sinu incurrant; sed amplius; quod non minimam ejus partem occupent Prædia Cumanorum. Qua septentrionem versus affurgit in montes, frequentioribus vicis colitur; ex adverso perraris, qua in meridiem deflectit; per immensum camporum æquor pinguem pecori herbam ministrans. Huc facere arbitrantur nonnulli eum Anonymi Belæ Regis Notarii in Historia
Du-

Ducum Hungariæ Cap. XIV. locum, quo refert petitionem Arpadi Ducis a Bulgarorum Principe flagitantis : „ Peto, inquit, ab ipſo Duce veſtro, „ ut mittat mihi gratia ipſius duas lagunculas plenas aqua Danubii, & unam „ ſarcinam de herbis Sabulorum *Olpar* (jam dicimus *Alpar*, extremum „ Provinciæ hujus intra meridiem, ac ortum pagum) ut poſſim probare, „ ſi ſint dulciores herbæ Sabulorum *Olpar* herbis Scythicarum, & Dentu- „ moger, & aquæ Danubii, ſi ſint meliores aquis Thanaidis. „ Ita jam ætate illa præſtare paſcua regionis hujus reliquis credebantur, ut in experi- mentum de felicitate ſoli capiendum expeterentur. Supremi Comitatus dignitate PESTHINENSI, Pilifiſenſi, & Solthienſi, unitis Provinciis, in quatuor Proceſſus Vaczienſem, Pilifiſenſem, Solthienſem, & Kecskemethienſem diremptis, idem præeſt, qui Regno Palatinus.

§. II.

De Libera, Regiaque Civitate PESTHINENSI.

Solo diremptum amne Danubio ab Urbe Budenſi PESTHUM, Bonfinius ad Conditores *Peſtanos* milites refert. Multum cultiſſimo Scriptori deferat, qui huic opinioni, nulla, vel ad ſpeciem, idonea ratione ſultæ, adhæreſcat. Equidem Legiones hic Romanas ſtativa habuiſſe, ac ſæculis, Attilæ Regno ſuperioribus, municipium hoc loco Romanorum ſte- tiſſe, atque Tranſacincum, Tranſaquincumve appellatum fuiſſe, ajunt non pauci, qui præfertim Acinco veteri Budam reſpondere contendunt; at qui *Pæſto* Italiæ Civitate, huc deduxerint colonias milites, me nunquam legiſſe memini, nec multum, opinor, a me diſcedunt alii. Ad Jazygum perinde Metanaſtarum ſermonem, quo *Puſt*, deſertum vocitant, applicare me non auſim; tum ne pleraque omnia Slavicis originibus cogar affirmare; tum quod ab everſo Trans-Acinco Slavos PESTHUM habitafſe, aut condidiſſe, ut eorum de idiomate diceretur, non habeam, unde aſſeverem. Quidquid ejus ſit; poſt conſtitutum Hungariæ Regnum, illuſtriores inter ejus urbes ſemper habitum eſt PESTHINUM, etſi innumeris converſionibus, cladibus, ruinis, potiſſimum quod Budæ vicinum ſit, pateret, nunquam mitiorem illa Metropoli fortunam naſtum; cujus rationes jam non inimus. Ætate noſtra floret mercatu, ædificiis, ſupremo Juris-dicendi Tribunali, opibus, populi frequentia, ac orthodoxa religione. Afferuit

hanc pietas Leopoldi M. qui, dum urbem hanc veteribus redonaret juribus, benefico Diplomati suo sequentia quoque inseruit: „ Hoc per expressum „ declarato, ut nemo a vera, orthodoxa, Romano-Catholica religione alie- „ nus in concivem ullo sub prætextu admittatur, aut toleretur. „ In profanis ædibus, cum nitidæ bene multæ sint, plurimum eminet Nosodochium militum, viribus deficientium, ac Regiam Caroli VI. Conditoris Magnificentiam ostentat. Ultra Regales expensas, in molem, amplitudine vix ulli Europæarum secundam, augustam illam, ac pernitidam, collatæ sunt ingentes Szécsénii, & Kollonitii Strigonensium Præfulum, & plurium aliorum minores symbolæ, summam facile quingentorum millium Rhenanorum æquantes; quorum fœnus ne deesset in commoda instituti longe saluberrimi, quos Leopoldus M. in pignus dederat ordini Teutonico Cumanorum, Jazygumque *Districtus*, post repræsentatum æs illud grande ex Ærario Regio; aliquamdiu hos in usus conferebant præstimonia, quorum loco addixit Maria Augusta redditus publicos, posteaquam veteribus prærogativis restituit Jazyges, Cumanosque. Intra ambitum molis vastissimæ perelegans aditur Templum; cujus ara princeps medium, minores latera occupant. Faciunt hic Divina MARIÆ Servi, a Szecsénio Primate propter Nosodochium fundati. Inest Pharmacopœa quoque officina, & Fratrum Misericordiæ, qui eam procurant, Cænobium. Præter geminos hosce Religiosos Ordines alit PESTHUM Piarum Scholarum, Franciscanos, Dominicanos, Paulinosque Patres, ac Socias D. Claræ Sanctimoniales, Buda huc ætate nostra deductas; quæ addunt hac ætate, Odæo suo splendendam turrim; de reliquo ad exemplum Legislatricis suæ anguste habitantes, tenuiter victitantes. Viri, quos nominavi, religiosi, nitidis donati sunt Asceteriis, ac Templis; soli Fratres a Misericordia, & Patres a Piis Scholis nuncupati, sacris ædibus adhuc destituti sunt; illis in militaris Nosodochii Fano, his in Paræciali, amplo, magnificoque Divina obeuntibus. De Conventus Prædicatorum primis Fundatoribus duas reperio sententias: Ferrarius Michaellem de Bessenye, ejus uxorem Anastasiam, & Gregorium filium, ac Blasium de Kenderes fuisse conditorem literis commisit; Timon in MS. Michaellem Perenyium; ac, ne reparatorem quis putet alterutrum horum, uterque Scriptor eandem attribuit ætatem, puta annum circiter MCCXXX. Existimo, a Perenyio Templum, a Bessenyeis Cænobium

con-

construatum esse. Amplitudinem Asceterii inde metiaris, quod in eo non solum generalia Comitata Ordinis celebrata sint anno MCCLXXIII; sed Conventum quoque Regni egerit anno MCCCVIII. Dominicus Gentilis Tituli S. Martini, in Montibus Presbyter Cardinalis, in quo diris devotos fuisse utriusque Reipubl. Proceres, qui Carolum I. ab Hungariæ throno exclusum volebant, auctor est Bonfinius. Post depulsam Turcarum tyrannidem ad minorem, justam tamen, amplitudinem assurrexit Religiosa cum templo Domus, munificentia Michaelis Dvornikovics, Episcopi Vacziensis, ad sacrum hoc opus prodigio animati. Quum enim hæretet ambiguus: cui potissimum Religiosæ Familiæ poneret Domicilium, aspectabilis factus illi est vir, S. Dominici habitu amictus, Præfulique dubium exemit.

§. III.

De Campo RAKOS, & Curia Regia, PESTHINI constituta.

Campus ille, qui diffunditur a pomariis PESTHINIENSIBUS ortum versus RAKOS (*Cancerarius*) dicitur ab interluente rivo, Cancrorum altore. De eo in Epithome Rerum Hungar. ita scribit Petrus Ranzanus: „Eo est is locus apud universos Hungaros fama inclytus, quod in „ejus agro eligi Reges Hungariæ consueverunt. Quo enim tempore eli- „gunt sibi Regem, fieri solet toties Regni, & Optimatum, & Capitum „populorum Conventus adeo frequens, ut numerus convenientium sæpe ex- „cedat summam octoginta millium armatorum hominum, quorum pars „maxima equis vehuntur, &, quod est admiratione dignum, nihil ulli „deest, quod ad victum abunde pertineat. „Hæc Scriptor exterus. Priora, in quibus e stapede dixissent suffragia Majores nostri, in Campo RAKOS Comitata, non reperio illis, quæ coacta erant ad electionem Caroli I. anno MCCCVIII. His quæ successerint alia, non attinet dicere. Patrius mos ille, sanctissimus habitus est, ad annum MDXXVI. quo habita sunt a Ludovico II. ad sumenda arma, reprimendumque Solymannum; ea expeditione nihil Hungariæ luictuosius evenisse, novit orbis. Subinde in Urbes immigravere Optimates, dum in medium consulendum erat, aut scribendæ leges, e quarum placito suum cuique Tribunalia decernerent. Hæc

inter alia dicimus Pedanea, alia Provincialia, demum Curialia. Princeps, summus litium diribitor est; secundus ab hoc Palatinus; tum Judex Regiæ Curiaë, aut Gubernator, vel Banus alicujus Regionis; post Sedes Judiciariæ Comitatum, ad quas a Pedaneis Judicibus, puta, pro diversitate causarum, Judice Nobilium, aut Vice-Comite fit appellatio. Hi idcirco vocantur Pedanei, quod ad pedes, id est sub præsidio Supremorum Comitum exercent judicia. Priores terni, puta Rex, Palatinus, Judex Curiaë Regiæ, vocantur etiam Judices Ordinarii; quibus accedit Personalis Præsentia Regia, sive Summus Cancellarius, quod munus Archi-Episcopis Strigoniensibus proprium esse jussit Sigismundus Rex anno MCCCLXXXIII. Habet hic Metropolitæ suum in Judiciis Locumtenentem, qui pariter Judicis Ordinarii dignitate eminet; cumque semper e Nobilitate (cui in publicis Comitibus, ac Tabula Regia Judiciaria præsidet) legatur; ipsa sui ad munus hoc assumptione Baronatu donatur; prout recens factum gratulatur Hungaria Illustrissimo Domino Georgio L. B. Fekete, de Galantha, omnium-dotium, ac numerorum Viro. Additur Palatino suus, suus item Judici Curiaë Vicarius, ac Proto-Notarii singulis singuli, Personalis autem Præsentia in Judiciis Locumtenenti (quem communiter Personalem dicimus) bini. Quatuor isti *Priştaldi* (sic eos Colomannus vocat) cum duobus Prælatiis, totidem Baronibus, Vice-Palatino, ac Vice-Judice Curiaë, Regiarum Causarum Directore, quatuor Regiis, duobus Archi-Episcopi Strigoniensis (a quo nominantur) Assessoribus, Præsidente, quod aiebam, Personali, Regiam Judiciariam Tabulam conficiunt. Uno plures, nempe undeviginti, Tabulæ Septem-Virali affident, quod Tribunal, in Jure dicundo Supremum, appellationem ad aliud nullam admittit. Præses semper est aliquis e Regni Baronibus; quare si Palatinum, ac una Judicem Curiaë contingat impediri, ut ferri sententia legitime possit, suffici unum Regio Diplomate est necesse.

§. IV.

De Oppido, & Episcopatu VACZIENSI.

Bonfinii, Inchofferi, Turoczii, ac recentiorum Scriptorum receptissima est opinio, a *Vaczio*, de gente Hetheia Eremicola, hanc oram incolente, quique S. Ladislao, ac ejus fratri Geyzæ I. de Salomone victoriam, ac Regnum sit vaticinatus, VACZIENSI Civitati nomen adhæsisse, ac pri-

primum post nonnulla cœli prodigia silvas isthic excisas, urbem & Episcopium conditum esse. Quo pondus his adjiciant, ajunt: ante annum MLXXV. nullius Episcoporum VACZIENSIIUM subscriptum Diplomatibus nomen legi. Multo plus in rem suam dicerent, si vel decem Episcopia, quæ cum exortu Hungarici Regni nata esse jam didicimus, Regum Diplomatibus inserta detegerent. Istud vero non ante se præstituros sperare possunt, quam edocuerint: omnium Antistitum, etsi Curiam non sequerentur, primis illis temporibus, quæ Geyzæ Regnum antecesserunt, consignari Diplomatibus Nomina, in usu fuisse. Quare in Otrokocsi, Timonisque concedo sententiam, existimoque: longe ante ætatem Geyzæ VACZIUM habitam fuisse, Episcopatumque isthic ab ipso S. Stephano constitutum, etsi a Geyza augeri, & ipso Cathedrali Templo ornari potuerit. Certe Diœcesis tam accomoda serie porrigitur, ut dubitationi locum non faciat: a primo Episcopatum metatore digestam esse. Nam Pazmano teste in Appendice I. Synodi suæ Tyrnaviensis partem Neogradensis Provinciæ, totam PESTHINENSEM, Exteriorem Szolnokiensem, ac Csongradiensem complectitur; quam Hungariæ portionem aliquando alteri Diœcesi co hæsisse, nullo proditur indicio. Si quibus ad manum est Bulla Gregorii Papæ VII. qua fertur confirmasse Episcopatum VACZIENSEM, ex ea, haud dubie, elici potest; exordiane, an incrementa referenda sint ad Geyzam. Quidquid eorum erat, abiit non semel in rudera, Tartaricis, Turcicisque impressioibus, ac Civilibus bellis; ut, quantum hodie est, suis se debeat Antistitibus VACZIUM. Non patitur propositi nostri ratio, singulorum gloriosis facinoribus immorari. Magnanimitatis, sapientiæ, rerum gerendarum peritiæ, pastoralis curæ, ad ipsa Martyrii confinia (exilium) productæ, sanctitatis, cæterarumque virtutum exempla omnibus retro sæculis hac in sede fixisse Domicilium norunt ii, qui curiosius in Religione, Patriæque rebus sunt versati. Recentior viget memoria Emerici e Comitibus Eszterháziis, qui hac sub tiara rudimentum sæcurarum dignitatum posuit; Sigismundi Kollonitsii, Purpurati Viennensium Archi-Præfulis, qui PP. Piarum Scholarum VACZIUM induxit; Michaelis Dvornikovics, cujus munificentia prodigio (quod in descriptione civitatis PESTHINENSIS meminimus) promotæ monumentum est Cœnobium Ordinis Prædicatorum; Michaelis Friderici e Comitibus ab Althan, a memorabili Zelo Christiano

orbi

orbi notissimi, ac hodieum superstitis in Michaelæ Carolo S. R. I. Comite ab Althan, L. B. in Goldberg, & Muhrstetten, SS. D. N. Papæ Prælato Domestico, ac Pontificii Solii Episcopo Assistente, Archi-Diacono Oppelensi, Canonico Wratislaviensi, atque Abbate S. Mauri Galliopolis, J. U. & SS. Theologiæ Doctore, S. C. R. M. actuali intimo, & ejusdem Consilii Locumtenentialis Consiliario, nec non Equite Magnæ Crucis, ac Bajulivo insignis Ordinis Melitensis S. Joannis Hierosolymitani, sibi non sanguine magis, quam virtutibus conjuncto sapientia, Religione, publici boni studio, morum gravitate summo. A doctrina, secundum alios, commendatur Stephanus Brodericus, Mohatsiensis cladis Scriptor scitissimus, a Ludovico II. ad Papam Clementem VIII. pro exorandis subsidiis, infelici illi bello necessariis, ablegatus; cujus tumulum Nicolaus Olahus hac ornavit inscriptione:

*Hic jacet inclusus gelida Brodericus in urna,
Cui decus, & nomen pulchra Corona dedit.
Pæbus in æthereo donec clarescet Olympo,
Dum tenebras densas Cynthia clara fugat;
Semper erit Stephani Virtus, doctrina perennis;
Sancta fides, probitas, & pietatis amor.
Pontificis vixit sacro decoratus bonore,
Cujus in officio sedulus usque fuit.
O felix! claros Patriæ qui vidit honores!
Illius ast cladem cernere non voluit.
Dum nullam potuit nostris adbibere medelam
Hisce malis, subito migrat ad astra Poli.*

Conferunt ad ornatum Episcopalis civitatis VACZOVIE (nam & hoc sæpe nomine venit) ultra bina, a Præsulibus condita Cænobia, Cathedralique Basilicam, Regiæ illius ruinis superstructam, tum grande Monasterium Patrum Franciscanorum, propter ipsam Danubii ripam cum Templo positum pia largitate Stephani Koharii, Regiæ Judicis Curia præstantissimi; tum Episcopalis, & Canonicorum, quin civium quoque non paucæ fat cultæ ædes.

§. V.

De cæteris Comitatus PESTHINENSIS memorabilibus Oppidis, ac Vicis.

TRia, quæ campestria vocant Hungari, complectitur Comitatus PESTHINENSIS oppida : CZIGLED, KÖRÖS, & KETSKEMÉT. Postremum hoc terminat Provinciam meridiem versus, PESTHINO in Brumalem orientem decem milliaribus remotum, patentissimis campis late circumfusum. *Ægopolim* (Caprarum urbem) illud appellant, qui Hungarico e sermone Græcicum nomen procudunt. Nam quod Latinis Capra, ægon Græcis, Hungaris est Ketske. Olim eodem in loco, quem KETSKEMETUM occupat, stetit *Partiscum*, Metropolim Jazygum Metanastarum, aliqui ex eruditis autumant; quamvis nihil admodum proferunt, quo suam hanc fulciant opinionem. Frequens oppidum est populo, a mercatu celebre, pecore dives. Alit PP. Piarum Scholarum, & Franciscanos, utrosque Stephani C. Kohárii munificentia fundatos; quorum illi & Gymnasium Juventuti aperiunt, & Catholicos curis Parochiarum complectuntur. KETSKEMETO septentrionalem ad plagam duobus abscedit milliaribus KÖRÖSINUM, a vino, præ frumento laudatum oppidum. Latissime protensos serit agros, verum sabulosos, ac proinde minus opimam colono messem reddentes. Restat CZIGLEDUM, enatum e reliquiis exercitus Hunnici oppidum, quos ad Sicambriam (jam veterem Budam) Theodoricus profligarat. Ex his (verba Olahi sunt) „ tria „ millia, eadem elapsa, in campo Czedléd, ubi nunc oppidum est ejus nominis, confedere. Hi metuentes Detrici (Theodoricum scribunt alii) & „ aliorum Germanorum potentiam, in eam Daciæ partem, quæ nostra „ hac tempestate Transylvania, sive septem castra (a septem Ducibus Hunnicis, qui in secundo egressu Hunnorum in Pannoniam castra sua eo loci „ fixerant) denominantur, celeri itinere appulere; qui ut facilius persuaderent, se non esse Hunnorum reliquias, mutato nomine Hunnico, se „ Siculos denominarunt. „ Inauspicatum Nobilitati Hungaræ factum est CZIGLEDI nomen bello rustico, quo famosus ille Georgius Sículus impie abuti non dubitavit viribus, adversum Saracenos comparatis, in perniciem Patriæ, usus administro, incentore adeo barbarorum suorum ausum, Lau-

rentio CZIGLEDI Curione, de quo redibit infra dicendi locus. In vicis præcipui sunt, quibus veterum castrorum, Templorumve ruinæ, aut novarum molium substructiones memoriam faciunt. HARASZTUM Marfillius Transaquinco, Romanorum castro, respondere existimat, quod in adverfa Danubii ripa, binis infra Pesthinum milliaribus, in occidentalioris brachii Danubii ripa reperiantur adhuc vestigia vallorum, Aquinco (ut ille quidem opinatur) prætenforum. OLTSA Templo gloriatur, structuræ Basilicæ, quod accolæ Georgio, Serviorum Dynastæ, acceptum ferunt. ASZODUM insigni Podmaniczkiurum Castello decoratur. GÖDÖLÖIENSIS denique vicus Excellentissimi, ac Illustrissimi D. Comitibus Antonii Graffalkovics, nuperrime Regio Pofoniensi Ærario Præfecti, nobile hæredium, hortis, ferarum, Phasidumque vivariis, Castello, Hippodromo, ac novi operis Templo paratissime excultum, in primis Hungariæ habetur. Quidquid toto in opere in oculos incurrit, magnificentum Heri genium, atque subactum ejusdem prodit iudicium, in deligendis Architecto ideis. Frons totius molis orientem solem aspicit. Decumanæ Portæ columnis subnixæ marmoreis superiore in solario cænaculum imminet grande, plastices excultum artificiis, undique amœnum. Ex hoc utrinque adeuntur conclavia, recessus, hypocausta, non minus commode digesta, quam ad sæculi nostri elegantiam superbe instructa. Primas obtinet, quod Augustam, cui paratum est, exhibet in Icone. Nihil hic, quod hospite Majestate illa minus dignum, inconcinnumve fit, vel curiosior crito deprehendat. Sellæ, stragulaque rigent auratis fimbriis; portarum apsidēs politissimo succollantur marmore; lemnisci, concamerationes, parietum adeo coronides (ubi artis leges patiuntur) auro, in folia ducto, largissime vestiuntur. A præcipui hujus Tractus angulis porriguntur duo alii occidentem versus, intercepti patente area; ultra quam confitus ad regulam hortus procurrit, a meridie coercitus Hippodromo, sane in paucis spectando; a septentrione amplo, pulcherrimo, quatuorque cupulis, nusquam nostris in regionibus visa majestate, augusto Templo. Sex angulos nobilissimæ ædis, ac medium frontis coronant turres totidem, albis tectæ laminis, a quibus externo operi mirus decor accedit. Cadit sub aspectum molis pulcherrimæ, qua orienti objicitur, recens conferi cæptus hortorum alter, modicisque interjectis novalibus, vivaria Phasidum, & ferarum. Paucis: Vix quiquam cogites, quod

quod ad oblectandos animos hoc in secessu, Charitumque sede, desideret ille sæculi nostri Phoenix.

§. VI.

De Insula CSEPELIA.

Illa trium Comitatum, PETHINENSIS, Pilisiensis, & Solthiensis conjunctio, qua iisdem Magistratibus, ærarii præsertim Præfecto generali, parent, facit, ut ipsi Provinciarum istarum limites a plerisque ignorentur, Insulaque, de qua loqui cæpimus, omnibus se insinuans ex æquo, ad omnes earum a diversis pertinere existimetur. Id nobis persuasit, ut hanc, olim Reginarum villam, ac nuptiarum titulo dari solitam novis Regum nuptis, Ditionem isto loco describendam putaremus, etsi reapse Pilisiensis Comitatus sit portio. Unde nomen traxerit Insula, declarat Anonymus Belæ Regis Notarius in Historia Regum Hungariæ Cap. XLIV. in hæc verba : „ Statim Dux Arpad, conductis artificibus præcepit facere egregias „ Domos Ducales, & omnes equos suos, longitudine dierum fatigatos, „ ibi introductos pascere præcepit, & agasonibus suis Magistrum præfecit „ quendam Cumanum, Virum prudentissimum, nomine SEPEL; & „ propter SEPEL Magistrum agasonum inibi morantem, vocata est In- „ sula illa SEPEL usque ad hodiernum diem. „ Extenditur hodie in lon- „ gum justis quinque milliariis, in latum uno, ut plurimum, cum ætate, Olahi alterum fere tantum occuparet, nata sesqui milliario infra PESTHUM. Quæ in brachiis, Insulam hanc magnam ambientibus, minores nascuntur, tres & viginti numerantur; earum pleræque Pomariis consistunt, aviumque, & ferarum divites. Juvat rem Olahi, Scriptoris Celsissimi, verbis dare : „ Hæc (intellige CSEPELIA Insula) cum Aula, „ quæ ibi extracta est, ac Oppidis Csepel, Thekel, S. Martino, Kevy, „ quod Rasciani incolunt, ac nonnullis aliis pagis, Reginæ Hungariæ est, „ jure donationis propter nuptias. Avibus, Phasianis, perdicibus, turdis, „ gallinis silvestribus, ac aliis, diversi generis aviculis, cervis, apris, da- „ mis, leporibus abundantissima. Adhæc silvis, nemoribus, vineis, pa- „ scuis, frumento, & aliis, ad usum mortalium necessariis, leguminibus „ adeo insignis, ut nihil, quod sive ad necessitatem victus, sive ad volu- „ ptatem pertineat, huic deesse videatur. Quæ sola, & Ludovico II. Regi,


„ & Mariæ Reginae, Principibus meis, tam in venationibus, & aucupiiis,
 „ quam aliis rebus animum recreantibus, dum aliquando ab aliis absoluti
 „ grandioribus negotiis animi gratia eo divertere, magnum, amœnumque
 „ præbuit oblectamentum. Hæc longa est in meridiem novem milliarium,
 „ lata vero trium, aut quatuor. „ Detraxit amplitudini fluminis rapacita-
 tas, splendori barbarus; ut unum duntaxat Oppidum RACZ-KEVE
 (quo nomine sæpe totam cognominari Insulam audias) veteribus & illud
 multatum privilegiis supersit, cum vicis, ac prædiis circiter XIII. unoque
 Castello, sumptu Principis Eugenii Francisci a Sabaudia, in cujus ditione
 erat Insula, constructo.

CAPUT OCTAVUM.

DE COMITATU SOLTHENSI, ET BACHIENSI.

§. I.

*Denominatio, positus, fines, opportunitates, Supre-
 mus Comes Comitatus SOLTHENSIS.*



Oppidum SOLTH paulo supra medium Comitatus cognomi-
 nis, ad Danubium jacens, eidem appellationem imper-
 titiv. Multo, quam hodie, laxioribus spatiis Dynastia
 hæc procurrebat antea; amplam, quæ Albenfis sedis est ho-
 die, Regionem trans-Danubium complexa. Clauditur jam, qua respicit
 occasum, Danubio, secundo quo Comitatus Albenfis, & Tolnenfis per ad-
 versam ripam sparguntur; qua vero septentrioni objicitur, Pilifienfi, &
 Pesthinenfi; ab ortu Cumanos minores ejusdem Comitatus Pesthinenfis in-
 colas; a meridie Bacfiensem Comitatum pro limite habet. Longitudine
 fere XII. milliaria, latitudine tria ut plurimum; ubi autem Vadkertum a vi-
 co Lako semovetur, alterum fere tantum æquat. A vicini eluvionibus Da-
 nubii plurimum incommodi patitur, quibus sæpe optimæ messes uligine
 affiguntur novalibus, atque adeo suis cum radicibus evelluntur, ac vortici-
 bus hauriuntur, ut raro fertilissimi agri integrum colonus fructum ferat.

Nu-

Numerat vicos prope tricenos ; Oppidum, præter SOLTHENSE, unicum Pathay, quorum neutrum singulare quidpiam ad memoriam habet, tum Archi-Episcopalem Urbem Colocam, de qua mox. Supremo Comite, reliquisque Magistratibus iisdem gaudet, quibus Pesthinensis, ac Piliensis.

§. II.

De Archi - Episcopali Civitate COLOCA.

PRolixam de nomine, Conditoreque COLOCENSIS Urbis pertexit nonnemo litem, quin eam post sesquiphilyrale jurgium de medio educat. Veteri Romanorum municipio, *colosseas ad statuas* nuncupato, inædificatam COLOCAM putant nonnulli, seque tuentur Spartiani testimonio, in vita Antonini Pii apud Lazium dicentis : „ Nec diutius vixit; gra- „ vatus languore, ac diverso genere morborum; sæpe dicens: Sanum Prin- „ cipem mori debere, non debilem. *Statuas* sane Ælio Vero per totum „ Orbem *Colosseas* poni iussit. „ Concludit hinc: Verisimile igitur est, eo tempore, & hoc *statuarum* Municipium initia habuisse. Quam isthæc dubia sint, nemo non videt. Vero propius accedunt, mea quidem sententia, qui ad Coletinos populos, Savum inter, Dravumque colentes, isthuc, promotis Coloniis, transgressos, cum Bonfinio; aut, cum Lazio, ad COLOSSUM Comitem, Pannoniæ Præfectum, cujus fit apud Cassiodorum Lib. III. mentio, initia COLOCÆ referunt; cujus intererat, ad coercendos Metanastas præsidio adversam Provinciæ suæ ripam tenere; quemadmodum egisse Pisonem, excitando, muniendoque cognominem Urbem, plurimorum obtinet sententia, ut impressiones Quadorum a Carnunto, & cæteris Romanorum in Pannonia Municipiis coereret. Sit ita, dum certiora per amicum studio huic otium condiscamus. Fortunam quod attinet Urbis hujus, florentissima erat, dum Hungariam barbari contemerasent. At missa in potestatem Buda, quid COLOCÆ erat reliquum, quam ut & ipsa tyrannide sub Turcica squaleret? Constat, cinctam fuisse valido muro, instratam silice, magnificis Civium ædibus, cum primis vero elegantissimo Archi-Episcopio, ac Templo ad annum usque MDCII. quo ab Hajdonibus plurimum passa est. Rem ita narrat Istvánffius Lib. XXXIII. Hist. mihi pag. 512. „ Inde COLOCIAM, Archi-Episcopatus sede, & infi-

„gni Templo, ac duplici præaltarum turrium fastigio decoram, jamque
 „majori ex parte a Thracibus, & Turcis habitatam, injectis facibus suc-
 „censam concremarunt, ac maxima congesta præda in castra redierunt. „
 Subaudi Hajdones. Jacuit suo in busto civitas amplissima, dum barbarico
 premebatur jugo Buda; quo excusso, squalorem sensim detergere coepit,
 Leopoldi e Comitibus Kollonitsiis Archi-Præfulis sui auspiciis; majoribus
 aucta incrementis per Paulum Szechenium; maximis, adnitente Emerico
 Cardinali Csákyo, cui in deliciis hæc præcipua sua sedes erat. Redibit alte-
 ro post §. Purpurati hujus Ecclesiæ Principis paulo fusior mentio. Inter
 compendia præcipuum habetur, dives piscatus. De eo se fide dignis narra-
 tionibus didicisse in literas Olahus retulit: mille circiter lucios, carpiõibus
 mistos, qui longitudine palmum, non raro dimidiam ulnam superarint,
 uno aureo Nummo emi sua ætate isthic, ac in vicinia potuisse.

§. III.

Qua ætate COLOCA Metropolitanam in Sedem sit evecta?

ANno Christiano M. unicam Strigoniensem in Hungaria Metropolim
 a Sylvestro Papa II. confirmatam cum Episcopatibus aliis, atque hos
 inter COLOCENSI fuisse, dubitationi locum non relinquit Diploma genti
 nostræ perhonorificum, quod Lib. II. operis hujus retulimus. At qua ætate
 in Archi-Episcopalem evecta sit dignitatem COLOCA? quo item anno
 cum Bacsiensi Episcopatu unita? num Bacsiensis ullus Antistes jure Metro-
 politano eminuerit, COLOCENSI Sede ad pristinum Episcopatus gradum
 reposita? utrum denique Primus COLOCENSIS Episcopus, Africus,
 Archi-Episcopali honore donatus? ponitur in quæstione. Ne temere quid
 adstruxisse videar, suis membra singula firmabo momentis. Primum, quod
 ajo, est: Anastasium, Benedictinorum S. Montis Pannoniæ Abbatem,
 Stephanæ ad Sylvestrum Papam Legationis principem, COLOCEN-
 SEM primum Episcopum a Stephano Rege nominatum, a summo autem
 illo sacrorum Patre confirmatum, & paucos post annos Metropolitanam Stri-
 goniensem renunciatum fuisse, eaque decedentem priori suæ fedi dignitatem
 Archi-Episcopii intulisse. Hæc quomodo evenerint? persequitur luculenta

nar.

narratione Ludovicus Thamaffinus, Oratorii Gallicani Presbyter, absolutissimi sui operis quod scripsit de veteri, novaque Ecclesiæ Disciplina Tom. I. Lib. I. cap. XLV. num. VI. ejus verba sunt : „ Sebastianus, qui pri-
 „ mus Strigonienfis Archi-Episcopus ordinatus fuerat, aliquamdiu post ocu-
 „ lis orbatus, successorem habuit COLOCENSEM Episcopum, ita dis-
 „ pensante Papa. Quo rursus similiter dispensante, Sebastianus, triennio
 „ post receptis oculis, absterfoque civitatis morbo pristinae restitutus est se-
 „ di ; remigrante in suam quoque priorem Ecclesiam Episcopo COLO-
 „ CENSI una cum pallio, quo exornatus fuerat. Facile auguramur, ea
 „ occasione factum esse, ut & COLOCENSIS Ecclesia in Metropolim
 „ assurgeret. „ Nimirum ab usu Ecclesiæ alienum est, concessis ob insi-
 „ gnia (qualia erant Africi) merita honoribus exuere quenquam, quin fre-
 „ quentius nihil in more habet piissima illa Parens, atque ob illustre unius Pa-
 „ storis facinus collatas in merentem gratias Successoribus facere communes.
 „ Ita, ne longe discedam, emeritum a Calano Pallium, hodiedum obtinent
 „ Episcopi Quinque-Ecclesienses. Disertius favet nostræ huic opinationi Lu-
 „ dov. Du-Mesnil Tom. IV. Doctrinæ, & Disciplinæ Eccles. quæ reditum
 „ Africi Roma exceperint, enarrans : „ Stephanus, inquit, his insignibus
 „ acceptis - in Regem inungitur. - - Sebastianus Strigonienfis Episco-
 „ pus, paulo post oculorum lumen amisit. Stephanus Rex in ejus sedem
 „ Anastasium provehit; sed triennio post Sebastiano, qui visum receperat,
 „ sedem suam restituit Anastasius, contentus Ecclesia COLOCENSI;
 „ Pallii tamen usum, & prærogativas semper habuit. „ Nec refert, in
 „ insigni privilegio, Cœnobitis S. Martini anno MI. a Divo Stephano dato,
 „ cujus exordium est : *Credimus, & vere scimus*, solum Strigoniensem Ar-
 „ chi-Episcopum exprimi, Anastasium vero Abbatem, sine ulla alia dignita-
 „ te nominari. Nam hic Anastasius vel Successor esse poterat prioris, qui in
 „ Episcopalem sublimatus sedem Africus dictus est ; vel, si idem erat CO-
 „ LOCENSIS Episcopus, & una Montis Pannoniæ Abbas, dignitatis Epi-
 „ scopalis, & una Montis Pannoniæ Abbas, dignitatis Episcopalis mentio vi-
 „ debatur non necessaria, dum Diploma in folius Monasterii favorem edeba-
 „ tur ; Quemadmodum a Papa Sylvestro solum appellatur Episcopus CO-
 „ LOCENSIS, præterito munere Abbatis ; quod tamen gessisse creditur
 „ ab ipsis oppositæ sententiæ Patronis.

matis

matis ea tempestate inferebantur ; ut proinde non immerito existimare liceat, minus firmam adversum Africi Episcopalem, aut Archi-Episcopalem dignitatem hinc elici conjecturam, sãtque tuto Ladislai Turoczii rationem temporum sequi liceat, qua statuit : anno supra millesimum V. translatum esse Strigoniensem ad Metropolim Africum, ac tertio post eundem honorem COLOCENSI suæ fedi, bona Regis, ac Papæ gratia asseruisse.

Non perinde pronum est definire : qua ætate Archi-Episcopi COLOCENSIS curæ accesserit Bacsiensis Diœcesis. Timon recte habet, factum id esse ante annum MCLI. quod post hunc inter Episcoporum nomina nusquam reperiatur separatim nomen Bacsiensis, sed ea interdum formula, quamvis rarius ; COLOCENSIS, & *Bacsiensis Ecclesiarum Canonice unitarum Archi-Episcopus*, alias solum COLOCENSIS, quin aliquando Bacsiensis Archi-Episcopus, & Episcopus COLOCENSIS. Ex his, quam non inficete in rem suam arguetur laudatissimus Timon in Imagine Hungariæ Novæ Cap. VIII. videamus. „ Addito, ait, postea tempore Bacsiensis sedes ad amplitudinem Metropolis evecta est. Nam ut cognovimus ex monumentis Zagrabiensibus, anno MLXXXV. Archi-Episcopus Bacsiensis erat Fabianus. Anno MCXI. Diploma a Colomanno Rege Arbeni Ecclesiæ in Dalmatia datum subscripsit Tulbartus, Episcopus COLOCENSIS. Anno vero MCXXIV. Diploma Stephani Regis - - subscripsit Bacsiensis Metropolita. Deinceps vero primatum consecuti sunt COLOCENSES, ut patuit in Micone, confirmantque rem literæ Stephani III. Regis, quas anno MCLXIX. scripsit ad Lucam Strigoniensem, & Cosmam COLOCENSEM Archi-Episcopos „ reliqua. Postremum hoc extra controversiam esto ; cætera (quod pace magni illius Hungariæ Historiæ Patris dictum volo) non ita rem conficiunt, nullus ut dubitationi relinquatur locus : fueritne ullus Metropolita Bacsiensis, quin illud fastigium derivaretur in illum ab sede COLOCENSI. Sine Archi-Mysta Bacsiensi Fabiano, alioque illo, qui subscripsit Diploma Stephani Regis anno MCXXIV. COLOCENSIS diversus non profertur ; quemadmodum neque ullus Bacsiensis Metropolites, dum se scribit COLOCENSEM Episcopum Tulbertus anno MCXI. Itaque in eam venio cogitationem, qua existimem : Promiscue harum sedium primis temporibus Antistites denominatos fuisse Archi-Episcopos, modo COLOCENSES, modo Bacsi-

cfien-

cienses; & si quando, aut cuiquam Episcopo postpositus est COLOCENSIS, aut se scripsit Episcopum, id evenisse, vel quod nondum Archi-Episcopale Pallium obtinuerit Roma; vel quia peculiaris aliqua ratio suberat, e. g. observantia ætatis, clientelæ, propriæ causæ &c. Facit in rem meam, quod simile quid in Strigoniensis Sedis Antistitibus legisse me memini, de quorum tamen Metropolitana, atque adeo Primatiali eminentia nunquam controversum fuit. Horum alter se subscripsit Episcopum; alterius nomen subjectum est COLOCENSI. Primum videre est in Diplomate Sigismundi, quo Scepusiaca XIII. oppida opponit pignori Wladislao Poloniæ Regi, quod sub finem habet: *Et Nos Joannes, Episcopus Strigoniensis &c.* Alterum exhibet Bulla aurea fundatæ per Belam IV. Præposituræ Thuroczienfis, quæ in hæc exit verba: *Datum, & actum per manus Reverendi Patris Benedicti, Archi-Episcopi COLOCENSIS, Aula nostræ Cancellarii, Venerabili Patre Stephano Archi-Episcopo Strigoniensi &c.* Neque factum hoc licet in id duntaxat conjicere, quod COLOCENSIS fungeretur munere Cancellarii; nam in Superiore Diplomate Sigismundi, Secretarius, & Cancellarius Regius, Emericus de Perrem, nonus est in subscribentium, Prælatorum simul, ac Baronum numero, septimus profanos inter. Non minus luculentum est ejusdem rei exemplum in Diplomate Mathiæ Corvini, Posonii anno MCCCCLXVIII. edito, quo contestatur in verbo Regio: per imperata, annuta Procerum, subsidia, bello Hussitico necessaria, nihil se Regni libertatibus præjudicare velle. Illud autem Rescriptum Regium altera sui parte ista continet: *Et nos Stephanus Cardinalis Ecclesiarum COLOCENSIS, & Bacsiensis, Joannes Strigoniensis, Apostolicæ Sedis Legatus natus, Archi-Episcopi.* Non itaque novum est, ut Episcopos se ipsi Patriarchæ vocent, ac dignioris Sedis Præfules, ita ferente justa quadam, quanquam non semper in vulgus nota ratione, minoribus honoratiorem locum concedant.

§. IV.

De COLOCENSIBUS Archi-Episcopis, qui peculiare quidpiam in Rempublicam contulerunt.

L Aconice, ac more suo pernitive argumentum hoc pertractat Ladislaus Turóczius Hungariæ suæ, compendio datæ pag. 129. in hæc verba: „ Africus, five Anastasius (puta princeps Stephanæ ad Sylvestrum Papam

„ Legationis, & rerum tantarum ultro, citroque portitor) primus ille, &
 „ magnus COLOCENSIS Episcopus, jure Pater Patriæ appellandis; qui
 „ evecta haud multo post (nempe, ut probat idem Scriptor pag. 112. & se-
 „ quent. operis ejusdem, anno MV.) in Metropolim hac sede, agmen-
 „ similiter ducit Archi-Episcoporum, doctrina, & vitæ integritate orbe
 „ Christiano celeberrimorum, deque Republica optime meritorum. Ex
 „ quibus Ugolinus II. & Paulus Tomoræus pro Religione, & Patria vitam,
 „ & animam immolarunt; *Ugolinus videlicet Tartarico ad Sayonem bello,*
 „ *Paulus Turcico ad Mobatsum prælio sublato.* Duo Frangepani, Patri-
 „ cius Romanorum sanguis, Legationibus summis ad Imperatores functi
 „ sunt; Draskovitsius ad Concilium Tridentinum; Telegdinus, ac alii ad
 „ præsentem usque (loquitur de Emerico Csaky) Cardinalem Principem
 „ mira in res Divinas profusione inclaruerunt. „ Accenseri laudatissimis
 „ potest Smaragdus, ob Stephanum V. cognominatum Juniorem Hungariæ
 „ Regem, Belæ Patri conciliatum; Stephanus Varday redimendi a Friderico
 „ III. Sacri Diadematis datus arbiter; Szélepcsénus, ac uterque Szécsénus
 „ nota orbi Christiano nomina. „ Vaticano, pergit Turoczius, insignes
 „ Ostro tres censentur. Porro Episcopium ipsum, & Ecclesiam Metro-
 „ litanam liberalitas Cardinalis Emerici Csaky, - - urbi restituit, inque
 „ dies feliciorum reponit in sortem. Cujus etiam beneficentiæ dandum,
 „ quod & Canonici augeantur, & jam locus ipse tristiorum excuciat faciem,
 „ assumat lætiorum. „ Sanctas Emerici curas pari complectitur animo
 „ antehac in Varadinensi, nuperrime admodum ejusdem, post Gabrielem Pa-
 „ tatichium, Antistitem peræque laudatissimum, datus in Metropolitana Sede
 „ COLOCENSI Successor suus Frater Nicolaus. Ne quid per assentationem
 „ a me dici quis existimet, abstinebo me consulto a Magni Archi-Præfulis
 „ laudibus; si, quæ palam sunt omnibus, dicere fas est: suum esse dicunt
 „ pupilli, viduæ, egestas omnis, Patrem; tenuior Nobilitas asylum; Scho-
 „ lares Mœcenatem; fidum civem Patria; integerrimum Rex Ministrum;
 „ Ecclesia Pastorem pervigilem, pium, sanctum, profuse munificum; cujus
 „ commissam bonitatem nemo non amet; sola zelum hæresis, ac Schisma
 „ perhorrescat. Fregit utriusque vires Varadinensi in Præfulatu, septimum-
 „ Paræciarum numerum ad alterum supra tricesimum proferendo; confugos
 „ bene multos ad gremium veræ Ecclesiæ Schismaticorum Sacerdotes, ære,

con-

consilio, doctrina, omni ope confovendo; constructa quondam in Divorum honorem ab Catholicis delubra hæresi detrahendo, restaurando, instruendo, aut nova excitando. Cum accessione majoris fastigii, ex virtute operandi succrevit assuetudo. Illico ac Metropolitanam se in Sedem sublimatum accepit, duobus (atque horum altero Majore Præposito) sacrum Canonorum Collegium suo ex ærario percepturis redditum, auxit. Amplissima sunt cætera, ad mentem Gentium Doctoris exacti Præfulis, ad promovendam rem Catholicam destinata, quæ sensim evolvit felix dies. Sed enim non ita se totos uni Religioni impendunt Metropolitanæ Csakii, ut nihil curarum profanæ Reipublicæ addicant. Emericus, ut ad eum regrediar, grande illud opus, transferendæ Hungariæ in æterna Augustæ Domus Austriacæ Natarum jura, exantlavit ea felicitate, ut in quod antea innata bonitate, ac sagaci prudentia privatim singulos pellegerat, in publico anni MDCCXXIII. Comitio, reclamante nemine, effectum daret. Dignus, cui Colossum ponat Hungaria, funestis cladibus, in quas, vel hoc bello eam induissent rivales, Divino illo consilio prærepta. Id quum perspectum esset congregatis tunc Optimatibus, amplissimæ LX. Procerum, ac Provincialium Legationis, ad Augustum a Regno missæ, princeps renunciatus ita Regem Carolum affatus est:

„ **S**acratissima Cæsarea, Regiaque Majestas! Domine, Domine Cle-
 „ mentissime! ubi Majestas Vestra Sacratissima, per benignas Regales
 „ suas, universos Regni Hungariæ Status, & Ordines pro die XX. proxi-
 „ me præteriti mensis Junii, ad Generalem Regni Diætam in Liberam, Re-
 „ giamque civitatem Posoniensem, convocari fecisset; iidemque, pro ho-
 „ magiali erga Majestatem Vestram obligamine, cum in finem fideliter, nu-
 „ merosissimeque, si unquam, nunc ibidem comparuissent; de more in-
 „ Regno hoc Apostolico, usitato, Divinoque Numini debito, ab invoca-
 „ tione ejusdem gratiæ, & auxilii, negotiorum tractatum exordiri volen-
 „ tes, ipso die proxime præterito Divi Ladislai, olim æque Hungariæ Re-
 „ gis (cujus munificentia, ac liberali opera Episcopatus meus Varadinensis
 „ fundatus, una & Capitulum extitit) in Templo S. Martini Episcopi (Præ-
 „ posituræ non absimiliter meæ) ubi nempe plerique gloriosissimæ memo-
 „ riæ Prædecessores, ex Augustissima Majestatis Vestræ Domo, Progeni-
 „ toresque, ac ipsamet etiam Majestas Vestra, una cum Augustissima Do-

„ mina nostra, sacro Regni diademate redimiti; perfolutis de obligamine
 „ DEO laudibus, in proximo, eoque primo regnicolarum diætali confessu
 „ (certe non absque singulari Divini Spiritus afflatu, per merita haud du-
 „ bie sancti Regis, cujus in Festo Spiritum Sanctum cum expositione san-
 „ ctissimi Corporis Christi, me, Pontificalia exercente, invocavimus,)
 „ omnes omnino Regni status, & ordines, non inducti, non persuasi, una
 „ voce, votoque, uno corde, & ore, sponte, libere, deliberateque, ac
 „ benevole, in id consenserunt, de eoque Majestati Vestræ sacratissimæ hu-
 „ millime supplicandum esse censuerunt: Ut hæreditarium Majestatis Ve-
 „ stræ, pro sexu masculino, Hungariæ Regnum, cum omnibus Regnis, ac
 „ Provinciis, ad sacram ejus Coronam pertinentibus, recuperatis, &, DEO
 „ auspice, recuperandis, in casu (quem DEUS Optimus Maximus clemen-
 „ ter avertere dignetur) defectus sexus masculini, nunc pro tunc, & in-
 „ perpetuum etiam, pro sexu fœminino clementer acceptare dignetur, ser-
 „ vato semper per stirpes Primogenituræ jure, & ordine. Suadebant id
 „ summa, gloriosissimæ memoriæ Progenitorum, & Prædecessorum, ipsius-
 „ metque Majestatis Vestræ merita, fatigia, curæ, ac sollicitudines in eli-
 „ berando e barbarorum jugo, dilatando item, ac sublevando Regno hoc
 „ suo Apostolico, impensæ. Suadebat inæstimabilis, pro successivis quo-
 „ que temporibus, Paterna plane, regno, summo cum solatio, vel ex ipsis
 „ Regalibus innotescens providentia, securitatisque, & tranquillitatis inter-
 „ næ, ac externæ, sana ratio. Suadebat, exitiosa, fatalium præcautio in-
 „ terregnorum. Suadebat, præteritorum, præsentium, futurorumque,
 „ rememoratio, & observatio: quo nempe in statu fuerit, ac respective
 „ sit, esseque, vicissitudine rerum, possit Regnum hoc, tot calamitatibus
 „ ab ipsis sancti Pro-Regis Stephani temporibus agitatum. Suadebat fir-
 „ missima, in Majestatis Vestræ gratiam, & Clementiam fides, & spes.
 „ Suadebant denique, persuaseruntque omnia, dum nihil penitus, quod
 „ rationi consentaneum in contrarium sit, occurreret. Et sane; cui enim
 „ alteri, omnibus rite pensatis, ac perpensis, semet, Coronamque suam
 „ Angelicam, feliciter devoveret Hungaria, quam Augustissimæ Majesta-
 „ tis Vestræ Domui, tot gloriosissimorum Imperatorum, & Regum fecundæ
 „ Matri. Conveniebat non aliud ex omni parte Consilium, quam ut sa-
 „ cra hæc Corona, tot inter vicissitudines, & sui periclitationes, per glo-
 „ „ rio-

„ riosissimos Majestatis Vestrae Prædecessores, perque ipsammet Majestatem
 „ Vestram defensa, tutata, & conservata, sacrisque Augustissimæ Domus
 „ Austriacæ verticibus, tot sæculis interrupte inhærens, non alio, usque in
 „ finem sæculorum sinu, quam Augustissimæ Majestatis Vestrae posteritatis
 „ etiam conquiesceret. Cui namque se confidere securius? in quo sperare
 „ tutius? hinc, in quem amore ferri debuit ardentius? quem quærere,
 „ consultius? ubi se, suaque, stabilire firmius? ubi firmare potuit stabilius?
 „ quam in Eucharistica Majestatis Vestrae Domo Augustissima, in qua,
 „ non habet, quod metuat, seu Regnum Apostolico-Marianum, seu Co-
 „ ronam Angelicam in aliud, quam Religionis Romano-Catholicæ ca-
 „ put, sicut erat in principio, & nunc, unquam devolvendam. Exinde
 „ enim firmissime credit, speratque Hungaria, tam suam, quam alio-
 „ rum Majestatis Vestrae, Successorumque suorum utriusque sexus,
 „ gubernio constituta, sanctissime præmeditatam cum iisdem nanciscatur
 „ unionem. Credit, inquam, speratque indubie, non modo avitarum sua-
 „ rum libertatum, & prærogatarum manutentionis, & conservationis
 „ firmiter stabilimentum; verum etiam uberiolem e Paterni Majestatis vestrae
 „ sacratissimæ, Successorumque suorum utriusque sexus, gratiarum monu-
 „ menti ampliori refectione, donorum, & gratiarum fertilitatem. Tum
 „ demum felices nos, si votis nostris annuat Majestas Vestra, reputabimus,
 „ præsentem hunc in finem deputati, gaudium, & consolationem etiam cum
 „ illis, quorum paribus votis hic existimus, communicaturi. Ringatur,
 „ oriens, censurent, utut libet, ac explicent factum nostrum æmuli, vel
 „ felicitatum Augustissimæ Domus invidi, parum, imo nihil interest; No-
 „ bis, semel pro semper sufficit, DEO auctore conclusa, Majestatisque
 „ vestrae sacratissimæ gratia concludenda, firmiter, constanterque amplecti.
 „ Suscipe proinde, clementissime Domine! vota, precesque, & gratissimi
 „ animi argumentum, populi, non vi, non metu, non armis, non factio-
 „ ne, vel præoccupatione aliqua, nec consilio, aut exemplo sinceræ erga
 „ Majestatem Vestram devotionis, ab aliis sumpto; verum sponte propria,
 „ libere, benevoleque, ac deliberate, amore Majestatis Vestrae, a se capto,
 „ seque Majestati Vestrae, & ejusdem utriusque sexus posteritati in perpe-
 „ tuum subjicientis. Suscipe corda & animos, omni prorsus diffidentia,
 „ vel umbra, depuratos. . Consolare, vel per id, Hungariam, aliunde

„ Tuam, ac demum intende, prospere procede, & regna: Divinumque
 „ (cujus hæc providentia, ac dispositione mirabili acta sunt) auxilium ma-
 „ neat semper nobiscum, Amen.

§. V.

De Comitatu BACSIENSI.

Frequentes barbarorum impressiones, incendia, clades, quas per BA-
 CHIENEM Comitatum circumtulcrunt, ipsos Provinciæ hujus limite-
 tes obruerunt. Augent in detegendis illis difficultatem aliquot vicini Co-
 mitatus, diu Turcico pressi jugo, suis & ipsi Limitibus, quos sciamus, de-
 stituti. Experiamur, quid palpitando istis in tenebris possimus, hic meta-
 turi BACSIENSEM, sequente libro Bodroghiensẽm, Torontaliensẽm, cæ-
 terosque. Itaque BACSIENSIS Provincia ab ortu Torontaliensẽm, & Bo-
 droghiensẽm dirempta Tibisco; a meridie Sirmiensẽm, interlabente Danu-
 bio; ab occasu Baranyiensẽm, eodem divisã flumine; a septentrione Sol-
 thiensẽm respectat. Trahit appellationem ab oppido BACS, Sede Episco-
 pali, quam Colocensi Metropoli junctam diximus. Præest peramplæ huic
 Regioni cum potestate supremi Comitatus supra laudatus Excellentissimus,
 Illustrissimus, ac Reverendissimus Dominus Nicolaus DEI, & Apostolicæ
 Sedis gratia Metropolitanæ Sedis Colocensis, & Cathedralis BACSIENSIS
 Ecclesiarum Canonice unitarum Archi-Episcopus e Comitibus Csaky de
 Kereftzfegh, Perpetuus terræ Scepusiensis, Comitatus nominis ejusdem,
 Hæreditarius, BACSIENSIS vero Perpetuus Supremus Comes, Sacratif-
 simarum Cæsareo-Regiarum Majestatum Intimus Actualis Status Confilia-
 rius, ac in Excelsa Tabula Septem-Virali Co-Judex, & Assessor Primarius.
 Ætate nostra jacente in vici tenuitate BACSIA, Episcopali Civitate, alia
 quædam increvere loca. In his BAJA propter ipsos Solthiensis Comitatus
 limites, frequens populo, ac mercimoniis florens oppidum; tum Szabatka,
 & Zombor; quæ posteriora in liberas, Regiasque Civitates referri laborant;
 quod jam affecti sunt Novæ munitionis incolæ. Sunt, qui contendant
 BACSIAM Civitatem a Batho, quo Duce Tartari Bela Rege IV. evastarunt
 Hungariam nomen accepisse, quod non est ita. Nam BACSIENSEM
 Episcopatum ab ipso S. Stephano fundatum esse, non inficete probant eru-
 diti; quorum sententiam, si ultra conjecturæ fidem, ratam non habeas, ta-

men

men plusquam sæculo ante Bathi latrocinium BACSENSE florebat Sacerdotium, cujus Antistes Gregorius anno MCXXIV. Stephani secundi Diploma signasse reperitur, illis jam supra memoratis verbis: *Ego Gregorius BAACSENSIS Archi-Episcopus laudo, & confirmo.* Propius vero est, a Bathanatio, Gallorum quondam Ductore, BATSUM conditum fuisse. De eo Athenæus ita scriptum reliquit. „ Scordisci sunt vocati, qui reliquæ „ Galatarum extiterunt; qui cum Brenno Duce militaverant, quando „ Delphos diripuerunt. Deinde Galatharum Dux Bathanatus, qui eos in „ Regionem, quæ circa Istrum est, collegit, sedesque capere iussit. Unde „ & viam, qua ad Istrum redierant, Bathanatum & hodie vocant. „ Ajunt, viæ hujus nondum intercidisse indicia, sed quos Romanorum vocat aggeres J. C. Müller Cæsareus Josephi I. Architectus, ac Geometra, in sua Hungariæ Mappa, a *Petri-Varadino* ad *Becseum* vicum protensos, reapse Romanæ viæ reliquias esse. De cæteris Comitatus BACSIENSIS locis, sæculo XV. florentibus, e quibus statuti a nobis limites liquido confirmantur, offundunt lucis non minimum exaratæ anno MCCCCXII. Capituli Budensis literæ in hæc verba: „ Item eo modo possessiones CHEREGH „ (hodie *Csuruk*) ac tributum, ac vadum, in eadem habitum, nec non „ PETER-REVE (*Petrina*) SZENI-PETER, ARCULITH PER- „ LEK, & tributum in eadem exigi solitum, ac ASZON-FALVA, „ PEZER (*fors Pessier*) nec non tributum ac vadum in eadem habitum „ in BACSIENSI „ intellige: Comitatu contenta loca, donat Georgius Despotus Regni Rasciæ Paulo Birini de Verona. Extremum angulum, in quem, intra meridiem, ac ortum, ad confluentem Danubii, Tibiscique procurrat Comitatus BACSIENSIS, TITELINUM, sive TITULINUM visitur Oppidum insigni quodam Præmonstratensium Præpositura B.M.V. elarum, qua potiebatur aliquando Thomas Cardinalis Bakacz. Facit Sacerdotii hujus mentionem in Appendice ad Acta Synodi Strigon. Pazmanus, atque Strigonienfis Metropolitæ Jurisdictioni Spirituali subiectam fuisse innuit. Ad hunc denique Comitatum SZENTA, & FUTAKINUM refertur; hoc vicinum Danubio, illa Tibisco adlita. Eugenii Francisci Principis a Sabaudia incomparabilis virtus utrique nomen fecit; FUTAKINO quidem, dum sæculi hujus anno XVI, & sequente, de magni illius belli summa isthic decerneretur; SZENTÆ vero, superioris septimo, &


nona.

nonagesimo die XI. Septembris, quo X. Turcarum millia in Tibiscum infudit, ac præfocavit, XX. in arena cecidit. Hæc de Hungaria Interammana.

LIBER SEPTIMUS.

HUNGARIA TRANS - TIBISCANA.

PROÆMIUM.



Uibus in deproperatæ Scriptionis molimine proclivius nihil est, ut nempe eruderandarum rerum inopia, multitudineve laboretur; aut fatigiorum impatientia victæ vel temporum angustiis circumscriptæ vires fatiscant; horum ad nos non una pars attinuit, dum Trans-Tibiscanæ oras Hungariæ in literas referre meditaremur.

Da enim expedita fuisse cætera; ipsa certe tot Provinciarum, dubiis, aut nullisdum limitibus discretarum, amplitudo non esse tædio non poterat; quando de his nec pro dignitate prolixos, nec pro brevitate temporis, quo prælo subjicerentur, idonee succinctos esse licebat. Quare sicubi, hic cum primis evigilandum nobis est, ut nedum in vasto hoc commentationis argumento tantillum ab habitu superiore desciscimus, compendiis usuri majoribus; nostra quoque contentio ab sese dissidere videatur. Cogendæ sunt, ut plurimum, aliquot, in unum Caput, Provinciæ, quod nec admodum suppetat, quo singulæ paginam impleant; & Librarius, si maxime vellemus, fusiores lucubrationem, operarum viribus majorem, jam non ferat. Ordiri porro hanc Scriptionem ab infimo Hungariæ angulo libuit, quod cum hæc Regiones solo dirimantur Tibisco, ab iis Comitatus, quibus Interamnam recens clausimus, lucis hinc aliquid utrisque accessurum speramus. Itaque sit



CA-

CAPUT PRIMUM.

De Comitatus infra Marusium positus,
TORONTALIENSI, BODROGHIENSI,
SEVERINENSI, TEMESVARIENSI,
CSANADIENSI.

§. I.

De Comitatu TORONTALIENSI.

Alitiæ, Ramæque Regna diu quærebant Hungaricis in ditio-
nibus Geometræ; detectis jam illis, eatenus Avorum æta-
te feliciores evasimus nepotes; posteris, nisi fallor, Comi-
tatum aliquot detegendos limites (ut maxime nolimus)
relicturi. Hos inter merito accenseas TORONTALIENSEM, ac (de
quo mox) Bodroghiensem. Illum metati quidam sunt ultra Marum am-
nem, septentrionem versus, Cumanis Majoribus, Exteriori Szolnokienfi,
ac Bihariensi Provinciis portionem non minimam detrahendo; Bodroghien-
sem vero, quod aiebam, repugnantibus documentis veteribus, apponen-
do Tibisci ripis, qua Szegedino Titulinum usque procurrunt. Datam de
TORONTALIENSI fidem jam libero, ductu literarum Capituli Budensis,
exaratarum altero & vicesimo sæculi XV. anno. Editæ sunt in favorem
Pauli Birini de Verona; cui Georgius Despotus, uti dicebam, suis e ditio-
nibus perampla transcribebat latifundia, nominatim sequentia in Comitatu
TORONTALIENSI: „ Castrum Becze, in insula Titæ habitum, &
„ oppidum similiter Becze, ac tributum, ac vadum, in eodem habitum;
„ nec non possessiones Ujfalú, Szent-Király, Bodogassonfalva, Szentendréd,
„ Vegenyé, Echéhida, ac tributum, ac vadum, nec non oppida Araka,
„ Bazalhida, Becskereke, & tributum, in eodem exigi solitum, ac simili-
„ ter possessiones Irmes, Nyilas, Chingard, Aradi, & tributum in ea-
„ dem exigi solitum in TORONTALIENSI. „ Frustra enumerata hic
loca quæsieris extra porrectas meridiem versus a Maro flumine, propter
alveum Tibisci plagas, in his vero BECSKEREK, SZENT-KIRAL,

BECZE, & ARAKA vel nihilo, vel tenuissime conversis literis reperias in ipsis Geographorum mappis. Quocirca publicam hanc secuti fidem affirmare non dubitamus: TORONTALIENSEM Comitatum tribus circiter milliariibus in latum, altero tanto in longum, procurrisse in descriptam jam regione; quæ (dempta superiore particula, Csanadiensis Comitatus attributa) Temesiensi adscripta est Banatui, post depulsum his ab oris Turcam, atque idcirco propriis destituitur Magistratibus.

§. II.

De Comitatu BODROGHIENSI.

BODROGHIENSIS Comitatus, a celebrato Annalium monumentis BODROGHO Castello, ut habet Bonfinius, nominatus, in ripa Danubii extenditur. Frustra proinde sunt, qui eum ab amnis Mari ostio porrigi, secundo Tibisco, ajunt. Illius Castellum nec rudera novit ætas nostra; quod ipsum argumento est, diu sub Turcico gemuisse dominatu. Enitebatur Pater ille Patriæ Carolus VI. exacto ex universa Hungaria tyranno, pristinum in florem nostram quoque Provinciam reponere, dato ei Supremo Comite Marco Czoborio, minoribusque Magistratibus in Comitatum anni MDCCXXIII. Pofonii admittis; convalescere tamen sanctum illud Augusti consilium adhuc non valuit. Olim insignem fuisse Comitatum hunc, e frequenti ejus Præsidium, Diplomatis insertorum, memoria eruas. Timon, suo more, acute observat, infra Torontaliensem, ac Temesiensem situm fuisse, propterea, quod Paulo, Viro Nobili, quatuor tractuum, Danubio, & Savo adjacentium, delata fuerit Præfectura. Fuit enim Paulus ille Banus Matschoviensis, Comes Sirmiensis, Valcoviensis, ac BODROGHIENSIS; quas Provincias congruum opinari est, diffitas invicem non fuisse. Adde: locum pro Comitatu hoc nusquam alibi toto in Regno reperiri; extitisse vero, ultra Diplomatum fidem, Tabulæ Regni ad annum MCCCCLXIV. testantur. Restitutæ utcumque suo positui Provincie limites hos ponimus: Ab occidente Sirmiensem, & Bacsiensem; a septentrione Torontaliensem, ac Temesiensem; ab oriente Severinensem Comitatus; a meridie Servie Regnum, interlabente Danubio, objectum longitudo, latitudoque nonnisi Divinis cognita esse creditur. Qui ab inferiore Torontaliensis Comitatus margine, puta amne, quem Müllerus,

Geo.

Geometra Augustalis, Custodem vocat, ultra Ujpalankam in duodecim-
milliaria longitudinem, in quatuor latitudinem porrigat, commode Severi-
nensi, Temesiensique Banatui consulat. Nobis porro divinare non libet.

§. III.

De Comitatu, seu Banatu SEVERINENSI.

Collimitium Transylvaniæ, Valachiæ, Serviæque, Comitatus, seu Ba-
natus SEVERINENSIS (Hungaris *Szöriniensis*) erat, quamdiu
amplioribus terrarum spatiis ab Hungaria repressus erat Turca; at postquam
munitionibus hujus Provinciæ exuti sumus, onus tutandorum finium incu-
buit Temesiensibus plagis; quarum Supremi Præsides perinde ac *Zeurinen-
sis* (sic interdum, alias *Zewrimensis* quoque scribebatur) dicti sunt Bani,
atque ultra SEVERINENSIVM dignitatem evecti, & Regni Baronibus
adlecti. Postremus SEVERIENSIVM Banorum Balaius anno MDXVII.
Regni nomine Constantinopolim ad agendum de pace missus est, quod bel-
lo ferendo impar ærarium esset. Dicitur est Comitatus hic ab Urbe *Seve-
rino*, capitibus Istri apposita; ipsa vero de nomine Lelii Septimi *Severi*,
Pannoniarum, & Illyrici tum Pro-Consulis, postea, ob res præclare gestas,
Romanorum Imperatoris. Condita est circiter annum Christi CXC. nec
dubium, quin præcipua inter Populi Romani municipia haberetur; cum
Clarissimus ille Pro-Consul rebus ex animi sententia gestis, cumprimisque
Romanæ ditioni finitimis Dacis, ingenti prælio fuis, in illa monumentum
ponere voluerit. Positum unum hodie reliquum habemus; retinet enim
primam stationem, ripis Istri adhærens, modico supra Trajani pontem spa-
tio. Posterioris ævi opus Urbis erat, quod describit Marfillius in Prodro-
mo Danubialis operis Tom. II. Part. I. N. XXIX. in hæc verba: „Seve-
„ rin, peculiaris figuræ, fortalitiu oblongum, quadratum, Pontem inter,
„ & supra descriptam Castrametationem (*Fetislan*) interjacens, ex lapide
„ cocto, & glarea, in medio, muro transversali, interstinctum; longitudo
„ LXX, latitudo XXVII. orgias capit. „ Nominatiora Provinciæ hujus
loca fuerunt: ORSOVA, MEADIA, KARAN-SEBESUM, quorum
positus regionis amplitudinem in mappis Geographicis definit. Postremum,
vicus jam ignobilis est, olim illustri Civitas, ac plurimorum Hungariæ No-
bilibium sedes. Diversatus isthic Ovidius aliquando fuisse perhibetur; cujus

incolatum prodit lapis aliquot distichis carminum notatus, quem exhibet rudus vastissimæ quondam turris, in editiore nonnihil loci hujus colle lapideo, de sectis ad regulam faxis constructæ. Habebat ab anno MDCXXV. KARAN-SEBESINUM Missionarios e Societate JESU, bona Gabrielis Betlen, Principis Transylvaniæ, gratia. Is enim precibus Michaelis Károly, affinitate sibi juncti, & Sigismundi Kornis, de pertinacia tandem deductus, in hanc ditionis suæ Civitatem aliena veste tectos duos ejus Instituti Sacerdotes admisit, a quibus res Christiana procuraretur. Fovit has operas Apostolicas pietas Emerici Bercesenii, ejusque conjugis Barbaræ Lugosfiæ, dum Manliano Georgii Rakoczii, Betlenum in Principatu Transylvaniæ secuti, mandato stationem deferere anno MDCXLII. juberentur. Visum est, hujus rei meminisse, ut extet ad posteros memoria, quorum potissimum Herorum gratis orthodoxa fides in extremis hisce Hungariæ finibus fuerit protecta. MEADIÆ juga æris cyprii mineris sunt facta. ORSOVA, tum vetus, tum nova munitionibus inclaruit, dubio: majoréne virtute Augustæ Domui asserta per Eugenium Franciscum Sabaudix Ducem anno sæculi hujus XVII. quam infelicitate perdita supra tricesimum octavo. Sane supellectilis bellicæ nusquam tantundem nobis barbarus eripuit Victor. Sinistrum ista in Regione prælium quoque habuimus eodem postremo bello Turcico, cujus clades præcipua Corniensi agro nomen fecit. Sed hæc in recenti sunt memoria.

§. IV.

De Comitatu TEMESIENSI.

T*emesus* amnis, Regionem hanc interfecans, nomen eidem impertit. Attingit ab oriente Transylvaniam, & Comitatum Severinensem; ab occasu Torontalensem; Canadiensem a septentrione; a meridie Bodroghiensem. Limites isti veteres sunt; nam ætate nostra quidquid Torontalense, Bodroghienfi, & Severinensi attribuimus, suis cum plagis confusum habet. Amplitudinem harum Regionum tributo æstimes, quod annum pendebat Turcis, nempe quadringenta triginta millia nummum, *Sesquin* dictorum, qui Rhenano calculo efficiunt quinque millia, supra sesqui alterum millionem florenorum. Impeditur passim paludibus, populo frequens, vel dum jugo barbarico teneretur. Præcipua civitas, ac munitio ha-

harum ditionum TEMESVARINUM subjacet latitudinis Geographicae gradui 45. cum 53. minut. longitudinis gradui 45. cum minut. 37. Constructum esse scribit Istvánffius Lib. XVIII. Histor. a veteribus Pannoniæ Regibus, ad cohibendas irruptiones Bulgarorum, antequam Christiana facta suscepissent, Cumanorumque; quorum, & Cunorum nomine intelligit Tartaros, quos a Polonis *Poloucios* ait appellari. Incertos quum natales, conditoremque habeat Urbs TEMESIA, magis dubia origo nomenclationis apparet iis, qui norunt, non Temeso, verum Begæ fluvio appositam esse. Ne hic a me desciscam, ac de voce seram lites, existimo: prætermorem cæterarum Hungariæ plerarumque Pronvinciarum urbi cognomini appellationem dedisse, non vero ab ea accepisse TEMESIENSEM. Opinioni huic momentum inde accerso, quod ante in Comitatum redactam hanc Regionem fuisse oporteat, quam castrum, & urbs constiterit, si ex vero ab Hungariæ primum Regibus adversum procurfiones Bulgarorum, ac Tartarorum excitata isthæc munitio fuit: quorum rapinis ultra duodecimum æræ Christianæ sæculum sædatam fuisse Hungariam, nemo non novit; cum regnante S. Stephano in Comitatus sectum fuisse hoc Regnum, alibi notaverimus, atque elici possit e Lib. II. Decretorum Sancti illius Regis Cap. XXXV. Sane de TEMESIENSI Provincia fide digna narratione accepi, jam ante septingentos admodum annos illi præfuisse Supremi Comitatus dignitate unum de vetustissima Csakiorum gente. Sed misso hoc, redeo ad institutum. Civitas TEMESVARIENSIS in duas diribitur regiones; quarum alteram accolunt Rasciani. Arx inter utramque posita est; quam ad sæculi nostri leges communivit Mercius Comes; Civitatem idem ædificiis, ac lectissimorum artificum contuberniis excoluit, totius TEMESIENSIS Banatus ex vero reparator, postquam anno MDCCXVI. in potestatem Caroli VI. Archistratego Principe Eugenio Francisco a Sabaudia venisset, centum quinque, & sexaginta annorum jugo Turcico solutus. Incolunt TEMESVARINUM Patres Franciscani, & JESU Socii, ejusdem Augusti gratiis utrique. Amplissimum Mahometanorum fanum, ritibus Catholicis expiatum, a MARIA *Serena* cognominatum est, in perennem memoriam accepti ab Augustissima illa cœlorum Imperatrice beneficii; quod dum ejus auspiciis urgeremus obsidionem, & circum multis imbribus maderet vicinia, sudo noster exercitus frueretur cœlo, ac ad occupandam

arcem animaretur. Belli fortunam, quam tulit TEMESIA, narrare non attinet; veterem Istvánffius exequitur; ævi nostri in recenti omnium est memoria. Plagis totius vastissimæ hujus Regionis nihil ad felicitatem deesse ajunt, quam incolarum mitius ingenium. Fingendam & eorum vitam ad optimam frugem speramus, postquam obtinebit illa Augustæ Sanctio, redactosque terrarum fecundissimæ cives in Provinciam, communis lex Patriæ gubernabit; quod recens confieri occæpit. Accensetur TEMESIENSI Provinciæ oppidum LIPPANUM, amni Marusio appositum, & quinque Germanicis milliaribus *Temesvarino*, versus septentrionem, ubi ad ortum declinat, remotum; munierat illud quatuor propugnaculis inque urbiculæ morem composuerat annum circiter MCCCC. Marchio Brandenburgicus, Joanni Corvino affinitate junctus; memorabile autem reddidit cum exilium Elifabethæ, Stephani Zapolyæ Matris; tum varia belli fortuna, quam reperies in Historicis Istvánffii Commentariis, mihi pagina 214. 433. 445. 520. aliisque.

§. V.

De Comitatu CSANADIENSI.

C*Sanadino* ab oppido adhæsit CSANADIENSI Comitatu nomen, oppido autem a memoria *Csanadini*, Hunnorum in Scythia Ducis. Olim dirimebatur a Comitatu Temesiensi, rivo, Bereghszö dicto, meridiem versus; ad occasum a Torontaliensibus, & Csongradiensis parte; ad septentrionem Békesiensi; ad ortum Aradinenfibus, & Zarandiensibus. Ævo nostro Temesiensi Banatu ab ortu, & meridie; Danubio ab occasu; a septentrione Marusio potissimum clauditur, paucis in ulteriore fluminis hujus ripa affidentibus locis, huc pertinentibus. Metropolis Provinciæ hujus culta sua in arce, præter Episcopium, habebat Collegium Canonicorum, quæ suis in ruinis moerent. Subest CSANADIENSE Episcopale Sacerdotium Metropolitanæ Coloczensis, primique Antistitis dignitatem circa annum MXXXVI. obtinuisse memoratur S. Gerardus Martyr; qui ex Illustri Sagredorum Familia Venetiis ortus, primum in solo natali ad D. Georgii Monasticam vitam egit, eique Claustro Abbas laudatissime aliquamdiu coactus præfuit. Posito hoc munere nequicquam renitentibus Monachis, iter in Palæstinam suscepit, digressus ex itinere ad Maurum,

Quin-

Quinque - Ecclesienſem Episcopum, a quo ad S. Regem Stephanum deductus, ac S. Emerico Magister datus est. Exculto ſcientia ſanctorum ſanctiſſimi Regis piſſimo filio, ſeceſſit Gerardus in eremum, Beel vocatam, ubi poſtquam ſeptennio claram ſanctitate, ac miraculis egiffet vitam, CHANADIENSEM regere juſſus eſt Eccleſiam. Eo in ſaſtigio poſitus, nihil omiſit, quod in laudatiſſimo Paſtore deſideres; dum ab obitu S. Stephani regreſſi ad Paternas ſuperſtitiones Hungarorum non pauci, necem intuliſſent ſanctiſſimo Præſuli; quod in deſcriptione Budenſis Urbis enarratum habes. Ex illuſterioribus, qui CSANADINÆ Sedi præſuerunt, Antiſtitibus erat Joannes e Comitibus Cſakiis. Is quum in funeſta illa tempora incidiffet, quibus Cruce-ſignati ſumpta adverſum Saracenos arma verterunt in Nobilitatem; ſe trepidus recepit ſuam in arcem, agreſtiumque illorum aliquamdiu toleravit obſidionem. Poſteaquam vero commeatu, cæterisque rebus neceſſariis exhaustus eſt, effugere, quo fors tuliffet, quam inhianti Nobilium cædibus latrocinantium multitudini deditioem facere maluit. Et jam noctis ſaventibus tenebris lembo Maruſium trajecerat, atque in proximos montes ferebatur, paucis comitatus; verum infelici caſu in agreſtes incidit; a quibus peſſime mulctatus, atque ad Georgium, famoſum illum Siculum, perductus eſt. Nihil ea præda poterat accidere jucundius Georgio, ac impiſſimæ hujus ſeditionis incentori Laurentio Presbytero, Czigledienſis oppidi Curioni. Poſt acerbos cruciatus, probra, contumelias, induitur Sacerdotali amictu, ſtola, infula, gemmis jam antea, atque magni pretii unionibus ſacrilege ſpoliata, adauctaque per inguen ſude præacuta, Præſul clariffimus, & ea calamitate proſus indignus, barbarum ſane in morem perimi jubetur. In Nobiliores aliquot Viros pari crudelitate ſævitum eſt; qua provocata Nemefis Divina perfidam illam plebis colluviem perdere, ſceleratiſſimoque cumprimis Duci Georgio merita inferre ſupplicia matabat. Lege ſis illa apud Iſtvánffium Lib. Hiſtor. V. nobis pag. 49. Nihilo mitiore fortuna uſum eſt CSANADINUM, rerum iſthic potiunte Turca. Arcis hiantis reliquæ annum circiter MDCLXXXIX. dirutæ ſunt; ejus loco attributum eſt Episcopali pro ſede oppidum Makó, Auguſta largitate MARIÆ THERESIÆ, Imperatricis, ac Regiæ piſſimæ. Reliqua florentiora Comitatus iſtius loca, aut Divorum Delubra, demptis admodum paucis nuſquam connotata reperio. Sancto Georgio Martyri, propter ipſam

Ma-

Marufii ripam, grandis Basilica, & Benedictinorum Abbatia a Divo Gerardo condita erat. Huc facit arbitror, quod refert Provinciæ CSANADIENSIS Scriptor: extare nempe ampliffimæ molis (quam ille Præposituram vocat) CSANADINO in oppido rudera, atque isthic olim, anno videlicet MCCXC. conditum esse Ladislaum Regem IV. Stephani V. filium, haud procul Kereftzfeghienfi castello, in commissio cum Cumanis prælio cæsum. Vetusius est, quod de Abæ Regis facinore memoratur. Elegerat is CSANADINUM pro Regia, cumque Procerum nonnullorum initam conspirationem cognovisset, eorum quinquagenos, quodam verni jejunii die, sub obtentu tractandorum consiliorum in Aulam accersit, atque conclusos palatio, ab irrumpente Prætoriana cohorte præcipit enecari; quæ in vulgus, crudelitas initeritum ei accelerasse IV. Regni anno existimatur; quamvis factum ejus exculpent nonnulli, eo præsertim argumento ducti, quod ab ipso Numine defensum sit, servato bene diu ejus corpore incorrupto. Cum enim post aliquot ab obitu annos ornatiori inferendum Mausolæo, atque in Saariensis Cænobii Templo condendum levaretur, obductæ cicatricibus plagæ repertæ sunt, Regiumque cadaver non corpore duntaxat, sed amictu etiam repertum est integrum. Adhæc Comititia aliquoties collecta CSANADINUM accepit hospitio; primum Rege Petro; deinde anno MCCCCXCV. sub Wladislao II. alia deinceps. Visèbatur & Odæum CSANADINI, Marianis honoribus sacrum, in quo, teste Ladislao Turoczio, nox, ac dies perennes Deiparæ dabat laudes, quodque memoratu dignius; in Episcopio CSANADIENSI primum MARIAM Magnam Hungarorum Dominam dictam esse; id quod alii Albæ-Regalis evenisse contendunt. Alterius Præposituræ (laudatus Thuroczius Abbatiam Cisterciensium vocat) in Oppido EGRES, tribus circiter milliaribus CSANADIENSI a Civitate remoto, tenues extant parietinæ. Fundarat illam amicum illud Nobilitati Hungaræ nomen Andreas II. exeunte sæculo XII. in ea septimo post lustro, ad finem deducto, tumulandus. Præst Provinciæ huic e Privilegio Supremi Comitatus dignitate Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Nicolaus Stanislavics, Episcopus CSANADIENSIS, Administrator Valachiz, Sanctissimi D. N. Papæ Prælati Domesticus, ac Pontificii Solii Assistent, nec non S. C. R. Majestatis Consiliarius, de Hungaria, Augustissima Domo Austriaca, tota adeo re Christiana eximie meritis, detectis
cum

cum alias, tum præcipue postremo bello, Turcorum consiliis, ac molitionibus, ne lateret Strategos, quibus potissimum plagis incubitura esset ea barbarici Martis procella.

CAPUT SECUNDUM.

DE

Comitatibus CSONGRADIENSI, BEKESIENSI, ARADINENSI, ZARANDIENSI.

§. I.

De Comitatu CSONGRADIENSI.



Minimus locorum, quæ habitentur, numero Comitatus CSONGRADIENSIS nomen traxit ab oppido CSONGRADO, hodie admodum tenui, olim arce quoque munito, multæ, ob vicinum Tibiscum, opportunitatis. Pro limite habet Marusium a meridie; ac occafu minores; Majores Cumanos a feptentrione; ab ortu Comitatum Békeffienfem. Spargitur per utramque Tibifci ripam, ulterioris tamen oræ Provinciis accensendum putavimus, quod laxiore illic agro protendatur. Plures numerat fluvios, rivosve, quam civitates, oppida pagos. Nam præter Marusium, quo claudi Provinciam hanc a meridie diximus, interluunt eandem Tibifcus, Crifius, Kurcza, Vidre, Veker, Kórógh, Kontra, Nyalas-Ér, & Szaraz-Ér, qui ficcis etiam tempeftatibus magnam partem, dimidiam vero fat amplæ fpatii Regionis oplent, ac inutilem reddunt, fi copiofiore intumefcant imbre. Ex adverfo unam duntaxat civitatem Szegedinenfem; Vásárhelynum, & pertenuæ CSONGRADINUM oppida; Szentes, Mindszent, Al-Gyö, ac Tápe vicos ambitu fuo comprehendit. Anguftum rei familiaris ftatum, Provinciale Refcriptum eo æftimandum proponit, quod VASARHELYNUM fexcentis fere, iisque magnam partem fubterraneis confans gurguftiis oppidum, dimidium contributionis, ut minimum, ferat onus. Supremum Comitem CSONGRADIENSIUM agit Illuftriffimus D. Comes Stephanus Haller de Hallerkö, S. C. R. Majeftatis Confiliarius, & Equeftris Militiæ Supremus Vigiliarum Præfectus.

PARS I.

B b b b

§. II.

§. II.

De Libera, Regiaque Civitate SZEGEDINENSI.

PRæcipuum CSONGRADIENSIS Comitatus, totiusque Tibiscanæ oræ decus erat SZEGEDINUM, cum haud inveniusta Civitate Castrum. Conditum est ad ostia Marusii, Tibiscum subeuntis. Amplissima sunt, quæ in illud a remotiori ætate conferuntur, ornamenta. Sane Wladislao I. Rege inter celebriores Urbes habebatur; in qua procusa est pax cum Turca, cujus, temere violatæ idem Rex cum Nobilitatis flore ad Varnam pœnas dedit anno MCCCCXLIV. die X. Novembr. Civium frequentiam duo commendant: alterum, quod ætate Ludovici I. quum Bulgari, aliique hostes finitimi Belgrado imminerent, quadraginta admodum piscatorum SZEGEDINENSIUM millia, lembis piscatoriis devecta, præstantissimam obsessis attulisse opem scribantur a nonnullis, id quod sane arduum est creditu; alterum, quod plura vicenis Tempa numerarit, quorum bina duntaxat supersunt, Parochiale nimirum, Divo Demetrio sacrum; ac B.M.V. ad Nives dicatum, Seraphici Patris Filiorum. Celebrasse in hoc ferunt Corvinum Regem Comitata, in cujus rei testimonium Regium paludamentum in Sacerdotalem amictum (Planetam dicimus) accommodatum, gemmisque grave exhibetur. Annectitur Templo huic Aula, vulgo Auditorium, trium facile capax millium; in quo per ætatem ad populum verba faciunt sacri Oratores. Castrum quod attinet, Leopoldopolitano illud jure componas; quin imo reperti sunt, qui amplitudine nihilo Vindobonensi concedere assèverarint. Bina propugnacula longius infra Tibisci aquas procurrunt; cætera munitio Caroli VI. Cæsaris potentissimi, ære convaluit. Damna bellorum, quæ tulerit campus hic, utriusque Martis fortunæ, operose narrat Istvánffius. Insolentius Alis, Budæ Præfecti, facinus sua intra pomæria vidit anno MDLI. Posteaquam enim in nostros, a nuperrima victoria rerum incurios, impressionem fecisset, ac victoria, sane haud incruenta, potitus esset, cum XL. signis militaribus absectos nostrorum cadaveribus quinquies mille nasos in argumentum feliciter gesti, quam reapse erat, prælii, Constantinopolim perferendos misit.

§. III.

§. III.

De Comitatu BÉKESIENSI.

Quo Inclytæ BÉKESIENSIS Provinciæ studium in commoda Patriæ
 luculentius innotescat, pulcherrimoque hoc exemplo incitentur, qui-
 bus nondum visum est referare scrinia, ut inde protracta Majorum decora,
 fines Regionum, locorum positus, opportunitates, variæ conversiones, bel-
 li, & fortunæ vices, cætera publici juris fiant, iisdem damus verbis laudatæ
 Provinciæ descriptionem, quibus eam nitide concinnavit domesticus ejus
 Scriptor. Sic autem ille : „ Post fatalem illam ad Mohács Hungariæ illatam
 „ cladem, potiozem, succedentibus annis, ejusdem partem occupante, & per
 „ complures annos usurpantē Turca, multi, qui eandem in suas regiones distin-
 „ ctam, aut describere, aut in mappis exhibere conati sunt, BÉKESIENSEM
 „ Comitatum, aut e numero cæterorum omiserunt, ejusque loco Toronta-
 „ liensem collocarunt, aut Torontaliensem, ipsi conterminum, falso esse exi-
 „ stimarunt. Cum autem Comitiorum anno MCCCVIII. celebratorum,
 „ Arlus XVI, & Verböczii Catalogus, singularem semper fuisse Comitatum
 „ innuant, Torontaliensem vero juxta Tibiscum esse, extendique a vicinia
 „ Marusii amnis Danubium versus, inter Temesiensem, & Bacsiensem, Pa-
 „ ter Samuel Timon in libro suo, quem inscripsit : *Imago novæ Hungariæ*
 „ Cap. VII. clare demonstrat ; inde Geographi illi, & Scriptores, manifesti
 „ erroris argui possunt. Cingitur itaque BÉKESIENSIS Comitatus Biha-
 „ riensi, Zarandiensi, qui nunc Aradiensi junctus est, Csanadiensi item, Cson-
 „ gradiensi, & Exteriori-Szolnok Comitatibus. Ab Oppido BÉKES, ubi
 „ pervetusti Castrorum rudera extant, & tam albus, quam niger, & paulo infra
 „ celer quoque Crisii amnes concurrunt, nomen traxit. Tandem inter oppi-
 „ da Túr, & Szarvas in BÉKESIENSEM Comitatum, in ipso prædio Túr-tő
 „ amnis quoque Berettyó in Crisium se infundit. Præcipui in hoc Comita-
 „ tu nominis est Arx GYULA, ex solido quadriangulari muro etiamnum
 „ extans, & undiquaque albo Crisio circumdata. Hanc frustra tumultuan-
 „ tes Francisci Rakoczii affecclæ, factis etiam cuniculis, & acerrima sedecim
 „ dierum obsidione tentarunt, strenue præsidio Regio in eadem semet defen-
 „ dente ; ad quam ex subiecto oppido per quatuor sublicos pontes olim pa-
 „ tebat aditus. Eam ab anno MDLXV. usque MDCLXXXV. Turca

„ sub sua potestate habuit, unde, ac ex vallo, quod etiamnum visitur, oppi-
 „ di Szarvas, ubi Crisius amnis, ponte stratus erat, plurima vicinis Christia-
 „ nis damna illata. Sub cuius imperii decursu, quemadmodum BÉKE-
 „ SIENSI contiguæ, ita ipsa quoque hæc Regio, ferro, flammaque consum-
 „ ptis, aut in miseram servitutem abductis incolis, meram solitudinem repræ-
 „ sentavit; donec felicissimis Leopoldi, & Caroli VI. Cæsarum, & Hunga-
 „ riæ Regum armis Hungaria vindicata, ac tandem ditionis hujus potior pars
 „ per Augustissimum Carolum VI. Illustrissimo Baroni Joanni Georgio ab
 „ Harruckern, qui Supremi Comitatus officio, cui nunc Fran-
 „ ciscus ejusdem Filii successit, fungebatur ita præclaris ejusdem meritis exi-
 „ gentibus cum Arce, & Oppido GYULA, Domini capite, collata fuisset;
 „ ab eo enim tempore plures pagi novis incolis aucti, ac complura deserta,
 „ ex ipsa etiam Germania adductis colonis, inhabitata cum magno publici
 „ bono videre licet. „ Hæc laudatissimæ Provinciæ Scriptor non inficetus.
 Quibus adjicias: Comitatum hunc spatii sât amplum esse (nam facile in
 longum octo, sex in latum milliaria exæquat) at paucis habitari locis. Ad
 hæc Districtu (Processum dicimus) uno constat nullis peculiaribus fontibus
 balneis, montibus, vinetis, Religiofove Ordine, bene vero frumenti, pi-
 scium, pecorisque abundantia commendatur. Secundum *Gyulanum* ca-
 strum nominatiora ejusdem loca sunt: *Berénke, Csaba, Dobócz, Fás, Gyarmath,*
*Gyoma, Ladány, Ötsöd, Szarvas, Szekbalom, Tarcfad, Vary, Vész-
 tö.* De *Gyula* in Historia Hungariæ memorat Gabriel Ens, quod notato
 supra anno in Turcarum potestatem venerit non eorum virtute, verum per-
 fidia præfidiariorum. Horum Dux Ladislaus Seretius (Querecenium no-
 minat Istvanffius) ab ipsis barbaris, crimen, non auctorem, pro more suo,
 probantibus, inclusus dolio, introrsum clavis peracutis horrido, e rupe,
 actus est præceps. Alterum Attilium Regulum dices ob supplicii simili-
 tudinem; nisi ille Patriæ suæ propugnator, hic proditor fuisset. Unde ista
 Ensius hausérit, cur tam pronam in commentatore alio fidem repererit,
 non est in comperto. Propius vero est: Ignavum illum GYULÆ Præ-
 fectum, arcem annutu minorum Præfectorum dedidisse, atque contra pa-
 cta jussu Solymani Belgradi strangulatum fuisse, ut Auctor est Istvanffius
 Lib. Histor. XX.

§. IV.

§. IV.

De Novis limitibus, ac positu ARADINENSIS ET ZARANDIENSIS Comitatum.

IN unum cogo §. ARADINENSEM, & ZARANDIENSEM Comitatus; quod etsi suis hodie uterque Magistratibus gaudeat, ac discretis invicem finibus; multum tamen hi a vetustis diversi sint. Dirimebatur antehac in quatuor Processus Provincia ZARANDIENSIS, quorum duos, Boros-Jenöiensē, & ZARANDIENSEM Augusta anno sæculi nostri supra quadragesimum quarto Aradinenſi adjecit, ut inde ZARANDIENSIS, Transylvaniae Principatui transcriptus, nonnisi dimidium sui retineat, puta districtus Bradienſem, & Halmagyienſem. Ita constitutæ Regioni Supremi Comitatus dignitate præest Illustris. D. Georgius L. B. Barcsay de Nagy-Barcsa. Nec quidquam de hac, olim Hungariæ, jam Transylvaniae portione isthic porro negotii nobis erit. ARADINENSEM, quantus jam est, quod attinet, dimidio fere sui, qua præsertim Transylvaniam attingit, in montes affurgit, sylvis opacos, & luxuriantibus vallibus interceptos. At altera ejus Regio in æquora camporum diffunditur, interque feliciores totius Regni hujus oras habetur, præter minores amniculos Marusio, albo, nigroque Crisiis irriguus. Coercetur a meridie Marusio, speciosissimis (ita de eo Scriptor domesticus) & varii generis piscibus abundante, atque a Banatu Temesiensi sæcernitur; ad occidentem Csanadiensi, & Békiesiensi; ad Septentrionem Bihariensi Comitatu; ad orientem Principatui Transylvaniae collimitaneus est. Redegit hæc plagas in eam formam, qua hodie gaudent, cæterorum Hungariæ Comitatum consimiles, retrusis ad limites confinariis, Excellentissimus, ac Illustris. D. Comes Antonius Grassalkovics de Gyarak, Cameræ Regiæ Hungariæ Præses, Sacratissimarum Cæsareo-Regiarum Majestatum Actualis Intimus Consiliarius, nec non Comitatus ARADINENSIS Supremus Comes, cujus altissimam vim consilii, moderationem, sapientiam, rerum gerendarum felicitatem, pedisequam virtutum fortunam, religionem, justitiam, nemo non suspicit, veneratur Hungaria, amat Augusta.

§. V.

De ARADINO.

ARADINUM, cum castro oppidum, cognomini Provinciæ nomen impertivit. Affidet amni Marusio, cujus aquis, in fossas immixtis, undique ambitur. Per Turcæ tyrannidem munitio hæc firmiores inter habebatur; convaluit amplius Carlovicensi a pace, qua Hungariæ reddita est, & propugnaculis aucta, ut in iis censeretur castris, quibus fines nostros tutaremur, ne barbaro Temesiensi præsidio paterent ultra Marusinae regiones. Tentatum est obsidione Rakoczianorum anno istius sæculi septimo ARADINUM; verum cladem, quæ parabatur, dedit, non accepit. Non perinde faustus ad gloriam illuxit oppido eidem annus MDCCXXXV. Namque Pero, natione Rascianus, Regia isthic stipendia merens, & honoribus Præfecturæ militaris auctus, factus est cum Sebestyénó, Calvini asseda, coryphæus seditiosi tumultus, quo primum interamnana Crisiorum plaga, mox vicinæ quoque exardescere occæperunt; oppresso Provincia-
 lium Magistratuum vigilantia plebejæ factionis molimine in exortu. Vide hæc apud Samuelem Timon in Epitome Chronologica rerum Hungaricarum ad prædictum annum; ubi una eorum invenies præmia, qui operam, ac fidem, in profliganda seditione plebeja luculentius probaverunt. Locus, de quo loquimur, mercatui peridoneus est, ob fluvii, cui adhæret, opportunitatem. Illustrabatur quondam insigni Præposituræ Sacerdotio, ac nobili Capitulo, quorum utriusque decus detraxit Turcicus dominatus. Præpositi non modo eximii erant a Dioecæsani Csanadiensis (cujus limitibus comprehenditur ARADINUM) jurisdictione; verum & Regionum sæpe Vice-Cancellariorum honoribus exculti fuisse leguntur, per remotiora tempora. Exercente has in Regiones tyrannidem Turca, nihilo mitiora ARADINO, atque cæteris munitioibus incubuere damna.

§. VI.

De VILAGOS - VARINO.

VILAGOS-VARUM, deliciosum olim, hodie excutiens squallores Turcicos oppidum, ardui, præaltique montis verticem coronat castrum: A luce sic appellatum est, quod ad XII. miliaria nostratis mensuræ,
 aspe-

aspectabile fit. Amœnitatem loci æstimare hinc licet. Accedunt rivuli, petrosi in montibus orti, nativo sapore, ac piscium præstantia insignes. Ad occidentem latissime patentes campos despicit; reliquæ regiones vinetis consistæ visum oblectant. Superfunt excedentia memoriam grandia trium Basilicarum rudera, exiguis invicem spatiis dirempta, de quibus conjectare non vacat. Castro, cujus descriptione occupamur, arte, naturaque prævalido, famam ultra belli fortunam peperit captivitas Michaelis Szilagii, Corvini Regis Avunculi. In libertatem a Michaele, thronumque Hungariæ assertum esse Mathiam nemo non novit; nihilominus quia licentiam adolescentis liberius interdum castigabat, eo maledici adduxerunt præservidum juvenis Regis animum, ut illum Corviniani nominis Tutorem, ac innumeris subducti periculis Mathiæ ex vero Patrem, in vincula non dubitavit conjicere, vitæ adeo imminere crederetur. Id perlata ad carceris Præfectos literæ condocent; a quo tamen sanguinario consilio plerique Mathiam vindicant, crimenque in æmulos Michaelis rejiciunt. Quidquid hujus fuerit, Zilagio libertatem, ac arcem reddidit coquus. Quum enim post acceptas Regio nomine signatas literas, quibus de medio tolli jubebatur Michael, ad explorandum Mathiæ animum abscessisset Gregorius Labathlanus, alter Præfectorum arcis, & custodiæ Zilagii, hujus coquus, fidei juxta, & astus compos, cum tribus conservis in libertatem Heri consilium, improvissam Turcarum incursionem conclamat. Valuit commentum ad educendum e castro Præsidium, ut grassatores reprimeret. Postquam arce egressa est cohors præfidiaria, coquus cum suis a tergo portam obstruit; pauculos, qui remanserant, resistereque attentarunt, cædit; carcerem effringit; Herum libertati reddit. Hunc in modum ex insperato potitus arce sua Michael, rustica manu, sibi fidissima, comitatibusque complet, oppidum, clientelis, ac suis legionariis communit, Mathiam de gestis edocet; ac præterquam, quod se plus coquo suo, quam immortalibus beneficiis obstricto nepoti debere significaverit, nihil per intemperantiam agit. Mathias ex adverso non doloris, verum lætitiæ signa dedit; sævitiam obtrektorum culpa, & artibus patratam professus est, nec aures maledicis deinceps adhibendas, luculentius tanto casu edidit.

§. VII.

De RADNA, SOLYMOS, BOROS-JENÖ, cæterisque Comitatus ARADINENSIS præcipuis locis.

Oppidum RADNENSE, adhærens Marusii ripæ, prodigiis clara Deiparæ Virginis icone memoriam emeruit. De hoc cœli palladio frequentia notat Provincialis Scriptor: Obtinente Turcica tyrannide ad Claustrum Patrum Franciscanorum Bosnensis Provinciæ propter montium radices in exiguo Sacello revelata Imago Beatissimæ V. MARIÆ, innumeris ad præsens usque tempus miraculis clarescit. RADNAM inter, cum castro SOLYMOS, ab ortu solis in præcelsa rupe eminente, Lippamque, Banatus oppidum, tantum intercedit spatii, quantum fat est alveo Marusii, meridianum RADNÆ latus allambentis. SOLYMOSIAM ultra arcem tribus circiter milliaribus Hunyadiensem Transylvaniae Comitatum versus, vetustioribus sæculis celebre, nunc exiguum oppidum TOTTVARADGYA in amœno colle arcis ostentat rudera, totique Districtui nomen impertit. Haud procul inde auri lotura dives, minore, quam addeceret studio urgetur. Aradino ad ortum objicitur, duobus milliaribus MÉNESIUS vicus, a præstantissimo rubro vino celeberrimus. Fragrantia fertur æmulari aromata, amœnitate solis concedere Tokainis. Supparia Ménesiensi sunt alia quædam hujus Provinciæ vineta, MOKRANENSE præsertim, BOROS-JENÖIENSI agro vicinum. Porro BOROS-JENÖIENSE oppidum non vino duntaxat, sed arce quoque fuit illustre, quam immixtis in fossas aquis undique ambiebat Crisus albus, Hungaris *Fejer-Körös* dictus: VINATICA JENÆA (Patrio idiomate *Boros-Jenö*) tribus fere milliaribus Biharienses alpes versus in summitate scopulosi montis eminet castrum DESZNA, amœnis vallibus, ac limpidissimis rivis deliciosum, trutisque inusitatæ magnitudinis, caldis, auri lotura, & ferri secturis dives. De ZARANDINO, cognominis Provinciæ, ARADINENSI, uti monueram, adjunctæ, Metropoli, terreis munito propugnaculis, PANKOTaque, ab insigni Abbatia, & vinis rubellis perinde, ac albis memorabili oppido; tum retruso peramœnos intra montes vico ARANYAG, auri venis opulento, plura dicenda forent, nisi brevitatis rationem haberi oporteret.

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Castro, & Comitatu BIHARIENSI.

§. I.

Nomenclatio, limites, opportunitates, & Supremus Comes Comitatus BIHARIENSIS.

BIHARIENSE castrum, a quo nomen sumpsit Provincia, vetustissimorum unum esse, prodit Anonymi, Belæ Regis Secretarii, Hungariæ Ducum Historia. Habet is Cap. XIX. ac XX. annum circiter DCCCCIV. BYHORIENSIS castrum Duce Menemorout fuisse, a quo Arpadius, Dux Hunnorum, jure Athilæ, sui Atavi petierit sibi concedi terram ab amne Samusio usque ad confinia Nyiri & Portam Mezesinam. Virilioris erat animi Menemoroutus, quam ut primis deferret Hunnorum postulatis. „ Dicite, ajebat ad „ Legatos, Arpadio, Duci Hungariæ, Domino vestro: Debitor sumus „ ei, ut amicus amico in omnibus, quæ ei necessaria sunt, quia hospes homo est, & in multis indiget; terram autem, quam petivit a nostra gratia, nullatenus concedimus, nobis viventibus. Hoc etiam indigne tulimus, quod Salanus Dux (puta Titulensis) ei concessit maximam terram, aut propter amorem, quod dicitur, aut propter timorem, quod negatur. Nos autem nec propter amorem, nec propter timorem ei concedimus terram, etiam quantum pugillus caperet, licet dixerit, jus suum esse. Et verba sua non conturbant animum nostrum, eo quod mandaverit nobis, se descendisse de genere Athilæ Regis, qui flagellum DEI dicebatur, qui etiam violenta manu rapuerat terram hanc ab Atavo meo „ &c. Mirum, quam acerbum vulnus hæc animi libertas infixerit Arpado, cæterisque Hunnorum primoribus. Quare in detrectantem imperata facere, expeditionem constituunt, copiisque præficiunt Tosu, Patrem Lelu, & Zabolſu (Zabolch) filium Eleud, a quo genus Saac (Csák, seu Csáky) descendit. Hæc Nobilissimæ, ac omni ævo florentis prosapiæ origo repetitur sexto quoque ejusdem operis Capite, quo primus ab Arpa-

do, Duces inter ponitur Eleud, Genitor Zobolſu, cujus ampliffimis laudibus non eſt in præſens immorandi locus; verum BIHARIENſE ad caſtrum tantisper regrediendum. Terrei, opinor, aggeres illi, qui BIHARIENſE ad oppidum etiamnum eminent, veterrimæ illius munitioſis ſunt reliquiæ. Appellatus hoc a caſtro Comitatus jungitur ab ortu Tranſylvaniæ, ab occaſu majori Cumanæ, ac Békeſienſi Comitatu, a meridie Aradinenſi, a ſeptentrione Karasznenſi, & Medio-Zolnokienſi; vino, frumento, pecore, agri laxitate, filvis, feris, avibus, præſertim paluſtribus, & campeſtribus, ferri, cupri, alabaſtri, marmorisque, variorum, ac probatiſſimorum colorum, prædives: Supremo Comite gloriatur Excellentiffimo, Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D. Paulo Stephano e Comitibus Forgách de Ghymes, DEI, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epifcopo Varadinenſi, a ſacratioribus Auguſtæ Conſiliis, Præſato dudum ad Dioceſanas Infulas expetito, tandem, urgentibus meritis, noſtræ huic dato; quam dum vicaria pro Antiſtite poteſtate gubernaret, ſingulari zelo complexus eſt, revocatis præſertim a Schiſmate bene multis Curionibus, ac Paræcis. Ampliſſima ſunt, quæ partim jam effecta dedit, partim molitur pro DEO, animabus, & Eccleſiâ; quibus, potiſſimum vero alieniſſimo ab ambitu animo, emeruiſſe fertur, ut primorum ſæculorum Antiſtitibus componeretur a Papæ ad Auguſtam Aulam Oratore.

§. II.

De Civitate, & Caſtro MAGNO-VARADINENſI.

NAtalem ſuum Sancto Regi Ladislao refert in acceptis MAGNO-VARADINUM, Epifcopale, atque præcipuum Comitatus BIHARIENſIS oppidum. Dum hic in locis venatu ſe exerceret Rex ille Thaumaturgus, Divinitus admonetur, ut ad amnem Chryſium, quem a curſu præcipiti celerem appellant Hungari, Magnæ Hungarorum Dominæ Baſilicam ponat ædem, eamque condita civitate faciat frequentari; locum hunc fore ſanctiſſimæ Virgini gratiſſimum, atque ſub peculiarem ejusdem protectionem conceſſurum. Paruit cœleſti nutui Ladislaus; Ædem pro grandi ſuo in MARIAM amore undique Regiam conſtruit ſub annum MLXXX. aut verius MLXXXIX. poſt devictos Cumanos; populum in frequentem adunat civitatem; addit Epifcopium, quod cenſu hodie cæteris Hungaricis

præ-

præstat, & Sacrum Canonorum Presbyterorum Collegium Urbano II. Divinum piissimi Regis opus probante. Placuisse cœlo illustre istud Religionis, ac Ladislavianæ in Virginem pietatis monumentum cum sæpe alias patuit, tum maxime, quando Sacrum Thaumaturgi Fundatoris corpus impositum curru ad hanc Dominæ suæ ædem sine jugalibus devehî summa cum admiratione conspectum est. Depositum sacrum hoc pignus est regia, sanctaque pompa in præparato Mausolæo, ad quod Davidici decantabantur Psalms, die, nocteque alternante choro. Nihil jam reliquum est augustæ molis, ac primæ civitatis, in quam ter flamma, ferroque sævierunt Tartari, Bela IV. regnum obtinente, sæpius Turcæ, &, his nihilo in sacra mitiores hæretici. Reparavit ruinas, deterfitque squallorem Bela juxta, Corvinusque, qui in gratiam Joannis Vitézii, sui quondam in literis Magistrî, tunc VARADINENSIS Episcopi, universam BIHARIENSEM Provinciam anno MCCCCLXIV. Episcopatus attribuisse fertur; id quod ego refero ad collatum Episcopis Supremi Comitatus munus. Convaluit luculento hoc munere prima amplissimi Sacerdotii dignitas, ac Templi nitor, quod sacra suppellectili, oppidum ædibus auxere Præsules, nominatim Sigismundus Turzo, famosus ille Georgius Monachus, postea S. R. E. Cardinalis, Csáky, reliqui. Proditur: Sigismundi quoque Imperatoris, & Hungariæ Regis in Ladislaviana Basilica conditum esse cadaver, quod argumento est, beneficium in VARADINENSES Regem illum, dum vivebat, fuisse. Quid si susceptum a Corvino arcis muniendæ consilium promovit, aut grandem illam ex ære conflata equestrem S. Ladislao statuam posuit, quam Calviniani, nulla sancti Regis reverentia moti, comminuerunt anno MDC. nisi mavelis facinus hoc a barbaris patratum credere; qui præter alios ingentis pretii thesauros, e cryptis Mariani Templi tria quoque Diademata, probatissimis distincta gemmis, abstulere. Arx, qualis hodie cernitur, sex propugnaculis firma est, quorum unum *Aranyos-bástya*, hoc est, aureum propugnaculum ab incolis vocatur; in quo sacra Divi Regis Ladislavii ipsa post everfam Marianam Basilicam asservabantur, qua de re mox plusculum. Castrum defensionis Templi, Episcopii, ac Domiciliorum, quæ incolebant Canonici, constructum erat principio, subinde translato in ulteriorem Chrysi ripam oppido, constructoque, quantum patiebatur difficultas temporum, commode Cathedrali Templo, in iis VARADINI

regionibus, quas *Olaszinam* & UJ-VAROSIAM dicunt, suo cum Præsule Canonici quoque sparsim habitant. Oppidi, in tres majores vicos secti, pars est Episcopi, pars Canonorum. Per iniquiora bellorum tempora in profanorum venit potestatem. A Joanne Rege Cibaco Italo, homini profano, collatum est anno MDXXVII. cujus zelo res Catholica strenue defendebatur universam per Diocesim. A Ferdinando deinde I. ad Isabellam Stephani Zapolii, Transylvaniae Principis Parentem transit anno MDLVI. hac mortua ad coronam; quo tempore arx quoque confirmata est, a Turcis occupanda annum circiter MDXC. Portendisse cladem hanc, superioribus majorem, creditum est monstrum, duplici e corpore concretum, quod nec mas, nec femina erat, ac linguam instar anhelantis canis identidem exertabat. Rursum anno sæculi XVII. sexto concessit arx cum ditio- ne in jus Bocskaii, Transylvaniae Principis, post acerrimam XL. dierum oppugnationem Turcis dedenda anno MDCLX, iterumque ad Christianos secundo supra tricesimum post anno reditura. Aer inter graviores Hungaricarum Civitatum habetur, quod ego lacunoso solo, per nimios solis ardores æstate putrescenti, attribuerim. In vicinia triplices sunt balneæ, quarum illæ ad prodigium salubres, quæ a S. Ladislao nomen habent. Limus præ aquis earum conducit ægris. Vinum, quod proferunt colles adfiti, calce scatet, nec Chrysius optimos fert pisces; at in paulo remotioribus rivis, in Districtu præsertim Belényensi, præstantissimi saporis trutæ, cæterique consimiles non avare veniunt in retia; & salubriori musto vicinorum agrorum torcularia madent.

§. III.

De Sacris S. Regis LADISLAI, & D. AGATHÆ Virginis, ac Martyris Lypsanis.

Singulari Numinis providentia conservatas esse Mariani Regis LADISLAI sacras Reliquias, in descriptione Jaurinensis civitatis meminimus. Rem tantam paulo altius repetere juvat, Duce potissimum Samuele Timon, ac Paulo Ivanicio Zagrabiensis Diocesis Presbytero, & Altaris S. Pauli, VARADINENSIS Ecclesiæ Rectore. Refert is in Scholio, quod subtexuit quartæ Joannis de Zredna (qui fuit a secretis Gubernatori Hunniadis, vel
ut

ut ipse loquitur : Cancellariæ Regis Hungariæ Protonotarius) epistolæ : Unam turrium Cathedralis VARADINENSIIUM Ecclesiæ die Dominico, cujus in Missæ sacrificio prima vox est : *Judica* anno MCCCXLIII. corruisse, suoque pondere subjectum sibi sacrarum vestium conditorium (Sacrificiam dicimus) in quo caput, & brachia S. LADISLAI, brachium item S. AGATHÆ fidelium venerationi exposita erant, ad ipsum usque solum secum in ruinam traxisse. Didit tam funesti casus rumore, concurrunt tota urbe; mœstissimus obtritæ sacerrimæ gazæ miscetur clamor; vindicandorum, si qui superarent, sacrorum cinerum ardore admovetur manus mille prope hominum; acervus lapidum evolvitur a meridie ad occasum; scrinia, sacerrimi cymelii conditoria inter planctus, ac piam complorationem ob amissum, ut rebantur, nullo æstimabilem pretio thesaurum, contrita, venerabilibus exuviis vacua deprehenduntur, quod illas eo non reposuerit Curator, dimidia ante ruinam hancce hora, diuturna venerabundi populi expectatione fatigatus, aut ne horam prandii negligeret. Favet religiosus tot hominum gemitibus cœlum, reperitur primum caput sanctissimi Regis, ne minima quidem sui particula læsum, etsi illi lapis incumberet, qui humanis nequibat brachiis ambiri. Eadem integritas intra medias ruinas reperto utrique S. Ladislai, & Divæ Agathæ V. M. brachio isthuc Aradino ob imminentium Turcorum metum translato constitit. Tam inusitato prodigio succensa Episcopi, plebisque pietas in dulces colliquecebat lacrymas, ac in continenti ad vicina Templâ deductis supplicationibus reddebantur DEO gratiæ, qui luculento hoc miraculo sacras exuvias conservavit. Suppar est, quod accidit sæculo superiore. Quum enim Georgius Rakoczius, Transylvaniæ Princeps Hæterodoxus, VARADINENSEM in arcem dominaretur, novumque propugnaculum erigi curaret e Basilicæ ruderebus, contigit, ut ergatæ cryptam lignibus aperirent. Miro lumine repletus extemplo locus est, in cujus primo aditu, secundum alia, repertum est imperiale sceptrum cum pomo, ac delatum ad Principem. Ille res universas tum repertas, in eundem reponi locum, concludique jussit. Usi sunt hac occasione Stephanus Petkius, & Gabriel Hallerus Catholici Transylvani, summi apud Rakoczium Ministri, Lypsanaque D. Ladislai exemerunt, atque per duos maleficos, postridie neci dandos (ne res in vulgus spargere-tur) in aureo propugnaculo, bene munita nucea arcula, condenda curave-

runt. Cryptam illam vix quinque passibus distare a domo, quam Societas JESU in castro possidebat, intra pallatium juxta portam, ingredientibus ad dextram, notat in manuscriptis fuisse sitam P. Timon. Infeliciter, deinde signa cum Turcis contulit Rakoczius, a pugnaque lethali vulnere fauciatus VARADINUM deportatus ab hominibus abiit, expetito avide Catholico conscientiae arbitro. Affuit morienti Anna Stephani, quem nominavi, Petkii filia, Georgio in paucis chara. Aliquot illa dies flendo consumpsit, jacturam Domini amaro ferens animo. Redeunte malacia, aspectabat propugnaculum aureum, questus, ac planctus amoenissimo per vices rifu interpollans. Pater alternos natae animi motus demirans, rogat: undenam hæc subitanea lacrymarum in gaudia commutatio nasceretur? cui illa: Dulcissime Genitor, video propugnaculum aureum cœlesti lumine, & fulgore circumfufum; idcirco subit cogitare, Principem, ac Dominum nostrum cœlesti jam gloria perfrui, cujus radios quosdam ad nos demittit. Rursus natae Genitor: erras, inquit, filia; non est hic splendor animæ Principis, verum S. Ladislai Regis, cujus ego cum Hallero prodigiosas exuvias illic sepelivi. Tu locum nota, dum vivas, & ad Romanos Principes redeat castrum. Produxit ætatem Anna ad annum sæculi nostri secundum, remque, ut gesta est, pluribus narravit. Ad concilianda hæc cum illis, quæ in civitatis Jaurinensis descriptione retulimus, meminisse oportet: Sacri duntaxat capitis illic fieri mentionem, ac proinde brachia, minoresque particulæ relictæ fuerint ab anno MDC. ad motus Georgii Rakoczii; atque ita utrique Historiæ sua affirmatur fides.

§. IV.

De Religiosis Ordinibus, VARADINUM incolentibus, ac rebus a Petro Pazmano præclare gestis.

ANno MCCCXLII. in honorem S. Annæ Claustrum erexerat D. Clarae Sororibus Andreas, filius Briccii, VARADINENSIS Episcopus in hac suæ fedis civitate, de cujus loco non est, qui faciat mentionem. Equidem ineunte hoc sæculo eminebant ad arcis portam parietinæ Asceterii, ac Templi; cujus prædivites cryptas spoliare occæperat, at prohibitus est

Legio-

Legionarius miles ; verum hoc Sancto Spiritui consecratum erat. Pfallebant quoque duobus in Claustris Paulini Eremitæ, puta in Kápolna, & ad D. Hieronymi, sed & hi nonnisi unum, quasi postliminio recuperarunt fundum, verius novum obtinuerunt, gratiis potissimum supra laudati Excellentissimi, Illustrissimi, ac Reverendissimi D. VARADINENSIS hodierni Præfulis, cui suam in erudiendo juniore Clero operam probant. Ipsa Præpositura S. Stephani Proto-Martyris de Promontorio VARADINENSIS, ubi primum in Hungaria nacti sunt Præmonstratenses Domicilium, cujusque Præpositus, secundum a Supremo Ordinis Moderatore locum Generalibus in Comitibus habet, eversa erat ; quæ tamen, mutato primo positu, redditur nitore pristino, adnitente Reverendissimo D. Hermenegildo Mayr, Sacri, Candidissimi, ac Exempti Ordinis Præmonstratensis Canonorum Regularium Regiæ Lucensis Ecclesiæ Abbate, Marchionatus Moraviæ Prælate, Vratislaviæ ad S. Vincentium, Griffii, Jassoviæ, & Leleszini Patre Abbate, S. Stephani de Promontorio VARADINENSIS Præposito, ejusdemque Sacri Ordinis per Hungariam perpetuo Generali Vicario S. C. R. Maj. Consiliario. Cruciferi adhæc, & Moniales, nisi fallor, Dominicanæ ad S. Joannis Baptistæ intra limites VARADINENSIS agri ad annum circiter MDL. degebant, quorum Domicilia nec rudus prodit. Ætate hac, præter laudatos binos Ordines candidos, ornant *Ujvarossiam* Regionem, Capucini ; *Olaszínám* Franciscani, Clericorum Secularium Seminarium, ac PP. Societatis JESU. Advocarat hos Stephanus Bathorius, Poloniæ Rex præstantissimus anno MDLXXXV. ne vero firmaretur Collegium, Religiosissimi Monarchæ conatus mors abruptit. Peræque beneficium nacti sunt Socii Leopoldum M. & Augustinum Benkovicium, loci Antistitem ; quorum largitate census Verbi Divini Præconibus, ac mansuetiorum literarum Moderatoribus attributus est. Levavit rei familiaris, & Lycæi angustias, ac nitidiorē permutavit structurā, Illustris. ac Reverendis. D. Joannes Okolicsány de Eadem, quum isthic Episcopium obtinebat. Auxilio compendia Excellentissimus quoque, & Reverendis. tunc VARADINENSIS Præful, jam Colocensis Archi-Episcopus Nicolaus e Comitibus Csáky, compluresque alii de Sacro Canonorum Collegio. Moneor Domicilii hujus Religiosi mentione, ne præteream præcipuum VARADINENSIS Urbis apud Eruditos nomen, Petrum Cardinalem Pazmanum, qui primam
isthic

isthic lucem aspexit. Viri hujus de Hungaria, universaque Ecclesia longe meritissimi, quoniam sæpius rediit memoria, æquis rerum æstimatoribus non multum ab instituto deflexisse videbor, si ejus vitæ, rerumque præclare gestarum Synopsis, e Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU, & nonnullis aliis, sed perinde exploratis notitiis, hanc in paginam conjecero. Fretus ea, facilius in veniam Lectorum, indulgentia, rem aggredior :

„ **P**etrus Pazmanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Archi-Episcopus
 „ Strigonienfis, Regni Hungariæ Primas, atque summus Cancellarius,
 „ natione Hungarus, Patria VARADINENSIS, in lucem editus est anno
 „ Christi MDLXX. Patre Nicolao Pazmano, e vetustissima Hunt-Pazna-
 „ niorum Proſapia, Matre vero Margaritha, ex Italicis Marchionibus Maſ-
 „ ſæ. A prima statim ætate dum Græci in Styria literis operam navat,
 „ Societatem JESU complexus, tantos fecit in literaria palestra progressus,
 „ ut deligi meruerit, qui in eadem Græcensi Academia summa cum appro-
 „ batione Philosophiam, ac Theologiam publice doceret. Sed qui ejus
 „ fuit animarum zelus, & juvandæ Patriæ amor, Missionibus per Hunga-
 „ riam obeundis ita se impendit, ut eximiam suæ virtutis, & Doctrinæ
 „ commendationem apud omnes quidem, sed apud Franciscum Cardina-
 „ lem Forgáchium, Strigoniensem Archi-Episcopum, præcipue obtinuerit;
 „ qui propterea multum ejus consiliis, dum vixit, est usus. Erat namque
 „ ingenio præstantissimus, judicio maturissimus, doctrina politissimus, elo-
 „ quentia uberrimus, Theologia juxta, cæteraque omni literatura, etiam
 „ de pulpitis, & prælo dudum spectatissimus, rerum experimentis, atque
 „ usu exercitatissimus. Accessit ad cætera Petri apud Cardinalem merita,
 „ quod ejus Germanum Sigismundum, haud longo temporis intervallo em-
 „ molitum, ad amplectenda Catholica Sacra tota cum ejus Domo addu-
 „ xerit, in quo Franciscus triennem consumpsisset industriam. Has in eo
 „ dotes cum agnovissent Hungariæ Magnates, & Imperator Mathias; vita
 „ functo Forgáchio invitum, reluctanterque ab Apostolica Sede postula-
 „ runt ad Infulas Strigonienfes, ut labanti per Hungariam Catholicæ Reli-
 „ gioni humeros supponeret, quibus nullos toto Regno magis idoneos,
 „ magis oneri pares cognoscerent. Eas jussus admittere, spem, quæ de
 „ ipso erat, minime passus est esse vacuam. Hæreses, quod diu ante cæ-
 „ perat, terrere perrexit, & perfidiam profligare, tum pro suggestu publico

„ in

„ in Templis, tum privatis congressibus, tum scriptis lucubrationibus;
 „ quarum septem & decem typis in publicam emissæ lucem incredibili bo-
 „ norum omnium solatio, ac animarum proventu passim leguntur. E No-
 „ bilitate Pannonica amplius XXX. familias tempestiva comitate, & sui
 „ indulgentia, ac morum suavitate ad Ecclesiam Catholicam perduxit.
 „ Cleri Hungarici quam exactissimam formam instituit, legibus, censura,
 „ synodis, disciplina, repurgatione morum; ipse integritate venerabilis,
 „ disciplinæ rigore formidandus, honoris Divini studio fervidus. Ædificia
 „ sacra regis pene expensis instauravit, aut excitavit; Cathedralem
 „ Tyrnaviæ ædem impensis XIV florenûm millibus, non autem gran-
 „ di illa summa, quam suo loco ex infido fonte haustam notavi-
 „ mus, reparavit; Cænobium D. Claræ, & Societatis JESU Col-
 „ legium Pofonii, Szatmarinique, ac Residentiam Scepusii fundavit,
 „ Leutschoviæ locupletavit, Homonnæ restituit, Jaurini cum adversa for-
 „ tuna colluctatos Socios adjuvit; Asceterium Franciscanorum in arce no-
 „ va constituit. Demum ob meritorum magnitudinem, & spectatissimæ
 „ virtutis gloriam postulante Ferdinando II. Augustissimæ memoriæ Impe-
 „ ratore, cui Pazmanus summo erat in pretio, Romana Purpura a Summo
 „ PP. Urbano VIII. donatus est XIII. Cal. Decemb. anno MDCXXIX.
 „ quam ipse e veteris Ecclesiæ majestatem ita sustinuit, ut summum illud
 „ dignitatis fastigium religiosa humilitate decoraret. Legatus a Ferdinando
 „ Cæsare ad Urbanum Papam pro Germanicæ Ecclesiæ emolumentis, in-
 „ sui admirationem convertit urbem. Simul enim ac Romam cum CCL.
 „ Nobilibus Hungaris pro more gentis exquisite splendidis, aureis, Oldino
 „ teste, ephippiis insidentibus invehctus est, omnium oculos in se convertit;
 „ in Sacro-Sanctum illum Purpuratorum Ecclesiæ Patrum Senatuum admif-
 „ sus, se dignam oris majestatem, robustam eloquentiæ vim, profundam
 „ omnis sapientiæ humanæ, ac Divinæ ubertatem, singularem prudentiam,
 „ in urgendo dexteritatem, absolutissimam denique in uno homine & Prin-
 „ cipis, & Religiosi formam exhibuit. Societatem JESU, quam Matrem
 „ suam, & agnovit semper, & appellavit, diligique ab se velut animam
 „ suam in Fundationalibus professus est, benignissime fovit, & beneficiis
 „ profecutus est. Quantum, boni Superi! de una meritis est Tyrnavia,
 „ Collegium Societatis JESU primum locupletavit, mox insigni auxit Aca-

„ demia, omnium, quæ ante in Hungaria fuerint, celeberrima. Tum edu-
 „ candæ juventuti tria Seminaria condidit. Vankerianam enim domum in
 „ formam Convictus redegit, in qua, nunc S. Adalberto devota, egenam
 „ Juventus aleretur. In Telegdianis deinde ædibus, egregia dote instru-
 „ ctis, Nobiles Convictores aluit. Stephaneum denique Seminarium om-
 „ nibus præfidiis ad vitæ Clericalis usus necessariis affatim instruxit. Majo-
 „ ribus impendiis Viennæ Auftriæ fundavit pro Clero Hungarico Colle-
 „ gium, regia prorsus munificentia erectum, amplissimisque dotatum,
 „ sumptibus, quod a suo nomine Pazmanianum dici voluit. Ob hoc uni-
 „ cum opus, mirum, quantum illi debeat universa, quam late patet, Hun-
 „ garia. Demum cum nova moliretur in dies ad amplificandam DEI glo-
 „ riam, & Ecclesiæ Romanæ dignitatem, paucis post piissimum Cæsarem
 „ Ferdinandum II. diebus, cujus obitum incredibili sensu perceperat, Poso-
 „ nii, dum Viennam ad novum Cæsarem Ferdinandum III. consalutandum
 „ maturat, in morbum incidit, quo brevi consumptus est die XIX. Mar-
 „ tii anno salutis MDCXXVII. annos natus LXVII, humatusque Posonii ad
 „ pedem Mausolæi S. Joannis Eleemosynarii (quod ipse anno MDCXXXII.
 „ magnifice construxerat, & quidem in lignea urna, prout modestissimus
 „ Princeps in ultimis Tabulis præceperat.

§. V.

De DEBRECZINO.

DEBRECZINUM spatiis amplissima, populo frequens, immunitatibus
 libera, dignitate Regia Civitas, abscedit Varadino in septentrionem
 VII. miliaribus, subjacetque latitudinis Geographicæ gradui 44. cum 22.
 minut. longitudinis vero gradui 45. cum 15. minut. Diffunditur patentes
 per campos, hinc inde sudibus, ac vallis, ne longius procurrat, coercita;
 planitiem, quam oculus non emetiatur, habens in obtutu, agro ad prodi-
 gium fertili, pratis, postquam adoleverunt herbæ, plaustra conspectui eri-
 pientibus, pascuis tota Hungaria celeberrimis, quæ magnam vim pecu-
 dum, probe pastarum, Germaniæ, Italiæque submittunt. Sane anno
 MDCCXXXIX. producta ultra solitum hyems, pabuli defectu plura
 octogenis faginatorum boum millia enecuit, quin defectus notaretur; eta-

te

te autem Nicolai Olahi, Strigoniensis Archi-Episcopi, Caspar Biró, familiariter Nicolao notus, sæpe centum millia boum unus agebat in pascua. Quod urbis prudentissimæ rebus officit, est perdita ad errores Calvini adhæsiō. Rupellam ex vero Hungariæ dixeris. Videre hic est Togatorum scholarium greges veterum Romanorum simios, & Helvetii Progenitoris nepotes discinctos. Nec solos errorum in Gymnasio nundinatur errores DEBRECZINUM; quoties mercatus annui dies advenerunt, celeberrimo par emporio evadit. Postremo civili bello multum passum est a Rabuthinio, Regias e Transylvania copias anno MDCCVII. reducente. Ad cætera enim damna insignis bibliotheca direpta est, cui eruditus quisque indoleat. Catholicis sacris, si quis alius in orbe Hungarico locus, infestissimum hodieque DEBRECZINUM est; nullum eis addictum patiebatur civem, dum sæculi hujus anno supra decimum quinto sacrum accipere Curionem (erat is Stephanus Keczer, jam electus Episcopus Makariensis, Cathedralis Ecclesiæ Varadinensis Præpositus Major, S. C. R. M. Confiliarius) cum Patribus Franciscanis Regni lege juberetur. Accessere subinde Patres a Piis Scholis nuncupati; quibus magnificam ædem sacram posuit Emericus S. R. E. Cardinalis e Comitibus Csáky; Nobilium autem Convictum Juvenum addidit, munificum, boni publici studium, piissimi Comitiss Stephani Koháry. Commodavit & in eo rei Catholicæ plurimum nunc laudatus Ecclesiæ Purpuratus Princeps Csákyus, quod Trans-Tibiscanæ Regionis Tribunal Regium (Districtualem Tabulam appellamus) Varadino DEBRECZINUM transferri procuraverit. Inde enim non solum fit, ut mitescant animis Helvetii; verum etiam frequentata a tanto Tribunali castissima Religionis nostræ sacra sensim æstimare condiscant. Sane superiore anno, quum hodiernus Archi-Præsul Colocensis, Nicolaus Csákyus, Varadinensis tunc adhuc Episcopus, publice in concurrentis e vicinia Catholici populi magna frequentia insigni cum pompa per plateas Civitatis hujus Eucharisticum Numen tunc primum a vulgata per Hungariam Calvini fœta detulisset, ac more Catholicis in urbibus usitato ad stationes altarium sacras obiisset cæremonias, duabus legionariorum centuriis, solutis de more sclopis, solemnitati applaudentibus, adeo tumultuati non sunt DEBRECZIENSES, ut complures piissimos ritus probarint, universa, qua Catholica est, Hungaria generosum religiosissimi Antistitis zelum collaudante.

De prædestinatione quoque sua jam eatenus remiserunt, ut scripto contestati sint, præcipuo dogmatis articulo non adversari, si quis peste correptos devitet. Fana, quæ hic frequentant Calviniani, quorumnam Divorum honoribus consecrata fuerint, dicere non habeo; ab Romanæ Fidei cultoribus condita esse, structura docet.

§. VI.

Cætera Comitatus BIHARIENSIS nominatiora loca.

NUllum Hungariæ Comitatum pluribus Religiosarum Familiarum Dominiciliis, paucos munitionibus præcelluisse BIHARIENSI, reperio; quorum illis adversus hostes inferos, istis adversum Transylvanos, & Barbaros protegeretur. Jam utrorumque vix parietinæ supersunt, si pauca demas. In his Abbatia sancti JOBI, Berettyonem ad amnem. Ejus ædes quandam pervetustæ arcis speciem retinet, vallis, sudibusque prætensa. Abest Varadino septentrionem versus, loco haud inopportuno, tribus miliaribus. Munitione hac postremum potitus anno MDCLXXXVI. Cæsariarum copiarum Ductor Caraffa, postquam fortuito injectus ignarius globus in turrim, in qua pyrius pulvis asservabatur, cum reliquo belli apparatu, præsidiariorum non paucos igne absumpsit. Qui inopinam evaserunt cladem, in fidem Victoris inviti concessere. Non perinde diuturnam ætatem tulerunt TELEGDIENSIS & BIHARIENSIS oppidi Abbatix, ac Præpositura de GABORJA; hujus enim vix quidquam præter titulum: illarum rudera duntaxat sæculo hoc supersunt. In oppidis DIOSZEGHUM, MISKE, CSATARINUM, PÜSPÖKINUM, vino; primum insuper Nicotiana præstant herba. SZÉKEL-HIDA munitio quondam fuit minime contemnenda, ad tutandum Berettyoni impositum pontem ab accoliseducta; nunc in solis ruderibus conspici potest. MARGITA denique cultu non ignobili se commendat.



CA-

CAPUT QUARTUM.

DE

Comitatibus MEDIO - SZOLNOKIENSI,
KRASZNENSI, SZABOLCSENSI,
SZATMARINENSI, UGOCSIENSI.

§. I.

De Comitatu MEDIO, seu MEDIOCRIS-
ZOLNOK.

Xiguus spatiis, nec arcibus, oppidisve frequens, aut ulla peculiari laude eminentes est Comitatus MEDIUS, vulgo MEDIOCRIS-SZOLNOK, ita vocatus ad faciendum discrimen inter exteriorem, interiorumque, quibus interjacet. De horum priore in Hungaria Interamnana sermonem habuimus, alterum in Transylvaniam rejicimus. Præcipua istius Comitatus loca sunt, HADAD & ZILAH. HADAD gentilitium est castrum Vesselenianæ Familiæ, cujus pars non minima Illustrissimus D. L. B. Stephanus Provinciam hanc supremi Comitatus auctoritate gubernat. Bellicas arcis vices percenset Istvanffius, potissimum Libro XXI. nobis pagina 268. 270. 289. ZILAHUM sacrilegus hæresios ausus contemeravit anno MDCCXLI. quum enim incolarum perinde, ac plurimorum Catholicorum, isthac commentium, spiritali commodo studens Excellentissimus Reverendiss. D. Varadinensis tunc Præsul (in cujus ZILAH Diœcesi est) jam Colocensis Archi-Episcopus Nicolaus Comes Csákyus Curiam in oppido nobilitare pretio comparasset, opera Illustrissimi D. Francisci L. B. Andrassy notæ per Hungariam pietatis Heri, in eaque sacellum construi, & qui Curionis obiret munia, Religiosum ex Ordine Seraphico Sacerdotem institui fecisset; urebat sacræ sementis proventus hæterodoxos, eoque temeritatis adduxit, ut armata manu Sacerdotem sacra cum suppellectili ejici, ædiculamque sacram demoliri, contra Nobilitaria, Regia, Divinaque Jura demandarint. Non impune abiisset impium facinus; nisi Csákiana moderatio deferendum eatenus putasset reorum precibus, ut suspensis tantisper pœnis, liteque contestata sincerus Numinis cultus amplius firmaretur.

D d d d 3

§. II.

§. II.

De Comitatu KRASZNENSI.

AB amne *Kraszna*, Mezefinis in montibus orto, qui Szatmarinensi in Comitatu ad Olcsvenſe caſtellum miſcetur Samuſio, profluxit nomen in oppidum KRASZNA, ab hoc in univerſam Provinciam. Quemadmodum ſuperior, arcis limitibus coercetur & iſta, nullis admodum prærogativis eminens. Diſterminatur a Principatu Tranſylvaniæ per memoratum montem MESZES, attingitque ab ortu Comitatum Kolloſſienſem; a meridie, & occaſu Biharienſem; a ſeptentrione Medium-Szolnokienſem. Præter Metropolitanum, SOMLYOVIENSE quoque complectitur oppidum, natalibus magnæ Gentis Bathoreorum inclytum; quamvis ornamentum iſtud alii verius conferant in vicinum SOMLYOVIENSI oppido vicum PERECSENUM, ex quo SOMLYOVIAM ſedem tranſtulerit nobiliſſimum genus illud, ad Regios honores evectum. Ultra fluvium *Kraſznam* alluitur etiam Berettyone. Fontes iſtius ſcaturiunt in montibus, a cupro (*Rész-Erdö*,) dictis; cujus alveo dirimitur a Comitatu Biharienſi. Supremus KRASZNENSIUM Comes eſt Illuſtriſſimus D. Ladislaus L. B. Bánffy de Lofoncz.

§. III.

De Caſtro, & Comitatu SZABOLCHENSI.

Inſignem virtute bellica fuiſſe SZABOLCHIUM, inter ſeptem Duces, anno Chriſti DCCCLXXXIV. e Scythia egreſſos, dignitate ſecundum, pluribus refert Anonymus Belæ Regis Notarius (in Ducum illorum Historia. Unum, quod hujus eſt loci e Cap. XXI. Iſthuc tranſcribo: „ ZOBOL- „ SU, inquit, vir ſapientiffimus, conſiderans quendam locum juxta Thy- „ ſciam, & cum vidiffet qualitatem loci, intellexit eſſe munitiffimum ad „ caſtrum faciendum. Comuni ergo conſilio ſociorum ſuorum, con- „ gregatione facta civium, fecit ſoſſatam magnam, & caſtrum fortiffimum „ ædificavit de terra, quod nunc caſtrum ZOBOLSU nuncupatur. Tunc „ ZOBOLSU, & ſocii ſui de incolis terræ ad caſtrum illud multos ordina- „ verunt ſervientes, qui nunc civiles vocantur. „ En auctorem, ac na-
tales

tales castrum, oppidique SZABOLCHENSIS, a quo Provincia cognominata est. Protenditur hæc intra Bihariensem, exteriorem Szolnokiensem, Hevesiensem, Zempliniensem, ac Szatmariensem Comitatus. Solo felix, pice, ac pecore dives. Recens præpositus est Ampliſſimæ Provinciæ Illuſtriſſimus D. Comes Joannes Barkóczy de Szala, Perpetuus in Palocz, & Tavana, Auguſtæ a Conſiliis.

§. IV.

De CSAGE, ſive CSAK - VARA, KIS - VARDA, KALOVIA, IBRANYO, POCSINIO, & Oppidis Haidonicalibus.

CSAKIANUM Stemma deſcendere a Szabolchio Duce ſupra notavimus. Gentilitium vetuſtiſſimæ hujus Proſapiæ caſtrum CSAGE, ſive CSAK-VARUM, ex iſtius Provinciæ munitionibus nominatiſſimum erat. Diverſe flexum nomen hoc legere eſt iſtis in Diplomatiſ, puta *Saac, Cſak, Cſyak, Cbak*, & a ſæculis aliquot communius CSAKY. His nominibus ejuſdem ſtirpis Heroas indigitari, atque hac ab arce (cui ſuum conditor indiderit nomen) appellationem accepiffe, nemo eſt, qui inficitur. Aſſentiri videtur Auſtor quoque Novæ Synopſis Chronologicæ, qui in Appendice ad annum MCCLI. ait: ſe Sigismundo Ferrario, aliisque nobiliſſimam Familiam hanc a Regibus ortam affirmantibus, minime diſſentire; ut quod nos in deſcriptione civitatis Jaurinenſis attigimus, dum de vita B. Mauritiſ Csákii ageremus. Subjungit idem Scriptor Synopſeos, ſibi conſtare, ſtirpem illam pluribus retro ſæculis claruiſſe, nec paucos ex ea Banos, ac Vajvodas Tranſylvaniæ numerari, atque eo munere jam anno MCCXXV. functum eſſe CSAKIUM illum, quem alibi ad annum MCCLI. quondam e Diplomate Belæ IV. Patrem dixerat Gentis hujus clariſſimæ; cui Tsák-tornyam quoque in acceptis retulimus. Summos Magiſtratus in utraque Republica integerrima fide geſtos a CSAKIIS dabimus in Tranſylvania, dum eorum Genealogiam expromemus.

Tertia SZABOLCHENSIVM arx VARADINUM minus (KIS-VARDA) dictum ad diſcrimen Magni, Biharienſi in Provincia adumbrati. Paludoſo conſiſtebat in loco prope Tibiſcum, ſex circiter milliaribus avul-

avulsum Tokaino orientem versus. Multatum jam suis est munitionibus ipsa ætate, post extinctos ante sæculum Heros KIS - VARDAIOS, impellente in ruinam, cui nulla succurrat manus. IBRANYIUM deinde castellum est, cognominis Familix sedes. KALO demum superiore sæculo castrum sat firmum, media in palude, quam ejusdem nominis fluvius facit. Interceperat illud circa annum MDCLXXII. Balassius, ad factiosorum partes traductus, incurfione subita, enecto, qui reliquus erat, milite Germano, incolisque; verum a supervenientibus paulo post Cæsareis copiis arce depulsus, eam traxisse in ruinam videtur. Certe nihil admodum deinceps de illa usquam mentionis fit. Demum KALOVIA caput est Haidonicallium oppidorum. Ea sunt: *Szoboszlo, Beszermény, Nánás, Dorog, Hatbáz, & Vámospérez.* Vocantur ab Hungaris peditibus, quos Hajdones appellabant. Libertate donata sunt a Mathia Corvino, ut præsto semper essent, ad retundendas hostium impressiones. POCSENSEM vicum Sanctum juxta, celebremque reddidere pretiosæ Virginis Deiparæ, quas MDCXCIV. fudit, lacrymæ. Augusti voluntate translata est Icon Thaumaturga Viennam, coliturque in Stephanææ Basilicæ ara principe. POCSINUM nihilominus in numerorum mortalium piis supplicationibus quot annis frequentatur, ad ectypum Sanctissimæ Virginis simulacrum concurrentium. Auget religionem piæ plebis hodiernus Antistes Munkacsinensis Emmanuel Olfávfzky, constructo magnis sumptibus elegantissimo Templo.

§. V.

De BATHORINO.

DUo Comitatum SZOBOLCHENSEM BATHORIANI nominis ornant oppida, vetustius alterum, alterum quod *Nyiranum* (NYIR-BATHOR) appellatur. Qua ætate affurrexerint? non est in comperto. Accepisse nomen a Conditoribus non dedisse Magnæ illi Familix; existimo. Ea postquam increvisset, in duos secta ramos est, aliis de Etsed cognomen adsciscitentibus. In vetustiore illo, quod habet Turoczius, steterat illustre Cænobium, a Stephano Bathorio, e Turcarum, quorum erat domitor, spoliis extructum, in quo ad annum usque MCCCCXCIII. condebantur, qui suum obiissent diem Bathorii, deinceps in NYIR-BATHOR humandi, in erecto novo per Andream Mausolæo, cui primus illatus est Stephanus, post-

postquam de suo, a Valachis prope diruto, in hoc translatus fuisset. Illustrem viri Sanctitatem, inter arma minime læsam, loquitur incorruptum hodie dum corpus, barba ipsa, capillisque integris. Visuntur ibidem duorum aliorum, eadem de gente natorum, expertia nævi corpora, Viri alterum, alterum Virginis. In laudem Stephani, Andreas, templi, ac monumenti Conditor, sequentem adornavit Epigraphen :

*Qui Curios vita vicit, probitate Catones,
 Æquavit Numam Religione DEI.
 Nam coluit verum prisca pietate Tonantem,
 Et nunquam domuit fæda libido Virum.
 Hic capit Alpinos, Moldavos protegit idem,
 Sanguine Sylvanos & tegit ipse suo.
 Egregius Stephanus, sævos qui pectore Turcas
 Prostravit toties, hac requiescit humo.
 Et vos, O Bathorum genus! hunc lugete Parentem;
 Nam Bathorum cecidit firma columna Domus.*

Monumentum hoc prominebat e terra ultra cubitum prope limen sanctuarii ingredientibus ad sinistram; Portæ vero templi superpolitæ fuit Inscriptio :

SUMMI DEI CULTUI,
 MATRIS EJUS INTEMERATÆ VIRGINIS,
 ET SANCTI GEORGII HONORI
 EXTRUI FECERUNT
 GEORGIUS, ET ANDREAS BATHORI.

Inducti sunt sæculi hujus anno XVII. hoc in oppidum, Catholicorum quorundam Nobilium munificentia, PP. Minoritæ, multæ quondam apud Bathorios gratiæ Viri. ESZENUM (ne vel hoc diffimulem) ad Tibiscum vicum, ornabat Asceterium Sancti Pauli I. Eremitæ. Nec plura de SZABOLCHENSI Comitatu.

§. VI.

*Fines, Supremus Comes, & Insignia Comitatus
 SZATTMARINENSIS.*

SZATTMARINENSEM ab urbe olim, & arce SZATTMAR dictum Comitatum præter Transylvaniæ fines, Ugocsiensis, ac Szabolchensis cum Maramarossienfi Comitatus proxime attingunt. Hujus Comitatus

Supremum hodie Comitem Franciscum Károly de Nagy-Károly, S. C. R. M. actualem intimum, excelsi Consilii Locumtenentialis Regii Consiliarium, Generalis Campi Marschalli Locumtenentem, unius Incltyti Regiminis Militiæ Equestris Ordinis Generalem Commendantem, nec non Tabulæ Regiæ septem-Viralis Affessorem agnoscit, & veneratur universitas SZATTMARINENSIS. Ad uberiorem Provinciæ hujus notitiam visum est sigillum ejusdem, admodum illustre, recognoscere. Scuti, ternas in partes divisi, medium obtinet Insigne Excellentissimæ Familiæ Károlyanæ, quæ supremum Magistratum, Hæreditario Jure collatum habet. Nifus avis in tricollis faxo insidens, & coronato, alisque, ac pedibus instructo serpente, atque in gyrum verso, & caudam simul admordente circumdatus, pede cor prendens, & arrodens visitur. In prima parte superiori, transversè sumpta, primo cancer, secundo arx, seu civitas SZATTMAR, tertio sturio. In altera majores quatuor fluvii, Comitatum hunc præterfluentes, Tibiscus, Szamusius, Kraszna & Túr; item manipulus tritici. In tertia demum: botrus, cervus, ac ramus quercinus cum glande conspiciuntur. Sigillum hoc totum auro incisum inscriptiones, præter vulgarem, has exhibet:

In circumferentia exteriori legitur hic versus:

Cessit Alexander (*Excellentissimi nempe Genitor*) Carolo sub Cæsare structum.

In inferiori

- Francisco Károly (*Filio*) præfens offerre sigillum.

Intra peripheriam chronicæ hæc nota incisa sunt.

PRÆLAVDATO COMITATI SVO BENEVOLE IN ÆDE CAROLIANA
VIGESIMA QUINTA FEBRUARII.

Ita ad verbum, & apicem Scriptor Provincialis.

§. VII.

De SZATTMARI-NEMETHINO.

Metropolis Provinciæ hujus SZATTMARINUM in Insula fluvii Szamusii posita, satis ampla, ac olim etiam castro, paucis secundo, ut in ruderibus, locis aliquot adhucdum eminentibus, videre est, ornata fuit. Hæc alteri, haud absimili, vulgo NEMETHI juncta unam civitatem, Regiæ, liberæque titulo simul, & Privilegiis insignem efficit, sub appellatione SZATTMAR-NEMETHI, & jurisdictioni Magistri Tavernicorum Regalium, non secus ac cætera, subjicitur, quemadmodum ex articulo Diætæ Po-

soniensis anni MDCCXXV. 109. eruere licet. Catholicos paucos, & ab his ritu distinctos numerosiores, si demas, incolæ cæteri a sanctissimo Hungariæ Regum S. Stephano susceptæ fidei salvificæ desertores Calvini exitialia, damnataque dogmata sequuntur. Donarat hoc oppido Elisabetha Ludovici I. Mater Franciscani Ordinis Cænobium. Resident in eodem, verius in castri loco dimidiæ horæ spatio a civitate sejuncto, ætate nostra PP. Societatis JESU, Parochiam administrantes, qui in Comitatu hoc jam anno MDXCIX. in Király-Darócz Missionarios primum agere cæperunt; subinde vero SZATTMARINUM translati sunt anno MDCXXXIV. Cardinalis Pazmani largitate. Viros hocce Religiosos a primordiis Illustrissima Familia Károlyiana, Catholicæ Religionis studiosissima, liberaliter habebat, viriliter protegebat, inque summis temporum injuriis sustentabat. Domus illis a Pazmano condita, a Rakoczianis V. sæculi hujus anno diruta est, quo se vindicarent de accepta isthic Cæsareis a copiis clade. Non una hæc spectata est propter SZATTMARINI mœnia. Lufit illud non raro conatus obsidentium, succubuit interdum. Derisit molitiones Turcarum anno MDLXII. virtute Francisci Zay præsidio præfecti; vulgata Ferdinandi morte biennio post cædendum Joanni Sigismundo Transylvaniarum Principi, eorundem Barbarorum auxiliis aucto; de cujus manibus ereptum est anno vertente. Venit & in manus Bocskaiarum, XVI. Januarii, anno MDCV. Denique mœnibus exutum est, unde centesimo inde anno, quo captum est ab Rakoczio.

§. VIII.

De NAGY-BANYA, ET FELSÖ-BANYA.

ALterum a SZATTMARINO, sed dignitate primum in hocce Comitatu locum sibi vendicat NAGY-BANYA, passim ab Istvánffio, cæterisque Historiographis: *Rivulus-Dominarum*, appellata, auri, argentique quondam venis florens. Ob sævientis crebrius Martis furores, adeo hæ sunt reconditæ, ut quamvis jam ab annis aliquot sedulo non minus, ac sumptuose in illas inquiratur, unanimi metallurgorum opera, nusquam tamen ad hæc tempora divites illæ reperiantur. Civitas in Liberis, Regiisque censetur, ac muro cincta est, pluribus jam locis fatifcente; ædibus nihilominus ornata. Inter eas eminent, salutique fuisse perhibentur civibus, dum sæculo præsentè grassatores Tartari arcem bellicis instructam machinis (reapse canales erant ærei) illas esse opinati, ab urbe deflexerunt, Patrum Societatis JESU cum ad-

jacente magnifico Templo, Sancto Regi Stephano dedicato. Adduxit Religiosam hanc Familiam NAGY-BANYAM pia munificentia Excellentissimi, ac Reverend. D. Ladislai Mattyafovszki, Nitrienfis Episcopi, ac Regni Cancellarii. Se commendat pariter Domus monetaria, Cænobium PP. Minoritarum, ac nonnullorum aliorum bene materiata domicilia. Montes habet vitium, castanearumque feracissimos. Alluit muros civitatis amnis Zazar, vulgo Szafzar. Situs loci peramœnus, duobus circiter miliaribus a finibus Transylvaniæ abscedit. Huic vicina, uniusque duntaxat leucæ itinere distat FELSÖ-BANYA oppidum amplum, atque nunc auri, & argenti fodinis percelebre; quod medium interfecat fluvius; ab ortu solis colle, a septentrione vero eminente tegitur monte. Parochum cum Socio ibidem residentem habet e Soc. JESU. Hi Divinam rem faciunt, ac populum DEI verbo pascunt in Templo vetustissimo Virgini Deiparæ dicato.

§. IX.

De KAROLYIO, ERDÖDIO, nonnullisque aliis Károlyiorum Comitum ditionibus.

ERDÖDIUM, SZATTMARINO duobus circiter miliaribus distitum, arx est; Ædificia si spectes interna, fors antiqua superant opera Excellentissimi, ac Illustriss. Comitum Alexandri Károlyi, cujus, & circumfitorum pagorum dominium obtinet ejusdem hodiernus Excellentissimus D. Successor Magni Patris magnus undique Filius. Maximam partem incolunt Suevi, habentque suum Parochum, ac illustre Templum. KAROLYIUM Gentilitium laudati Comitum Francisci Károlyi castrum, hodie dum exteriorem nitorem pristinum retinet; interiore longe præcellit. Huic oppidum amplum adjungitur, atque incolas magna jam parte Catholicos, quibus sacra administrant Piarum Scholarum Patres, fundati ibidem a pientissimæ memoriæ Excellentissimo D. Comite Alexandro Károly, cujus singularis zelus in Csanálos, Fény, Mezö-Petri Maytén, Bélték, Suevis, a se inductis, pariter ubique orthodoxæ fidei sacros Curiones illocavit. Insuper unius spatio horæ in Kaplyon, idem Excellentissimus Author extitit Monasterii Reverendorum Patrum Strictioris Observantiæ, in quorum Templo exquisitissima funebri pompa Regni nota, tumulari voluit. Denique non ignobilis olim munitio Etsedium, a Rakocziis, vetustioribusque suis Heris, aquis undequaque, ac

mœ-

mœnibus cinctum, KAROLYIO miliaribus tribus diffitum, suis in rudibus gemit; de quo jam plura.

§. X.

De ETSEDINO.

ETSEDINUM Bathoriæ Familiæ munimentum æstuariis ingentis paludis, quam efficit restagnans amnis Kraszna, undique cinctum est. Nullius unquam hyemis tantus rigor est, ut se calcandum pedibus præbeat lacus. Id cum perspectum haberet Nicolaus Bathorius, adeo contempsit anno MDLXIV. minas Joannis Sigismundi Transylvaniae Principis, ut ne quidem a choreis, epuloque nuptiali, quod instruxerat cuipiam suo militi, cessandum putarit. Huc, tanquam tutissimum in locum, raptum Anglicum Hungariæ Diadema asservandum transtulit Botskaius; isthic insigne militaris fortitudinis specimen edidit Michael Mikeßius. Nam quum ejus Germanum a perfido Kövarini præsidio sibi traditum, Vezirius Michaeli, ETSEDIÆ arci Præfecto, ostentaret vincum, denuncians: ut si caram haberet salutem Fratris optimi, castrum protinus dederet; Michael cognati sanguinis præsentate periculo nihil motus, respondit: se desideratissimi Fratris miserari quidem fortem; at quia alienum scelus in eam illum fortunam induit, ut pro mensura dolorum præmiis dignus sit, ista se cogitatione lenire mœrorem, ac, ne suum per crimen dulcissimi Fratris innocuam defendat vitam, moveri. Memorant: per amplas loco cellas vinarias, aquis contactas fuisse, quin vel stilula fornicem penetraret. Arcem inferiorem erexerat anno MCCCCXCII. Andreas Bathori, uti docet Inscriptio in hæc verba:

„ **M**agnanimus Andreas de Báthor, Pater Patriæ suæ, construxit hoc
 „ castrum Gentilibus suis pro quietudine, & tuitione eorum; cer-
 „ nens, atque intelligens, quandoque paci interferi bella, & discordias. Qui
 „ rogat suos Hæredes, ut nominis Bathorei non velint esse immemores; Pri-
 „ mum inter se sint concordēs: concordia enim res parvæ crescunt, discor-
 „ dia vero maximæ dilabuntur. Deinde ne inventa perdant: Nam non-
 „ minor est virtus, quam quærere, parta tueri. Postremo: tolerate, & ab-
 „ stinete: Nam divertere a malo, & facere bonum est felicitas hominis anno
 „ MCCCCXCII.

Est & aliud ETSEDINUM, quod minus dicitur a majore non procul diffitum, nominis exigui. Hoc cum nonnullis aliis munitioribus ineunte sæ-

culo nostro prope deletum est, ac hodie dum suis in ruinis confepultum jacet. Ampliffima castris ditio, dum hæc scribimus, transfertur perenni jure in Excellentiffimum ac Illust. D. Comitem Franciscum Károlyi de Nagy-Károly.

§. XI.

De UGOCSIENSI Comitatu.

Postremo omnium Hungariæ Comitatum loco, nostra in partitione, ponimus UGOCSIENSEM; cui arx UGOCSA dedit nomen. Provinciola semper Perényiano de stemmate supremum nanciscitur Comitem, qui in præfens est Illustriissimus D. L. B. Carolus de Nagy Szölös. Intra Szattmarinensem, Bereghiensem, ac Marmarossiensem Comitatum, Kövariensemque Districtum angustis circumscribitur limitibus, nulla civitate Regia, validiore castro, majoris frequentiæ oppido, ornatiore castello, aut Divorum Fano decora. Equidem SZÖLÖSINI (qui præcipuus Regionis istius locus est) ad arcem Kankó percelebre Priniana Gens Asceterium D. Francisci Filiis excitat; sed raris illud dudum hæresis, interemptis, qui tunc illud incolebant, cænobitis. Evenit hoc paulo post Turcam Sirmio potitum. Eodem in tumultu Szemlino allatas isthuc esse perhibent argentea in cista venerandas D. Joannis Capistrani exuvias, quæ injectæ sint cum Templi Cymeliis in puteum, quum religiosam Domum armis impetebant Calviniani. Ingenti nisu ac singulari studio perquirebat thesaurum hunc Austriaca Sacri illius Ordinis Provincia, post pactam a Leopoldo M. cum Turcis pacem; verum irritus fuit conatus, quod immanes ruinarum strues evolvi nequirent. Id Calvinianorum iterata confessione teneri scribit Ladislaus Turoczius, quod sæpe hæterodoxis illis visæ sint ad vetus Asceterii Templum splendidæ collustratorum magna luce Monachorum supplicationes; quibus non admiratione solum, sed metu quoque impleti sint; quin tamen vel isto perstrikti lumine tenebras errorum excutiant. Documento: Arrham illam æternæ salutis, ac veræ virtutis, meritique principium, Fidem, grande donum esse DEI, quo non duntaxat ratio vera luce imbuatur, ut recta intelligat, sed voluntas etiam rapiatur, ne pedicas intellectui ponat, quibus ad sane sentiendum de Numine non convalescat.

O. A. M. D. G.

I N D E X

Præcipuarum rerum, priore parte Topographiæ Magni Regni Hungariæ contentarum.

A.				
A bbatia SS. Andreæ & Benedicti.	Pag.			
De Babolcha.	423			
De Batta.	255			
Feöldvariensis.	264			
S. Mariæ de Scepusio.	265			
Schawnikiensis.	456			
Széxardiensis.	456			
Telkiensis.	263			
Tihaniensis.	234			
Aba - Ujvar.	139			
Aba - Ujvariensis Comitatus, Nomenclatio, Fines, Opportunitates, Supremus Comes.	503			
Sacerdotia.	486			
Oppida, Arces, Vici, Castella.	501			
Civitas Cassovia.	503			
Academia Budensis.	487			
Item.	182			
Cassoviensis.	204			
Pofoniensis Vitéziana.	492			
Quinque - Ecclesiensis.	297			
Tyrnaviensis.	273			
Acincum, Acimincum, & Acumincum.	326			
Adony.	8, & 10			
Ad - Flexum.	248			
Ad - Herculem.	9			
Ad - Muros.	11			
Ad - Statuas.	10			
Æmona.	10			
Agriense Castrum.	8, & 9			
Agriensis Civitatis descriptio.	524			
Episcopatus & Capitulum.	521			
Agriensia Asceteria, & Tempa.	521			
Albæ - Mariæ Sacellum.	523			
Alba - Regalis quo Fundatore, & in cujus antiquæ urbis loco surrexerit?	178, & 179			
Alba - Regalensis Basilica quando construi cæpta sit?	237			
Ejusdem descriptio.	240			
Ejusdem ruinæ.	241			
Alba - Regalensis Præpositi prærogativæ.	242			
Alba - Regalensis sacræ ædes.	242			
Alba - Regalensium bellicæ vices.	243			
Albæ - Regalis situs, nomenclatio.	245			
Alba - Regalensis Comitatus, Fines, & Su- premus Comes.	236			
Alba - Regalensem in Regionem Religio Chri- stiana ante constitutum Hungariæ Regnum inducta.	235			
Alba - Regalensis Comitatus memorabilia.	246			
Albar vicus, incolatu Nicolai Istuanffii me- morabilis.	352			
Albigenes interdum dicti Bulgari.	34			
Almandini.	124			
Allemanni quinam?	29			
Alisca, & Altinum.	11			
Alta - Ripa.	9			
Amantes Populi.	13			
S. Andreæ Infula.	234			
Anamantia.	-	-	-	9
Andocsinum vicus memorabilis.	-	-	-	255
Andizetes Populi.	-	-	-	13
Antianæ.	-	-	-	11
S. Antonii vicus, & Castellum.	-	-	-	402
Apácza - Váfar - Hely.	-	-	-	137
Appony.	-	-	-	374
Aquæ - Baliffæ.	-	-	-	11
Aquæ - Menneianæ.	-	-	-	11
Aqua - Viva.	-	-	-	11
Aquicum.	-	-	-	8, & 10
Arabonis Infula.	-	-	-	105
Arabona Civitas.	-	-	-	11, & 141
Arabo, vulgo Raba fluvius.	-	-	-	105
Aradinum.	-	-	-	566
Aradiensis Comitatus nominatiora loca.	566, & 568			
Aradiensis, & Zarándiensis Comitatum novi limites, & Supremi Comites.	565			
Arces Comitatus Barfiensis.	-	-	-	380
Soproniensis.	-	-	-	103
Mosonienfis.	-	-	-	96, & 97
Szaladiensis.	121, 122, &	125		
Veszprimienfis.	-	-	-	139
Comaromiensis.	-	-	-	154, 157
Strigoniensis.	-	-	-	160, 171
Piliensis.	-	-	-	230, 194
Simeghienfis.	-	-	-	253, 255
Tolnensis.	-	-	-	263
Baranyienfis.	-	-	-	275, 278
Pofoniensis.	-	-	-	287, 341, 348
Nitrienfis.	-	-	-	354, 361, 362, 363
Item.	-	-	-	365, 366, 367
Hontensis.	-	-	-	398
Zoliensis.	-	-	-	410
Turocziensis.	-	-	-	413
Trenchinienfis.	-	-	-	419, 426, 427, 429
Arvensis.	-	-	-	433
Liptoviensis.	-	-	-	436
Gömörienfis.	-	-	-	441, 442
Scepusienfis.	-	-	-	451, 455, 460
Sarosienfis.	-	-	-	461, & 464
Ungensis.	-	-	-	466, 467
Bereghienfis.	-	-	-	469, 470
Maramarosienfis.	-	-	-	473
Zempliniensis.	-	-	-	479, 480, 484
Aba - Ujvariensis.	-	-	-	487, 500
Tornensis.	-	-	-	505, 506
Borfodiensis.	-	-	-	508, 509
Neogradiensis.	511, 512, 514,	516,	517	
Hevesienfis.	-	-	-	524, 526
Szolnokienfis Exterioris.	-	-	-	529
Severiniensis.	-	-	-	555, 556
Temesiensis.	-	-	-	557
Csanadiensis.	-	-	-	558
Csongradiensis.	-	-	-	562
Aradiensis.	-	-	-	566
Bihariensis.	-	-	-	570
Szolnokienfis medii.	-	-	-	581
Szabolczenfis.	-	-	-	582, 583
Szarmarinensis.	-	-	-	587, 588, 589
Ugocsiensis.	-	-	-	590

Area-

I N D E X.

Arentini, five Narentini cur Pagani nuncupati?	47	Berens.	363
Arivates Populi.	13	Bérénium.	121
Armeni.	29	Berbis.	10
Arpadi Ducis sepulchrum.	176	Bereghienſe Caſtrum cum ſua ditioe.	469
Arvenſe Caſtrum Vitezii Carcer.	433	Bereghienſis Comitatus deſcriptio, Supremus Comes.	468
Arvenſis Caſtri Ditio.	432	Vag-Befztercze.	427
Comitatus denominatio, fines &c.	431	Bibaliſ, vel Cibaliſ.	10
Aſceterium Budenſe S. Claræ.	220	Bia.	234
Lapidiſ Refugii.	456	Biharienſe Caſtrum.	569
Lechniſenſe.	456	Biharienſis Comitatus deſcriptio.	569
Montiſ Pannoniæ.	151	Caſtrum, & Civitas M. Varadinum.	570
Agrienſia.	523	Civitas Debreczinum.	578
Poſoniſia.	295	Abbatia S. Jobi.	580
Cætera vide ſuis lociſ.		Nominatiore loca.	580
Attilæ ſepulchrum.	176	Bikeſienſis Comitatus.	563
Avareſ, & Hunni iidem.	30	Bitſa.	427
Avarum Apoſtoli	32	Blatnicza.	413
Avarum cum Carolo M. bella.	31	Bodók.	364
Audantonium	9	Bodrogus fluvius.	475
Auſtriacæ Domui hæreditaria Hungaria.	92	Bodrogienſis Comitatus.	554
Azali Populi.	13	Bodva fluvius.	486
		Bolentium.	9
B.		Bononia.	9
Babolca.	255	Bonyhád.	273
Bacſienſis Comitatus Supremus Comes.	550	Boroſ-Jenö.	568
Præcipua loca.	551	Boroſtyanum.	110
Bajmocz.	363	Item.	349
Baka - Banya.	397	Boroſ-Monyoſtra.	108
Bakonia ſylva.	140	Borſodienſis Comitatus.	507, 508, & 509
Bakombélienſis Abbatia.	141	Borſinenſeſ, Græciſ Pazinaki.	34
Balathon, ſeu Volcea Paluſ.	7, & 250	Boſſány.	373
Balaſſa - Cſyarmath.	512	Botza.	435
Balneæ Budenſeſ.	189	Bozókium.	398
Bán.	425	Bregetium.	8, & 9
Barſienſis Civitaſ. Olim Regia.	372	Item.	141
Ejuſ antiquitaſ, & ornamenta.	375	Breuci Populi.	13
Barſienſis Comitatus deſcriptio, Supremus Comes, limiteſ.	375	Briznó - Banya.	404
Civitaſ Crennizium.	376	Buda unde dicta?	174
Civitaſ Uj-Banya.	379	Budæ Veteriſ ſtatuſ ante ſuſcepta Chriſtiana ſacra.	175
Arceſ.	380	Budam qua ætate inveſta ſit Chriſtiana Religio.	177
Oppida & Caſtella.	381	Budæ Veteriſ Academia.	182
Vici memorabileſ.	383	Sacræ ædeſ.	180
Baranya - Var.	278	Ædicula Alba-Maria dicta.	178, & 182
Baraniſenſis Comitatus deſcriptio.	265	Profanæ ædeſ.	182
Fluvii.	266	Antiqui Heri, & hodiernuſ ſtatuſ.	183
Nobiliore loca.	277	Bellicæ viceſ.	223
Bartpha.	463	Infula Leporum, ſeu Margarethana.	185
Baſilica S. Joan. Baptiſt. Tyrnaviæ.	330	Ejuſdem Vici, Paulini, Amplitudo.	186
Baſiana, & Baſiana.	8, & 10	Regio Neüſtiſt dicta.	184
Baſinium.	310	Plarea, Regionaria Via nuncupata.	187
Bata, aliaſ Keveháfa.	248	Flumentanæ ſacræ ædeſ.	188
Batenſis Abbatia.	264	Ejuſdem memorabilia.	189
Bathorinum.	584	Regio, Taban appellata.	189
Baſtarnæ populi.	47	Protenſio, amplitudo.	189
Battyaniæ Familiæ Ditioeſ.	109	Balneæ.	189
Beczkovium.	425	Adituſ monſ S. Gerardi.	190, & 192
Belgiteſ populi.	13	Florentiſ deſcriptio.	193
Beluſſa.	426	Fortuna Bela Rege IV.	194
Belæ Ducis ſepulchrum.	176	Fortuna ſub Ludovico I. & Alberto.	195
Belæ IV. Regiſ Mauſoleum.	161	Sub Sigism. Ladisl. Poſth. & Vlad. I. &	197
Bela - Banya.	397	Sub Mathia Corvino.	199
Beneficium Corporiſ Chriſti.	450	Bibliotheca Corviniæ.	199
S. Benediſti Oppidum Conventuſ.	381	Sacræ Ædeſ ſuperiorum ſæculorum.	201

Ho.

I N D E X.

Hodiernæ descriptio. - - -	202	Cassoviensium Bellicæ vices, Ditiones, Gu-	496
Princeps Templum, Acad. S. J. Colleg.	204	bernium, Insigne, Privilegia. -	11
Semin. Convict. Diplomatis firmata.	220	Certiffa. - - - - -	9
Asceterium S. Claræ. - - -	221	Chertobalus. - - - - -	13. & 176
Pomæria Vetera. - - - -	222	Cheve Dux - - - - -	67
PP. Paulinorum Eremitoria. -	222	Christianæ Religionis initia apud Hunnos.	52
Concilium. - - - - -	225	Slavos. - - - - -	35
Prima occupatio. - - - -	226	Bulgaros. - - - - -	32
Proditoria Solymanno deditio. -	227	Avares. - - - - -	238
Inde a barbaris ultra sesqui alterum	230	Alba-Regalenses. - - - -	177
sæculum detentio. - - - -	226	Budenses. - - - - -	36
Cujusnam hoc vitio? - - - -	226	Chuni quinam, & unde dicti? - - -	73
A Zapolio munitio. - - - -	228	Chulmia, sive Ducatus S. Sabæ. - -	463
A Christianis recuperatio. - - -	11	Cibinium Sarosienfense. - - - -	12
Budalia. - - - - -	428	Civitas Pannonia. - - - - -	12
Budetin. - - - - -	511	Potentiana. - - - - -	430
Buják. - - - - -	34	Chocholna. - - - - -	21
Bulgari unde dicti interdam Albigenfes?	35	Civitates illustriores Daciæ. - - -	22
Ad Christiana sacra accedunt. -	70	Item - - - - -	69
Bulgariæ præcipua loca. - - - -	514	Cur cæteræ, olim florentes ignotæ?	73
Buffa. - - - - -		Pagania. - - - - -	11
		Cibalis. - - - - -	8
C.		Cibalus. - - - - -	11
Cadichæ Ducis conflictus. - - -	13	Cimbrium. - - - - -	11
Cæsarea. - - - - -	8, & 10	Civitas Pofonienfis. Vide suo loco.	
Calanus Episc. Quinque-Ecclesienfis. -	269	S. Claræ Asceterium Budæ. - - - -	220
Camera Regia Pofonii. - - - -	300	Claustrum Lechnitzense. - - - -	456
Campus Rakos. - - - - -	533	Reliqua vide suis locis.	
Canifa. - - - - -	121	Cœnobium Lapidis Refugii. - - - -	456
Canonici Strigon. S. Thomæ. - - -	162	Cætera vide suis locis.	
Capistrani S. Joannis Lipana. - - -	500	Clericorum Seminarium Pofonii. - -	298
Capella Corporis Christi. - - - -	450	Cætera vide suis locis.	
V. Capitulum Pofonienfense. - - -	292	Cofdienfense Castellum. - - - - -	111
Carmen in laudem S. Stephani. - -	86	Coloffi Tyrnaviæ. - - - - -	338
Carnum, sive Carnunthum. - - - -	8, & 9	Collegium Trenchinienfense S. J. - -	422
Carodunum. - - - - -	9	Reliqua vide suis locis.	
Caroli M. gesta in Pannonia. - - -	179	Colapini. - - - - -	13
Ætate munitiones Pannoniarum. -	601	Colocza. - - - - -	541
Bella cum Avaribus. - - - - -	605	Qua ætate in Metropolim evecta? -	542
A Carolo M. indulta Hunnorum Prin-		Coloczenfes illustriores Archi-Episc. -	545
cipi quædam Pannoniæ portio. -	66	Coloniæ Romanæ in Dacia. - - - -	23
Ante Carolum M. Christiana fides in-		Comaromii ortus, situs, munitio. -	154
ter Hunnos propagata. - - - - -	67	Comaromium an stet in loco Commercii	154
Carpatici Montes. - - - - -	40, & 437	Laziani? - - - - -	154
Carpis. - - - - -	10	Illustrium Virorum natale, ac delicia-	155
Carpona. - - - - -	409	rum solum. - - - - -	156
Castella Comitatus Barfien. - - -	381	Refrænata Scholarium audacia. - -	153
Pofonienfis. - - - - -	347	Comaromienfis Comitatus. - - - -	153
Zolienfis. - - - - -	410	Comes Supremus. Vide Supremus Comes	92
Reliqua vide suis locis.		Comitatus Hungariæ generatim. - -	92
Castri-Ferrei Comitatus Sacerdotia. -	108	Singulos vide in particulari suis locis.	
S. Catharinæ Asceterium qua occasione sur-		Comitiorum Regni sedes Pofonii. - -	299
rexit? - - - - -	353	Comani, sive Cumani. - - - - -	35. & 37
Catari Populi. - - - - -	13	Majores & minores. - - - - -	529
Cassa. - - - - -	426	Concilium Budense. - - - - -	222
Cassovia Vetus, Novæ primordia. - -	487	Conventus, & Præpositura Thuroczienfis.	414
Quando facta Civitas libera, muni-		Consilium Regium. - - - - -	300
tionibus aucta, quibus profanis æ-		Conversiones Regionum Hungariæ subjecta-	28
dibus ornata? - - - - -	489	rum. - - - - -	10
Cassoviæ Elisabethina Basilica, & Xenodo-		Cornacum. - - - - -	13
chium. - - - - -	491	Cornacates Populi. - - - - -	87. & 287
Asceteria, & Tempa. - - - - -	492	Coronatio Regum Hungariæ. - - - -	287
Academicum S. J. Collegium, Tem-		Corviniana Budæ Bibliotheca. - - -	199
plum, Seminarium, Convictus. -	494	Cremnitzium. - - - - -	376
PARS I.		Crifini Marci Strigon. Canon. Martyrium.	169
		F f f f	Croa.

I N D E X.

Croatia præcipua Toparchia.	- - -	72	Divisio Hungariae inter VII. Duces Hunno-		
Croatarum, seu Horvathorum sedes.	- - -	36	rum.	- - -	62
Cruverum.	- - -	10	Nova Hungariae ad mentem Authoris		
Csábrágh.	- - -	399	hujus operis.	- - -	94
Cságe, sive Csák - Vára.	- - -	583	Illyrici.	- - -	25
Csákány.	- - -	111	Pannonia sub Gothicis	- - -	64
Csáky Mauritius & Carolus.	- - -	146	Servia.	- - -	72
Csákianæ stirpis origo.	- - -	569	Comitatum, suis locis videnda.		
Csáky Joannes dire peremptus.	- - -	559	Dobra.	- - -	109
Csanadiensis Comitatus.	- - -	558	Dobronokinum.	- - -	121
Csanadiensis Antistes primus S. Gerardus.	558		Dréghel.	- - -	400
Csáky Joannes ab Affeclis Georgii Siculi trucidatus.	- - -	559	Dombovarinum.	- - -	262
Csák - Torna.	- - -	125	Dravus fluvius.	- - -	13
Csátarinum.	- - -	508, &	Dubnicza Oppidum, & Castellum.	- - -	425
Cseita.	- - -	367	Ducatus S. Sabæ, sive Chulmia.	- - -	73
Cseklézf.	- - -	347	Sub Ducibus VII. Hunnorum ingressus in		
Csele fluvius Ludovico II. funestus.	- - -	267	Pannoniam.	- - -	61
Item.	- - -	276	Duditius Episcopus Quinque-Ecclesiensis.	271	
Csepel Insula.	- - -	539	Dudvág fluvius.	- - -	356
Csepregnum.	- - -	105	Dunavetz Arx.	- - -	460
Czeleznék.	- - -	138	Fluvius.	- - -	443
Csernek.	- - -	442	Dömölk.	- - -	116
Csicsva.	- - -	477	Dömösiensis Præpositura.	- - -	164
Cziffer.	- - -	347	Dynastia Diocleensis, & Tervunienfis.	- - -	73
Csobantz.	- - -	255			
Csongradiensis Comitatus.	- - -	561	E.		
Civitas Szegedinum.	- - -	562	EBerhard.	- - -	350
Cuccium.	- - -	11	Edelinum.	- - -	508
Curia Archi-Episcopalis Pofonii.	- - -	298	Egerfzeghinum.	- - -	121
Curia Regia.	- - -	533	S. Eleemosynarii Sacellum & Reliquia.	- - -	290
Curta.	- - -	10	Item.	- - -	
Cusum.	- - -	11	Elephant.	- - -	374
Czigléd Oppidum.	- - -	537	Eperjessinum.	- - -	462, & 463
			Episcopus Nitriensis antiquitas.	- - -	356
D.			Reliquos vide suis locis.		
Dacia unde denominata?	- - -	17	Eravisci Populi.	- - -	13
Daciae partitio, fines, fluvii.	- - -	19	Erd Mogentianæ respondens, prælio grandi memorabile.	- - -	237
Incolæ.	- - -	20	Erdödium Karolianum.	- - -	588
Illustriores Civitates.	21, &	22	Erfek Ujvar.	- - -	361
Unde quarundam ignoratio?	- - -	69	Ecsedinum.	- - -	589
Bella.	- - -	18, &	Ecségh.	- - -	512
Nova divisio occasione bellorum.	- - -	23			
Incolæ varii.	- - -	67	F.		
In Dacia Trajani Imperatoris monumenta.	19		FAviana.	- - -	9, & 12
Via publicæ.	- - -	23	Felső-Banya.	- - -	588
Romanorum Colonia.	- - -	23	Fertö, seu Peiso Lacus.	- - -	7
Dalmatia.	- - -	26	Feöldvarinum.	- - -	265
Dalmatiæ Partitio.	- - -	71	Fides Christiana. Vide Religio. Et Christiana.		
Danubius, vel Ister.	- - -	19	Filekinum.	- - -	516
Dautona.	- - -	11	Fines Pannoniæ.	- - -	3
Debreczinum.	- - -	578	Dacia.	- - -	19
Detrekö.	- - -	349. 516	Illyrici.	- - -	25
Dévinium.	- - -	345. 348	Moesiæ.	- - -	13
Devecserinum.	- - -	255	Serviæ.	- - -	72
Diafenevics de Gestis Caroli M. in Pannonia.	179		Comitatum vide suis locis.		
Diocleensis Dynastia.	- - -	73	Flexum, & Ad-Flexum.	- - -	9
Diós-Dyör.	- - -	508	Floriana.	- - -	10
Diploma Caroli VI. in favorem Comitis Nicolai Csáky.	- - -	459	Fluvii Comitatus Aba-Ujvariens.	- - -	486
Sylvestri Papæ II. quo Hungar. in Regnum evehitur.	- - -	83	Barfiensis.	- - -	375
Pataviensis Ecclesiæ datum.	- - -	67	Hontensis.	- - -	386
Stephani Regis pro Cassoviensibus.	- - -	487			
Vladislai Regis pro Cassovia.	- - -	497			

Ni-

INDEX.

Nitriensis. - - -	353	S. Hieronymi Patria Stridona. - - -	127
Pestiniensis. - - -	330	Hispaneta. - - -	11
Scepusiensis. - - -	443	Hiulca Palus. - - -	8
Tolnensis. - - -	262	Holitium. - - -	377
Zempliniensis. - - -	475	Holló-Keö. - - -	512
Reliquorum Comitatum vide suis locis.		Homonna. - - -	484
Daciæ. - - -	19	Hont. - - -	402
Moesiæ. - - -	13	Hontensis Comitatus descriptio, Supremus Comes, Aquæ, Montes &c. - - -	386
Pannoniarum. - - -	5	Civitas Schemnitzium. - - -	387
Fluviorum Ondavæ, Laborczæ, Toplyæ cursus. - - -	476	Baka-Banya, & Bela-Banya. - - -	397
Fontes, & Fluxus Tibisici. - - -	474	Arces. - - -	398
Fortuna varia Hungariæ. - - -	91	Castella, & Oppida. - - -	400
Frakno Arx. - - -	103	Vici memorabiles. - - -	402
Franci unde dicti. - - -	37	Hont, five Hunt-Pazman. - - -	386
Frivald. - - -	430	Horti Pofonienses. - - -	309
G.			
G acs. - - -	517	Högyész. - - -	262
Galantha. - - -	347	Hradek, five Lipto-Varinum. - - -	436
Galgoczium. - - -	365	Hungaria evehitur in Regnum. - - -	83
Gödölö. - - -	538	Austriacæ Domui hæreditaria. - - -	92
S. Georgii Civitas. - - -	340	Hungariæ, & Hungarorum appellatio. - - -	79
Oppidum in Aquis dictum. - - -	125	Partitio inter VII. Duces Hunnorum. - - -	62
Vallis. - - -	121	Status ad Annum Christi M. - - -	62
S. Gerardi Mons. - - - 190, &	192	Regionum Conversiones. - - -	28
Gerulata. - - -	10	Regni sacra Corona. - - -	87
Ghymes. - - -	364	Reges, & varia fortuna. - - -	91
Ginzium Civitas, & Arx. - - -	107	Hodiernæ notitia, & situs. - - -	89
Gombafegh. - - -	442	Novissima divisio ad mentem Authoris hujus operis. - - -	94
Gömöriensis Comitatus Supremus Comes descriptio. - - -	434	Interamnanæ, in III. divisæ Partes, descriptio. - - -	278
Arx Murany. - - -	441	Trans-Tibiscanæ summaria descriptio. - - -	552
Oppidum Rosnavia, actu memorabile. - - -	440	Comitatus generatim. - - -	93
Castra, & Oppida. - - -	442	Commoda, una infelicitate viciata. - - -	90
Gonczinum. - - -	503	Regiones, in quas divisæ Provincias, gentes, populos, dum eas obtinerent Romani? - - -	2
Gormanum Slavorum municipium. - - -	417	Legislatoris S. Stephani Metrica laudatio. - - -	86
Gothi an iidem, qui Dacis Getæ, Gepidæ, Gothones? - - -	38	Illata Christiana Religio. - - -	81
Gothorum in Ostro-Gothos, & Visi-Gothos divisio. - - -	38	Hungarorum origo. - - - 75. 76.	78
Gothi rerum potentibus divisio Pannoniæ. - - -	64	Hunnorum sub VII. Ducibus in Pannoniam ingressus. - - -	61
Græci Scriptores quid præstiterint in descriptione Regionum Hungariæ. - - -	1	In Oriente potentia. - - -	75
Granus fluvius. - - -	387	Regis Hieroglyphicum. - - -	75
Guta Piscatu memorabilis. - - - 153, &	157	Apud Hunnos Religio Christiana ante Carolum M. propagata. - - -	67
Gyula. - - -	563	Hufzt Arx. - - -	473
H.			
H arskut vicus. - - -	506	I.	
Hatvanum Oppidum. - - -	526	J anus Pannonius, seu Vitézius. - - -	271
Helmez. - - -	477	Jassi Populi. - - -	13
Hercuniatas Populi. - - -	13	Jaszoviensis Conventus, & Præpositura. - - -	501
Hernadus fluvius. - - -	486	Jaurinensis Civitatis situs, vetustas. - - -	143
Hevesiensis Comitatus, fines, Supremus Comes, descriptio. - - -	520	Munimenta, & bellicæ vices. - - -	143
Castrum Agria. - - -	524	Sacrarum Familiarum Domicilia. - - -	145
Oppidum Episcopale Agria. - - -	521	Prædicatorum Cœnobium incolatuum Beatorum Caroli, & Mauricii Csáky memorabile. - - -	146
Oppidum Hatvan. - - -	526	Princeps Basilica, in qua. - - -	148
Gyöngyösfium. - - -	525	Caput S. Ladislai asservatur. - - -	149
Hevesienti Comitatu collimitanei Jazyges. - - -	527	Episcopi. - - -	150
PARS I.		Columna Eucharistici Numinis. - - -	150
		Comitatus. - - -	141
		F f f f 2	Ja-

INDEX.

Jazyges, seu Jafsü.	527	Kis - Varda.	583
Jazyges Metanaftæ quinam?	40	Kifzucza - Ujhelas.	428
Jazygum Metanaftarum qui limites.	40. 279	Kolos, five Klis.	373
Jenö.	121. 127	Komarinum.	121
Idiminum.	11	Koppany fluuius.	262
Illavia.	426	Köpcsenium.	97
Illyricum, feu Slavonia.	27	Korláh - Keö.	363
Illyrici divifio, & fines.	25	Körmendinum.	109
Infulæ.	27	Kofztolan.	372
Oppida.	27	Kovárcz vicus, Adami Prædociniis famo- fus.	274
Illyris, feu Chulmia.	26	Körös Oppidum.	537
Incolæ Daciarum.	20. 67	Keö - Vagó - Eörs.	138
Gothiæ.	68	Keö - Vár.	473
Japediæ.	25	Krafzna - Korka.	442
Moefiæ.	70	Krafznis Comitatus.	582
Scythiæ minoris.	70	Kubra.	430
Indathyris Regis Hieroglyphicum.	75		
Ingressus Hunnorum in Pannoniam.	61		
Inicerum.	11		
Insignia Pofonienfis Civitatis.	286	L.	
Infula S. Andreæ.	234	L aborcza fluuius.	475. 476
Leporum, feu S. Margarethæ.	185	Lacus Peifö, vulgo Fertö.	7
Muranæ.	124	Balaton lacus.	7. 250
Paganæ.	73	Lád.	508
Cépel, feu Sepel.	539	S. Ladislai Caput Jaurinum delatum.	149
Cfalóköz, feu Cituorum.	280	Lapis - Refugii Claustrum.	456
Item.	345. 346. & 352	Latorcza fluuius.	476
Intercifa.	11	Latovici Populi.	13
Jó - Keö.	364	Lauretum Comitatus Sopronienfis.	103
Jovia.	11	Lében Abbatia.	96
Jopolis fluuius.	387	Lechnitzenfe Cœnobium.	456
Ifter quis? quis Danubius.	19	Lednicze.	427
Judæorum Tyrnavienfum atrocitas.	339	Legradinum.	125
Julio - Bona.	8. 9. 12	Leka.	110
Ivolum.	11	Lelefczinum.	477
Juramento non excludendum Nomen Beatæ Mariæ V.	302. 303	Lentinum.	121
		Lentunum.	9
		Leopoldopolis.	362
K.		Letava.	429
K alovia.	583	Leva.	380
Kanifa.	121	Leutfchovia.	453
Racz Kanifa.	125	Liberho - Banya.	404
Kapivár.	464	Liburnia.	26
Kapornakinum.	124	Likava.	436
Kapos fluuius.	262	Limites Pannoniarum.	4
Kapuvárum.	104	Jazygum Metanaftarum.	40
Karaffus fluuius.	266	Marcomanorum.	41
Karács - Berény.	574	Moefiæ.	13
Karan - Sebes.	555	Quadorum.	41
Karolinum.	588	Comitatus Mofonienf.	95
Karofinum.	121	Reliquorum Comitatum. Vide fuis locis.	
Kecskeletinum.	537	Limufa.	11
Kék - Keö.	514	Lindva.	123
Kemendinum.	121	Lingua, feu Idioma Scytharum.	49
Kérienfe Castellum.	111	Lipenfis Arx.	410
Kés - Markinum.	455	Lippa.	558
Keffelökeö.	364	Liptó - Uj - & Ovárinum.	436
Kefzi Monumentum Koharianum.	383	Liptovienfis Comitatus descriptio, Supre- mus Comes.	434
Keve Dux.	13	Castra.	436
Ejus feputuræ locus.	176	Oppida.	435
Kereháza.	248	Vici memorabiles.	437
Kiraly - falva.	347	Longobardi unde dicti.	41
Kis - Komarom.	121. 155	Lofonczinum.	517
Kis - Martonium.	101		

Lu-

I N D E X.

Orfova.	556	Pornó.	108
Oferiates Populi.	13	Posonium Regni Comitiorum sedes.	299
Osgyan clade memorabilis vicus.	401	Consilii Regii & Cameræ statio.	300
O - Var Mossoniensis Comitatus.	96	Sacræ Regni Coronæ conservatorium.	287
Item aliud.	428	Posoniensis Civitatis origo.	282. 283
Ozora.	262	Nomenclatio a quo Pifone.	284
		Situs, & Insignia.	286
		Paræcialia templa.	288
		Venerabile Capitulum.	292
		Vetera, & nova Religiosa claustra.	295
		Academia Vitèziana, & S. J. Domici- lia.	297
		Magistratus, & Privilegia.	302
		Suburbanæ sacræ Ædes.	306
		Horti.	309
		Bellicæ vices.	310
		Sacellum, & Reliquiæ S. Joannis Elee- mofynarii.	290
		Curia Archi-Episcopalis, Seminarium Clericorum Minores sacræ Ædes.	298
		Comitatus appellatio, Supremus Co- mes, partitio &c.	280
		Stemmata & commoda.	281
		Arces.	384
		Castella.	347
		Fluvii.	281
		Oppida.	345
		Præcipui vici.	350
		Popradus fluvius piscifos.	443
		Pöstyén.	372
		Potentiana Civitas.	10. 12
		Prætorium Latovicorum.	9. 11
		Præpositi Alba-Regalensis prærogativæ.	242
		Præpositura Thuroczienfis.	414
		Prividia.	372
		Prużka.	426
		Ptolomæi Regis Tabula.	392
		Puchovium.	426
		PP. Paulinorum Budæ Eremitoria.	222
		In Agro Vesprimienfi Regularis vitæ primordia.	136
		Q.	
		Q uadorum qui limites.	41. 279
		Quadratum.	10
		Quinque - Ecclesienfis Civitas.	267
		Basilica Princeps.	268
		Episcopatus fundatio.	270
		Episcopus quis primus?	269
		Episcoporum Pallium.	269
		Episcopi Buditius, Janus - Pannonius, & Szatmarius.	271
		Veteres sacræ Ædes.	272
		Hodiernæ sacræ Ædes.	274
		Academia.	273
		Hodiernus status.	273
		R.	
		R ács - Kanisá.	125
		Radna.	568
		Rakicfan.	109
		Rakos Campus.	533
			Ra-

I N D E X.

Ramoczenſe Caſtellum.	- - -	111	Civitas Leutſchovia.	- - -	453
Rafcii.	- - -	408	Kés-Markinum.	- - -	450
Rafciorum Regio diviſa a Boſnia.	- - -	48	Sacerdotia.	- - -	456
Recſe.	- - -	345	Caſtra, Caſtella, Vici.	- - -	460
Reges Hungariæ.	- - -	91	Schawnikienſis Abbatia.	- - -	456
Regécz.	- - -	503	Schemintzienſis Civitatis deſcriptio.	- - -	387
Regionum Hungariæ converſiones.	- - -	28	Sacræ Ædes.	- - -	390
Regius Mons Corvini Epigraphe ſignatus.	- - -	443	Prætorium.	- - -	392
Religio Chriſtiana inveſta in Hung.	- - -	81	Mons Calvariæ.	- - -	393
Item.	32. 35. 52.	68	Metalli fodinæ.	- - -	394
Reliquiæ SS. Agnetis, Ladislai.	- - -	572	Schempte.	- - -	365
Rhiſpia.	- - -	9	Scythiæ minoris incolæ.	- - -	70
Riccium.	- - -	10	Scytharum appellatio, lingua, origo, ritus.	- - -	49
Rimaſzombath.	- - -	402	Séchi-Szigethum, & Santovium.	- - -	121
Rohoncz.	- - -	109	Sellya.	- - -	372
Romanis Hungariæ Regionibus obtinentibus, quæ earum diviſio.	- - -	2	Seminarium Clericorum Poſonii.	- - -	298
Romanorum Coloniam in Dacia.	- - -	23	Reliqua vide ſuis locis.	- - -	
Rofemberga.	- - -	436. 438	Serrapilli Populi.	- - -	13
Rofnavia.	- - -	440	Serretes Populi.	- - -	13
Ruchenorum fedes in Hungaria.	- - -	48	Serviæ fines, diviſio, loca præcipua.	- - -	72
			Servii num iidem qui Serbli?	- - -	50
			Servium.	- - -	11
			Severinenſis Bannatus, ſeu Comitatus.	- - -	555
			Sicenſe Caſtellum.	- - -	111
			Sigmondháza.	- - -	427
			Sikloſinum Carcer Sigismundi Imperatoris.	- - -	275
			Simeghienſis, ſeu Somogyienſis Comitatus.	- - -	249
			Antiquitas.	- - -	249
			Caſtrum Szigethum.	- - -	253
			Ducis Cupæ cum S. Steph. bellum.	- - -	249
			Simontornya.	- - -	243
			Singidunum.	- - -	10
			Sio fluvius.	- - -	262
			Sirmium.	- - -	8, & 11
			Sificia, & Segeſta.	- - -	8, & 9
			Sifopa.	- - -	9
			Situs Comitatum. Vide ſuis locis.	- - -	
			Slavorum nomine qui veniant?	- - -	50
			Solna.	- - -	427
			Solymano dedita Buda diu a Turcis inſidetur.	- - -	226
			Solthienſis Comitatus deſcriptio Supremus Comes.	- - -	540
			Civitas Colocza.	- - -	541
			Solymos.	- - -	568
			Somlyo, & Szigligeth.	- - -	138
			Somorya.	- - -	345
			Somos Keö.	- - -	514
			Sopronienſis Civitatis deſcriptio.	- - -	100
			Comitatus & Civitatis nomenclatio.	- - -	99
			Lauretum.	- - -	103
			Arces nominatim Frakno.	- - -	103
			Civitates, Oppida in his Ruſtum.	- - -	103
			Köpcſen, Kapuvárum.	- - -	103
			Soraga.	- - -	9
			Sóvárinum.	- - -	464
			Spatza unde memorabilis.	- - -	346
			Stemmata Poſonien Provinciæ.	- - -	281
			S. Stephani metrica laudatio.	- - -	86
			Stridova S. Hieronymi Patria.	- - -	127
			Strigoniienſis Civitatis natales.	- - -	159
			Metropolitana Baſilica.	- - -	160
			Religioſæ Familiæ.	- - -	161
			Mauſolæum Belæ IV. Regii.	- - -	161
			Sacerdotia.	- - -	162
			Vetera Religioſorum Domicilia.	- - -	164
			Archi-	- - -	

S.

S. Sabæ Ducatus, ſive Chulmia.	- - -	73
Sabaria, vel Savaria.	- - -	8, & 9
Item.	- - -	112. 114
Sagh.	- - -	401
Sala Romanorum Municipium.	- - -	9
Item.	- - -	120
Salgo.	- - -	514
Sajo fluvius.	- - -	486
Salinum.	- - -	10
Sallis.	- - -	11
Salva.	- - -	10
Sambék.	- - -	234
Samſon-Vára.	- - -	514
Saracenorum nomine qui veniant.	- - -	48
Sarmatiæ limites.	- - -	279
Sarmatici Montes.	- - -	40
Sarmizægethuſa Civitas Daciæ.	- - -	21
Sarofienſis Arx.	- - -	461
Sárvarinum.	- - -	110
Sárviz.	- - -	262
Comitatus nomenclatio nobilitas, fines Supremus Comes.	- - -	461
Civitas Eperjeſſinum.	- - -	462
Civitas Bartpha, & Cibinium.	- - -	463
Caſtrum, & Oppidum Kapivar.	- - -	464
Caſtrum, & Oppidum Sóvár.	- - -	464
Arces, Oppida, Caſtella.	- - -	464
Sebes Oppidum ſepulchrali marmore memorabile.	- - -	465
Saſtinium, ſive Sásvárum.	- - -	367
Savus fluvius.	- - -	13
Scandinavia an fedes omnium Gentium?	- - -	75
Scarabantia, Sacarabantia, Scabringa.	- - -	9
Scepuſii Beneficium Corporis Chriſti.	- - -	450
Scepuſiaca tredecim Oppida Polonis pignora locata.	- - -	444
Venerabile Capitulum ſua cum Eccleſia.	- - -	449
Scepuſienſis Arx cum ſuis ditionibus, ac heris.	- - -	451
Comitatus deſcriptio, Supremus Comes.	- - -	442

I N D E X.

Archi-Episcopatus prærogativa.	166	Bactriensis.	540
Archi-Episcopi.	166	Baraniensis.	265
Canonicorum commendatio.	168	Barsiensis.	375
Marci Crifini Martyrium.	169	Bekefiensis.	563
Memorabilia.	171	Berekiensis.	468
Comitatus Supremus Comes descri-		Bihariensis.	569
prio.	158	Bodrogienfis.	554
Stubna thermis, & diverbio <i>sub Rosa</i> me-		Borfodiensis.	507
morabilis.	417	Castrum Ferrei.	106
Stubnæ vicina rudera, quam veterem ur-		Comaromienfis.	153
bem notent?	417	Csanadiensis.	558
Surany.	111	Csongradiensis.	561
Szabadka.	401	Gömörienfis.	439
Szabolczenfè Castrum & Oppidum.	582	Hevefiensis.	520
Szabolczenfis Comitatus descriptio Supre-		Hontensis.	386
mus Comes.	582	Jaurinensis.	141
Præcipua loca.	583. 584	Krafcznensis.	582
Szadvar Castrum.	506	Liptovienfis.	434
Szakaricus Quinqve - Ecclef. Episcopus.	271	Maramarofienfis.	472
Szabolcza.	359	Moflonienfis.	95
Szala fluvius.	120	Neogradienfis.	510
Szaladinum, Szalavarinum, Szalafzegum.	120	Nitrienfis.	353
Szaladienfis Comitatus descriptio Supremus		Pestienfis.	530
Comes.	120	Piliienfis.	173
Castra.	121. 122. 123. 125	Polonienfis.	280
Oppida.	121	Sarodiensis.	461
Infula Murana.	124	Scepuſienfis.	442
Oppidum Stridova, S. Hieronymi Pa-		Severinienfis.	555
tria.	227	Simeghienfis.	249
Szalónak.	111	Solthienfis.	540
Szanda.	514	Sopronienfis.	99
Szantó.	402	Strigoniensis.	158
Szatmar Némethy Civitas.	586	Sabolczenfis.	582
Szatmariensis Comitatus Inſignia, Supremus		Szaladienſis.	120
Comes.	585	Szolnokienſis exterioris.	520
Præcipua loca.	587. 588. 589	Szolnokienſis mediis.	581
Szazhalom.	247	Zzatmarinienſis.	585
Szegedinum.	562	Temefienſis.	556
Szendrovia.	509	Thornenſis.	505
Szent-János.	438	Thuroczienſis.	411
Szent-Mártón.	109	Tolnenſis.	261
Szemtzinum, ſive Szencz.	345	Torontalienſis.	553
Széplakienſis præpoſitura.	501	Trenchinienſis.	418
Szetsénium.	512	Veſprimienſis.	132
Széxard.	263	Ungenſis.	465
Szigligeth Arx.	255	Ugocſienſis.	590
Szigethum Maramarofienſe.	473	Zarandiensis.	565
Szirna.	400	Zemplinienſis.	575
Szixovia.	504	Zolienſis.	403
Szklabima Arx.	414		
Szklennensis vicus celeberrimus ſpecu.	385		
Szolnokienſis Comitatus medi, ſeu medio-			
cris descriptio.	581		
Exterioris descriptio &c.	520		
Item.	528		
Accola cumani.	529		
Zzolnokinum oppidum.	529		
Szomolan.	349		
Sztropkovia.	477. 485		
Szöllöſini de poſitæ S. Joannis Capiftrani			
Exuvia.			
Supremus Comes Comitatus Alba Rega-			
lenſis.	235		
Abba-Ujvariensis.	483		
Aradienſis.	565		
Arventis.	431		

T.

T Aban.	189
Nagy Tapolcſan Civitas Regia.	372
Tapolcſa.	255
Tapſon.	256
Tarnok grandi prælio memorabilis vicis.	237
Tarſum, vel Tarſum.	11
Tartari interdum Turcæ dicti.	55
Tata.	157
Taurunum, vel Taururum.	10
Telki Abbata.	234
Temesvarinum.	557
Temefienſis Comitatus.	556
Temelus Amnis.	556

Tem-

I N D E X.

Templum S. Gerardi memorabile.	192	Sátar - Ujhel.	482
Temetvén.	364	Vagh - Ujhel.	372
Teplicze.	430	Ulmum.	11
Terbunienſis Dynaſtia.	73	Unguarinenſis Arx, & Oppidum.	466
Terebeſinum invectæ hæreſis in Hungariam ultione memorabile.	482	Ungenſi a Caſtro Ungari dicti.	466
Tétén Potentianæ reſpondens.	234. 247	Ungenſis Comitatus limites, Supremus Comes, qui erronee Baro vocatur.	465
Theuto Lipſe.	435	Oppida, Caſtella, vici.	467
Theuto Burgum.	10	Urbatæ.	11
Thornenſe Caſtrum, & Oppidum.	505		
Thornenſis Comitatus Supremus Comes, deſcriptio.	505	V.	
Arx Szadvar.	506	V Acontium.	11
Memorabilia loca.	506	Vacziom.	534
Thurocienſis Comitatus Partitio, Supremus Comes.	411	Vagus fluvius.	353. 438
Oleum.	412	Vagh - Ujhel.	372
Arx, Præpoſitura.	414	Vajka.	346
Oppida Vici.	415	Valachi, & Valachia.	56. 69
Tibiſci fontes, & fluxus.	474	Valina.	9
Tihanienſis Abbatia.	139	Vallis - Mariana.	350
Tifzolcz.	402	Vandalorum migrationes.	56. 58
Tokainum.	480	M. Varadinum.	571
Tolnenſis Comitatus Supremus Comes, limites, deſcriptio.	271	Reliquiæ SS. Agathæ & Ladislai.	572
Fluvii, ſoli natura.	262	Patria Petri Pázmány.	575
Oppida, Caſtra.	262. 263	Varanovia.	482
Abbatia.	263. 264. 265	Varciani populi.	13
Tömördenſe Caſtellum.	111	Vafonkeöienſis arx memorabilis.	139
Toplya fluvius.	476	Vaticana Caſtra.	11
Toriſſa fluvius.	386	Vedröd.	347
Torontalienſis Comitatus.	553	Vépium Caſtrum.	111
Török - Balint, ſeu Turbal.	234	Vefprimium.	133
Trajani Imperat. monumenta in Dacia.	19	Ejus bellicæ vices.	136
Trans - Tibiſcanæ Hungariæ Procemium.	552	Epifcopatus.	134
Tredecim oppida Scepuſiaca.	444	Epifcoporum prærogativa.	133
Trenchinienſis Arcis quis Conditor?	419	Princeps templum, aliaque ſacra loca.	114
Civitas.	420	Comitatus Supremus Comes.	132
Collegium S. J. & Conviçt. Nobil.	422	Frequentiora Oppida.	137
Comitatus deſcriptio, Supremus Comes.	418	PP. Paulinorum religioſæ vitæ primordia.	136
Abbatia SS. Andrea & Benediçti.	423	Vefztenicz.	374
Arces, oppida.	425. 426. 427. 429	Veteroſolium.	408
Vici.	429	Vezekén.	383
Ó - Thura.	372	Via publicæ in Dacia.	23
Thura - Luka.	374	Vihnye.	385
Tüſkevarinum.	139. 255	Világos - Vár.	366
Tyrnaviæ origo, ſitus &c.	316	Vindobona, & Vindibona.	9, & 12
Direptiones, & Heri.	318	Vinundria.	9
Publici Congreſſus, & Tractatus Pacis.	321	Viſſegradi deſcriptio.	230. 232
Sacræ Ædes.	322. 324. 330	Viſnyove.	430
Academicum S. J. Collegium.	326	Viſontium.	9
Academica S. Joan. Bap. Baſilica.	330	Vitézius, idem qui Janus Pannonius.	271
Clericorum & Nobilium Contubernia.	331	Vitéziana Academia Poſonii.	297
Coloſſi, & nonnulla ædificia.	338	Volcea Palus, vulgo Balaton.	7
Natales Virorum doçtrina clarorum.	338	Volmerium.	21
Judaorum atrocitas in infantem Chriſtianum.	339	Vöröskeö.	348
Lipſana V. MM. Pongratii, & Grodeçtii S. J.	324	Vörös - Var Caſtrum.	111
		Piliienſes.	234

U.

U Goçienſis Comitatus deſcriptio	590
Uj - Banya.	379

PARS I.

Z.

Z Agyva.	514
Zapolya.	126
Zarandienſis Comitatus limites, Supremus Comes.	565
G g g g	Zem-

I N D E X.

Zemplén Oppidum.	475.	477	Zolienſis Comitatus deſcriptio, Supremus Comes.	403
Zemplénienſis Comitatus deſcriptio, Supremus Comes.		475	Civitas Neofolium.	405
Oppida, Caſtra, Caſtella.		477	Brizno - Banya, & Libetho - Banya.	404
Item.		485	Veteroſolium.	408
Zigmondháza.		427	Carpona.	409
Zitva fluvius.		353	Arces, Caſtella, Oppida, Vici.	410
Znio Caſtrum.		411. 413	Zrinium vetus, & novum.	122
Zobor mons.		354		


Monendus eſt Lector:

Idcirco nonnulla Caſtra, & Oppida in duos relata eſſe Comitatus, quod eadem non unus ſibi vendicet; nec noſtrum banc dirimere litem.



PROTESTATIO AUTHORIS.

UT ea, qua par eſt, obſervantia **URBANI VIII.** Pontif. Max. Decretis de Viris Martyrii, aut alia ſanctitatis laude inſignibus de SS. Reliquiis, & miraculis morem geram, profiteor, me, quidquid hoc in opere continetur, haud alio ſenſu accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ſolent, quæ humana duntaxat fide, atque authoritate nituntur.



4468 F.5.